34.21.D.4

37
20 D
HAG. 1152
Digitized by Google

25.8.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI

AC DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

DE DEO UNO ET TRINO QUÆSTIONES

Scholaſtico-Dogmaticæ.

AUCTORE

D. FORTUNATO VENERIO

PRÆSBYTERO BARNABITA &c.

TOMUS IV.



ROMÆ, MDCCXXXVIII.

Ex Typographia Komarek in Viâ Curſûs.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI, AC DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XII.

PONTIFICI OPT. MAX.

FORTUNATUS VENERIO PRESBYTER BARNABITA.

OMNEM FELICITATEM.

IN barbaras gentes olim Roma, BEATISSIME PATER, longe lateque ſuum invexit imperium, & ferme tot ſuis legibus ſubdidit regna, quot ſuis radiis ſol illuſtrat. Nunquam tamen vali-

Digitized by Google

validius a diabolo victa, quam cum hominum triumphatrix, ſuæ enim ut ait Leo Papa, provectionis ignorans auctorem, cum pene omnibus dominaretur, omnium ſerviebat erroribus, magnamq; ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. Tunc vere ſeipſam vicit & alios, cum bellico furore ſemoto Chriſti nomen, pacemque recepit, & quæ prius erat magiſtra erroris, facta eſt diſcipula veritatis; deſtructis vanis idolorum ſimulacris unicum rerum omnium conditorem agnovit, huic thura, huic aras, huic templa dedit, erexit, extruxit, ſuperbæ gentilitatis collum ſubjecit, atque in Religionis unitate, unicum, cui ſupremus cultus tribueretur, invenit, inventumque omnibus adorandum exhibuit. Infremuit certe tartareus ille vetuſtiſſimus hoſtis, venenum ſuum in ſe ipſum effudit, ſe ſuis dentibus laniavit, igneiſque latebris ſe ſauciatum profligatumque recepit; Quid tamen, inquiit, agam, quo me vertam, quid conſilii capiam? An frau-

Ser. 1. in nat. SS. Apoſt.

des

des deſunt , & nova machinamenta? Divinitatis unitatem , quam mundus adorat, trinitas perſonarum confundat, & obruat; Exurgat Praxeas, & ſicut unum Deum, ita unam perſonam, ſervata ſolum nominum varietate, fateatur. Huic Noetus, Sabellius, Photinus, Paulus Samoſatenus vires addant, & arma. Exurgat Arius, qui filium aſſerat, Patre tamen minorem appellet, ac doceat; Hunc Epiſcopi Nicomedienſes, Nicæni, Ancirani, Mediolanenſes, imo Imperatores Conſtantinus, Valens, Baſilius foveant, ac defendant. Exurgat Macedonius, & Spiritum Sanctum creaturam eſſe prædicet, ac perſuadeat; Centum ipſi nectam, qui ferant auxilia, copiaſque miniſtrent. Quod callidus ſerpens nefarie excogitavit, ſe aſſequutum eſſe ſuperbe proſpexit; Miſeranda tunc ac mæſtiſſima veræ fidei facies. Hinc Fidelium Urbes incenſæ, hinc Sacerdotes expulſi, hinc Epiſcopi, vel cæſi, vel exules, Ipſa Petri ſedes ferme nutans, ac tremens, ita ut

Hie-

Hieronymus dixerit , totum mundum, ſe Arianum eſſe , ingemuiſſe. Verum navis illa , quæ fluctuare quidem poteſt, mergi tamen non poteſt , imperante Chriſto Ventis, ac Mari, tranquillam ſtationem obtinuit , factumque eſt , ut ita agnoſceretur columna , ac firmamentum veritatis , inferique portæ adverſus eam prævalere deſperarent; Hoſtes illos infenſiſſimos , quos tartarus peperit , etiam abſorbuit , atque eorum perdita dogmata vel in oblivionis anathema commiſſa ſunt, vel ita eorum veſtigia ſuperſunt, ut Eccleſiæ Doctorum, præſertim vero Angelici Aquinatis , ſuorumque eximiæ Dominicanæ Familiæ ſectatorum, velut in perennis victoriæ ſigna circumferantur , & explicentur. Ipſos ego ex inferis ad ſupremam Pontificiæ Majeſtatis Tuæ ſedem in hoc Opere Theologico, quod tibi ex integro, ut in reliquis me geſſi, ſacratum humiliter offero, vinctos deduco Beatissime Pater. Siſtite jam miſeri, frontem, oculoſque

atto-

attollite; Videte ex Nobiliſſimo Corſinorum genere Magnanimum, Fortem, Liberalem, Pium, Videte CLEMENTEM XII. Procul a vobis propter præclariſſimas ejus dotes ſtupor, qui nobis, omnibuſque poſteris ſervatus eſt; Vos tantum opprimat timor, quem ejus pro fide zelus, pro bono publico ſtudium, pro juſtitia vigilantia, pro omnibus æquitas & clementia ingerant, ac perpetuo duraturum imponant. Abierunt jam æternæ deſperationi commiſſi Trinitatis hoſtes, Beatissime Pater. Horum errores in hoc libro, qualiſcumque ſit, profligatos reperies; audieſque; Hunc Tibi Clementiæ Tuæ fretus magnitudine demiſſiſſime exhibeo; Hunc Clementiſſime, ut ſoles, excipias, hunc ut tuum conſideres, meque Apoſtolica Tua Benedictione proſequi non dedigneris, exoro.

LE

LECTORI THEOLOGO.

TOmum Quartum Theologicorum Operum tibi exhibeo, ut pollicitus eram, Theologe Lector. Statim ut vides, *De Deo Uno* inſcribi, audio te dicentem, me quartum locum dediſſe, cui primus concedendus erat; cum & hoc ab omnibus, qui Theologorum Principes ſunt, ſervatum ſit, & cum primum, quod ab humana mente cognoſci debeat, ſit Deus. Cur a me ita factum ſit, ex iis conjicies, quæ in primo Tomo ad te ſcripſi. Deum unum eſſe, atque ita a nobis cognoſci, ſi ut auctorem naturalem conſideremus, affirmo; Si vero ut auctorem ſupernaturalem perpendamus, quod viri Theologi præcipuum ſtudium eſt, non aſſentior. Hunc fide tenemus, nequaquam ratione percipimus Congruum igitur erat prius de fide diſſerere, ut inde ejuſdem præſidio Deum unum attingeremus.

Hoc potiori jure de Deo Trino tractatus ſibi vindicabat. Quamdiu enim viguit teſtamentum vetus, nimis obſcure myſterium hoc propoſitum fuit, nec niſi inſignioribus Prophetis, ac Patriarchis revelatum. Deus homo factus hoc Eccleſiæ ſuæ tradidit, & commendavit. Prius itaque de Verbi Divini Incarnatione agendum eſſe videbatur; & quia nihil, quod ad ſalutem pertinet, ſine gratia comparari poteſt, ideo quæſtiones de gratia præmittendas eſſe exiſtimavimus.

Si omnia, quæ a Doctoribus olim pertractabantur, ad examen revocare placuiſſet; volumen hoc non tam breve, ſed longe oneroſum protuliſſem. Verum illud animadvertas vellem; quod & plures a me quæſtiones prætermiſſæ ſunt, ut fortaſſe minus diſplicerem, & plures etiam ad alia loca, quæ aptiora viſa ſunt, tranſtuli, quaſ-

ve

ve hic repetere parum conſentaneum judicavi; Quod, ut experimento didici, ab aliis obſervatum non fuit, & quod certiſſime dico, ſi demeres, quæ vel per ſummaria, vel ſuperfluo repetitoque calamo ſcripſerunt, ad paucas paginas eorum volumina redigerentur.

Hæc tibi ſcribo, non ut admoneam, quippe quod te longe eruditiorem, quam ego ſim, qui nullus ſum, fatear; attamen plura ſcribere cogitaveram, quæ, ſi opus fuerit, ſcribam. Interim benevolum te volo, ut diligam, non contumelioſum ac calumniatorem, ut contemnam. Si qui ſunt hoſtes, ſe proferant, nec occultas inſidias moliantur; tunc cogar, quod nollem; ſed ut permittar, poſtulabo. Vale; & ita bene valeant omnes, ut alios bene valere non prohibeant.

Digitized by Google

APPROBATIO.

C*Um Librum , cui Titulus eſt :* Quæſtiones De Deo Uno , & Trino : *à P. D. Fortunato Venerio Congregationis Noſtræ Presbytero profeſſo , compoſitum , duo ejuſdem Congregationis Noſtræ eruditi Viri , quibus id commiſimus , accurata lectione , & gravi judicio , recognoverint , & poſſe in lucem edi , probaverint ; Nos ut typis mandetur , quantum in nobis eſt , facultatem facimus . In quorum fidem has fieri , ſigilloque Noſtro muniri juſſimus . Datum Romæ in Collegio Noſtro SS. Blaſii , & Caroli die* 11. *Novembr.* 1737.

Don Jo: Hieronymus Gazoni Præpoſitus Generalis.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Nuntius Baccarius Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens.

APPROBATIO.

Juſſu Reverendiſſimi P. Jo: Benedicti Zuanelli Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri attentè perlegi Tomum cui Titulus: De Deo Uno; & Trino : *à Revereudiſſimo P. D. Fortunato Venerio Clerico Regulari S. Pauli Barnabita exaratum, cumque eum à cujuſcumque contra fidem, Religionem, morumque diſciplinam, labis ſuſpicionis immunem, imò aliis Theologicis tomis jam prælo vulgatis, pietate, doctrina, & eruditione non imparem repererim, æquè dignum cenſeo, qui publica luce donetur.*

Joſeph Carpani Soc. Jeſu Cleri Romani Examinator, & in Collegio Romano Generalis Studiorum Præfectus.

APPROBATIO.

Theologicorum Operum Quartum hunc Tomum, cui titulus. De Deo Uno, & Trino, *à Reverendiſſimo P. D. Fortunato Venerio Clerico Regulari Barnabita ſummo ſtudio elaboratum, jubente Reverendiſſimo P. Jo: Benedicto Zuanelli Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro, attente legi, nihilque in eo reperi Catholicæ Fidei, aut bonis moribus contrarium, nihil Eccleſiæ dogmatibus illuſtrandis, aut enodandis Theologicis difficultatibus inutile. In quorum fidem &c.*

D. Antonius Andreas Galli Abb. Can. Reg. SS. Salvat. & Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuannelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

INDEX

Eorum, de quibus in Libro Quarto.

QUÆSTIUNCULA UNICA.

Plura Theologiæ Præambula. pag. 1.

QUÆSTIO I.

De exiſtentia, & eſſentia Dei.

Art. I. *Utrum Deum exiſtere poſſit demonſtrari.* 7.
Art. II. *An eſſe poſſit ignorantia invincibilis exiſtentiæ Dei.* 11.
Art. III. *Per quid conſtituatur eſſentia Dei.* 14.
Art. IV. *Refelluntur argumenta contraria.* 18.

QUÆSTIO II.

De divinis attributis tam generatim, quam ſpeciatim inſpectis.

Art. I. *Traditur notitia ſpectans ad divina attributa.* 22.
Art. II. *Quomodo attributa diſtinguantur ab eſſentia, & inter ſe.* 23.
§. I. *Quid ſentiendum de mente Patrum, & Conciliorum.* ibid.
§. II. *Statuitur ſententia noſtra.* 25.
§. III. *Refelluntur argumenta.* 28.
Art. III. *De Unitate Dei.* 32.
Art. IV. *De ſimplicitate Dei.* 35.
Art. V. *De perfectione Dei.* 38.
Art. VI. *De Immenſitate Dei.* 39.
Art. VII. *Per quid Deus formaliter ſit immenſus.* 41.
Art. VIII. *De æternitate Dei.* 44.
Art. IX. *Quomodo ſe habeat æternitas ad futura.* 46.

QUÆSTIO III.

De cognoſcibilitate Dei, ſeu Viſione.

Art. I. *Quomodo ſit poſſibilis Viſio Dei intuitiva.* 52.
Art. II. *An Viſio beata de facto conveniat intellectui creato.* 55.
Art. III. *Quid ſentiendum de oculo corporeo.* 62.

Art. IV.

Digitized by Google

Art. IV. *An ſit poſſibilis ſpecies impreſſa, per quam videatur Deus*. 64.
Art. V. *An viſio intuitiva poſſit eſſe Dei comprehenſiva*. 68.
Art. VI. *An ex cognitione omnium creaturarum poſſibilium ſequeretur comprehenſio Dei*. 72.
Art. VII. *Quid beati de facto videant*. 73.
Art. VIII. *An viſio intuitiva Dei poſsit eſſe præciſiva*. 76.
Art. IX. *Refelluntur argumenta contraria*. 79.
Art. X. *De Lumine gloriæ*. 81.
Art. XI. *Reſolvitur propoſita difficultas*. 83.
Art. XII. *An ſine lumine gloriæ haberi poſsit viſio Dei intuitiva*. 86.
Art. XIII. *Unde ſit deſumenda inæqualitas viſionis*. 90.

QUÆSTIO IV.

De Scientia Dei.

Art. I. *AN, & quomodo detur ſcientia in Deo?* 96.
Art. II. *Quodnam ſit obiectum motivum divinæ ſcientiæ?* 97.
Art. III. *An Deus cognoſcat poſsibilia immediate &c.* 99.

QUÆSTIO V.

De Voluntate Dei.

Art. I. *AN in Deo ſit voluntas, & quotuplex ſit?* 104.
Art. II. *De obiecto divinæ voluntatis*. 106.
Art. III. *In quo conſiſtat velle liberum Dei*. 111.

QUÆSTIO VI.

De Affectibus divinæ voluntatis.

Art. I. *AN in Deo ſint Amor & odium, & quomodo?* 113.
Art. II. *Refelluntur ea, quæ militant contra prædicta*. 115.
Art. III. *Demonſtratur, reliquos voluntatis affectus Deo non convenire*. 118.

QUÆSTIO VII.

De juſtitia, & miſericordia Dei, ejuſque Omnipotentia.

Art. I. *SItne in Deo vera juſtitia*. 120.
Art. II. *Sitne in Deo juſtitia diſtributiva*. 124.
Art. III. *Sitne in Deo miſericordia, & quomodo*. 128.
Art. IV. *De omnipotentia Dei*. 130.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De Diviua Providentia.

Art. I. QUid ſit divina providentia, & an ſit in Deo. 133.
Art. II. *An providentia ſpectet ad divinum intellectum, vel voluntatem.* 135.
Art. III. *Quid ſit prædeſtinatio, & an detur.* 137.
Art. IV. *Utrum inter effectus prædeſtinationis recenſeri poſſit permiſſio peccati.* 140.
Art. Ult. *Aliqua traduntur de Reprobatione.* 143.

DE DEO TRINO.

Prolegom. Unicum. De variis, qui circa myſterium Trinitatis fuerunt, erroribus. 146.

§. I. QUid de Trinitate Platonici ſenſerint. 148.
§. II. *Expenditur quorundam Sanctorum Patrum doctrina.* 150.
§. III. *Quid ſentiendum de Tertulliano.* 158.

QUÆSTIO I.

De Divinis proceſſionibus.

Art. I. AN in Deo detur vera Proceſſio, & quotuplex ſit. 162.
Art. II. *Quodnam ſit divinarum Proceſſionum principium.* 165.
Art. III. *Solvuntur obiectiones.* 168.
Art. IV. *Utrum aliqua proceſſio in divinis generatio dici poſſit.* 171.
Art. V. *Quare proceſſio Verbi ſit generatio, non illa Spiritus Sancti.* 174.

QUÆSTIO II.

De divinis Relationibus.

Art. I. UTrum in Deo ſint aliquæ relationes reales. 181.
Art. II. *An relationes diſtinguantur a natura divina, & inter ſe.* 184.
Art. III. *An relationes habeant propriam perfectionem.* 188.
Art. IV. *An in divinis ſint tres exiſtentiæ relativæ.* 195.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

De divinis perſonis generatim inſpectis.

Art. I. *Traduntur plura de Perſona.* 201.
Art. II. *Utrum in divinis ſit admittenda ſubſiſtentia abſoluta.* 205.
Art. III. *Utrum in divinis admittendæ ſint tres ſubſiſtentiæ relativæ.* 109.
Art. IV. *Quomodo ſe habeant relationes ad divinas perſonas:* 215.
Art. V. *An in Deo ſint admittendæ tres perſonæ in eadem numero natura.* 220.

QUÆSTIO IV.

De divinis perſonis ſpeciatim inſpectis.

Art. I. *Traduntur plura ad perſonam Patris pertinentia.* 224.
Art. II. *Traduntur plura ſpectantia ad ſecundam perſonam:* 227.
Art. III. *Ex quorum cognitione Verbum divinum procedat:* 231.
§. I: *An Verbum procedat ex cognitione eſſentiæ, attributorum, & perſonarum;*
§. II: *Utrum Verbum divinum per ſe & formaliter procedat ex cognitione poſſibilium:* 235.
Art. IV: *An Verbum ſit Deus:* 240.
§. I: *Oſtenditur contra Arianos Verbum eſſe Deum, & conſubſtantiale Patri:* 241.
§. II: *Oſtenditur eadem veritas contra Socinianos:* 245.
§. III. *Refelluntur Socinianorum reſponſiones contra primum textum &c.* 248.
§. IV. *Defenditur alius Joannis textus.* 250.
§. V. *Refelluntur argumenta contra Verbi divinitatem.* 253.
Art. V: *An Spiritus Sanctus ſit verus Deus.* 256.
Art. VI. *Refelluntur argumenta hæreticorum.* 281.
Art. VII. *Utrum Spiritus Sanctus a Patre, Filioque procedat.* 283.
Art. VIII. *Refelluntur argumenta Græcorum.* 287.
Art. IX. *De particula*, Filioque *addita ſymbolo &c.* 290.
Art. X. *Utrum Pater, & Filius ſint duo principia Spiritus Sancti.* 294.
Art. XI. *Utrum, Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, diſtingueretur a Filio.* 297.
Art. XII. *Quid in hac re ſentiendum de conciliis & Patribus.* 302.
Art. XIII: *Refelluntur argumenta contraria.* 308.

Art. XIV.

Art. XIV. *De Pluribus Spiritus Sancti nominibus*. 309.

QUÆSTIO V.

De divinis notionibus, miſſionibus, ac Perſonarum circuminſeſſione.

Art. I. *Quid ſit notio, & an ſit in divinis &c.* 311.
Art. II. *Traduntur plura de actibus notionalibus.* 313.
Art. III. *Traduntur ea, quæ ſpectant ad divinarum perſonarum miſſionem.* 314.
Art. IV. *De perſonarum divinarum circuminſeſſione.* 316.

QUÆSTIO ULTIMA:

De cognoſcibilitate myſterii Trinitatis.

Art. I. *An myſterium Trininitatis ſola naturali cognitione poſſit oſtendi.*
Art. II. *Refelluntur argumenta contra Trinitatis myſterium.* 321.

D E

Digitized by Google

IN PRIMUM SENTENTIARUM.

DE DEO UNO.

QUÆ præcipue de Deo eſt, a Deo incipit Theologia. In cæteris quibuſcumque rebus imperfectiora prius inveſtigamus, ut paulatim conſcendentes perfectiora aſſequamur. In hac vero ſub ipſo limine perfectionum omnium fontem perſcrutari contendit Theologus, cum nihil ipſi ſit, quod Deus non eſt. Magnum opus profecto, divinumque donum nobis conceſſum, quo illum contemplari poſſimus, qui lucem habitat inacceſſibilem, atque de illo diſſerere, quem ineffabilem profitemur. Totum hoc, quantumcumque eſt, quod certe maximum eſt, Theologiæ debemus. Quis enim Dei Opt. Max. neceſſariam exiſtentiam, bonitatem, immutabilitatem, immenſitatem, æternitatem exponeret? Quis beatam illam, quam præparavit Deus diligentibus ſe, viſionem explicaret? Quis intellectus divini rerum omnium ſimpliciſſimam ſcientiam, divinæ voluntatis libertatem, ſanctitatem, fortitudinem, ſuavitatemque declararet? Quis tandem feliciſſimæ prædeſtinationis, miſerandæque reprobationis modum, naturam, effectus perpenderet? Theologiam deme, atque hæc omnia ignoremus, aut de ipſis perperam loquamur, neceſſum ſit. Illius tamen munere, ſupernique luminis, quod enixis precibus imploramus, auxilio de hiſce in hac priori parte acturi ſumus, eorum methodum ſequentes, qui primum ſententiarum librum interpretantes, ſcripſerunt, ea tamen omittendo, de quibus in aliis libris a nobis pertractatum eſt. Quædam vero, quæ appellant proemialia, ſubiiciam, ne videar deficiens, breviter tamen, ne ſim ſuperfluus.

QUÆSTIUNCULA I.

Plura Theologiæ Præambula.

1. PRimo nomen hoc Theologiæ, ex vi ſua aliud non eſt, niſi ſermo de Deo, ſive Deus in ſe ipſo conſideretur, ſive ea, quæ ad Deum pertinent, reſque divinæ nuncupantur. Hac de re, cum olim plures divinitates colerentur, ſeu melius, fingerentur, plures etiam Theologias datum eſt invenire, quamvis tunc nulla foret Theologia, ſicut nullus Deus, *multitudo enim Deorum nullitas Deorum eſt* ait Athanaſ. orat. contra Idola. In hoc ſenſu Clem. Alexand. lib. 5. Strom. Orphæum Poetam vocat Theologum, quod & de aliis dictum eſſe adnotavit S. Auguſt. lib. 18. de Civit. cap. 14.

2. Ex hiſce jam patet, multifariam dividi Theologiam; & 1. in fabuloſam, de qua Poetæ. 2. In naturalem, de qua Philoſophi, qui aliquid de Deo per naturalia principia vere dixerunt, ut Ariſt. & Plato, qui propterea divi-

nus fuit appellatus. 3. In civilem, quam ad populos, & præſertim ad Sacerdotes pertinere, veteres ſunt arbitrati. Primam theatris convenire, ſecundam mundo, poſtremam Urbibus, & regnis, ſenſit Marcus Varro in lib. de antiquit. rerum humanarum, & divinarum, & legitur in S. Auguſtino lib. *6.* de Civit. cap. *5.*

3. Nos vero, relictis omnibus, quæ ad rem minime pertinere, compertum eſt; Theologiam dividimus chriſtianam, in moralem, Poſitivam, & Scholaſticam. Illa ea eſt, quæ tradens, explicanſque regulas bene vivendi, homines ad Deum, tanquam ultimum finem, dirigere nititur. Poſitiva ſibi vindicat ſcripturas exponere, vel juxta ſenſum litteralem, vel juxta Sanctorum Patrum auctoritatem, & explicationem, ideo poſitiva appellatur, ideſt, expoſitiva. Ultima vero, quæ etiam methodica dicitur, juxta ſilogiſticam formam materiam aptat, atque ita ad Dei, divinorumque notionem media fide perducit; qua propter non eſt ſermo Dei, qualis eſt divina ſcriptura, ſed eſt ſermo de Deo, ut dictum fuit. Hujuſce Theologiæ tanta dignitas eſt, ut tantum qui eam perfecte fuerit aſſequutus, Theologi nomen ſibi comparare, merito notaverint authores.

4. De ipſa vero plura ſolent Doctores inquirere & 1. Utrum ſit ſcientia. Qua in re Cajet. & Capreo. quantumvis afferant, imperfectam tantummodo ſcientiam eſſe, illam tamen propriam, veramque ſcientiam fatentur, eo pacto, quo loquuntur de aliis ſcientiis, quas dicunt ſubalternatas, pro quarum notitia nihil hic dicendum eſſe, conſultius exiſtimo, atque hanc opinionem tuentur communiter Sancti Thomæ Diſcipuli, & ex recentioribus Eſparza, Cacheran. Puteobonel. Contrarium docuit Scot. in Prol. Durand. Ocham. Marſil., atque hoc, ſi de re, non de nomine, quæſtio promoveatur, ſentiendum eſſe, firmiſſime judico. Rationem facillimam, atque clariſſimam exhibeo, etenim juxta Ariſtotelis, aliorumque Philoſophorum ſtatuta, ſcientia eſt cognitio, per quam evidenter, & immobiliter objectum proponitur, ita ut intellectus certe & intime rem cognoſcat, atque ad aſſentiendum impellatur. Porro Theologiam hujuſmodi non eſſe conſtat, ſi perpendamus, aſſenſum Theologicum vel in duas propoſitiones, quæ divina fide creduntur, vel ſaltem in unam propoſitionem fidei, cui certe evidentia non convenit, reſolutum haberi; ſi primum, erit obſcura concluſio, ſicut ſunt obſcuræ præmiſſæ; ſi ſecundum, concluſio in certitudine præmiſſam naturalem, in obſcuritate præmiſſam fidei ſequetur, cum ſequatur debiliorem partem, proinde &c.

5. Id huic ratiocinio reſpondent, quod pro aſſerenda ſcientia ſubalternata, tanquam vera ſcientia, proferre ſolent, videlicet concluſionem Theologicam, non in ſe ipſa, ſed in principiis ſcientiæ ſubalternantis, evidentem eſſe, ſicut in geometriæ principiis evidens eſt perſpectiva. Futilis tamen omnino reſponſio; 1. Enim ſequeretur, etiam fidem noſtram ſcientiam eſſe, quia, quæ per fidem obſcure cognoſcunt viatores, clare videntur a beatis. 2. Quia ſcientia ſubalternata juxta principia Scotica non eſt vera ſcientia, niſi in habente ſubalternantem, de qua re nihil hic tradendum videtur, ne cum Theologi ſimus, ſermonem ad leviora protrahamus. Tandem falſum eſt, Theologiam eſſe ſubalternatam reſpectu viſionis beatæ, de quo infra.

7. Interea prætereundum non cenſeo, quod in decernenda Superiori dubitatione docuit Henric Gandav. quod lib. 12. quæſt. 2. Voluit iſte, eſſe in Theologis medium quoddam lumen inter lumen fidei, & lumen gloriæ, quo evidenter fidei aſſertiones cognoſcant, ac proinde Theologicarum concluſionum evidentiam aſſequantur. Dari autem

tem hoc lumen probat duplici Sancti Auguſtini teſtimonio. 1. Super verba Joan. cap. 1. *Erat lux vera* ait. *Aliud eſt lumen ad credendum, aliud ad intelligendum*. Et ibidem ſubdit, lucem increatam homines illuminare, parvulos quidem lumine fidei, quo lacte veluti nutriantur, majores vero lumine ſcientiæ, quo, tanquam cibo ſolido utantur, quove præditus dicebat Apoſt. 1. ad Corint. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos*. 2. In lib. contra epiſ. Fundam. cap. 14. ubi inquit. *Ego catholicam fidem profiteor, & per illam ad certam ſcientiam me perventurum præſumo*. Neque videtur ratio deeſſe. Deus enim multo minus, quam natura, deficit in neceſſariis, neceſſarium autem eſt contra infidelium, & hæreticorum errores fidem defendi, quod cum fieri nequeat per ſolum lumen fidei, nec per ſolam Dei cognitionem, quæ fidelibus omnibus communis eſt, debet in majoribus eſſe aliquod lumen clarius lumine fidei, & hoc erit Theologia, tanquam vera ſcientia.

7. Præter omnes alios Doctores, qui unanimi conſenſu lumen iſtud reiiciunt, totus eſt Durandus in eo non ſolum obſcurando, ſed etiam extinguendo; & jure merito. Lumen hoc omnino fictitium eſſe quiſquis intelliget, vel enim daretur, ut foret utile perſonis illud habentibus, vel toti communitati, non primum, quia ne Deus, diceretur acceptator perſonarum, deberet illud æqualiter omnibus, ſe æqualiter diſponentibus per meritum vitæ, & per exercitium ſtudii in Sacris Scripturis impertiri, experientia autem compertum eſt, multos optimo ingenio præditos, & in ſacris litteris quem maxime verſatos hujuſmodi evidentiam in articulis fidei non habere, & fateri debent cum Apoſtolo, ſe nunc videre per ſpeculum in ænigmate; non ſecundum, quia ſi foret ad communitatis utilitatem, eo pacto, quo ſunt gratiæ gratis datæ, deberet per proprium actum manifeſtari, ſicut manifeſtantur iſtæ, de quibus Paulus ad Corint. 12. *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*; at pariter experientia liquet, Doctorem nullum poſſe hujuſmodi evidentiam propoſitionum fidei alios edocere, quo ſatis evincitur, neque in ipſo hanc evidentiam reperiri, ſignum enim evidenter ſcientis, eſt poſſe evidenter perſuadere, ut lib. 1. Metaph. tradit Ariſt. Secundo peto ab Henrico. vel iſtius luminis beneficio Theologi intellectus firmaretur, ut ſine formidine fidei myſteriis aſſenſum præberet, vel ut in aſſentiendo eſſet immobilis, nec poſſet diſſentiri, quod proprium eſt evidentiæ, non primum, nam pro hoc ſatis eſt lumen fidei; præſertim intenſæ, qualis eſſe ſolet in doctis Theologis, ea perſpicientibus, quæ fidem conſequuntur, & quibus fides iſta defendatur; non ſecundum, quia plures etiam doctiſſimi ab aſſenſu fidei receſſerunt. Tandem Henrici doctrina expreſse opponitur textui Pauli ſuperius adducto, quem perpendens Gregor. Nazian. in orat. de dogm. & ſtatu Epiſcoporum, hæc habet. *An quiſquam eſt mortalium, qui in eam ſublimitatem efferri poſſit, ut ad Pauli gradum perveniat? At ille tamen videre ſe per ſpeculum, & in ænigmate dicit, tempuſque fore, quo facie ad faciem videat*. Et S. Auguſtin. epiſt. 85. inquit. *Ad Trinitatem videndam, quantumlibet in hac vita proficiamus, per ſpeculum erit, & in ænigmate quod videbimus*. Per quæ verba non ſolum excluditur cognitio intuitiva, ſed etiam abſtractiva, quæ ſit evidens.

8. Nunc vero reſpondendum argumentis; atque qualis fuerit Auguſtini mens, facile colligitur, niſi ſibi ipſi, quod nefas eſſet, contradixiſſe fateamur; quod magis aſſerendum, ſi perpendamus ea, quæ habet 9. de Trinit. cap. 1. ubi ait; *De credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temrita-*

te affirmemus. temeritas autem non eſſet aſſerere quæ intelligimus, ſi per Theologiam evidenter, ac ſcientifice intelligeremus. Voluit itaque præclariſſimus Doctor in laudatis textibus innuere, intelligi res creditas per Theologiam exactiori quodam modo, cum Theologus ea etiam cognoſcat, quæ fidem conſequntur, & quibus fidei dogmata non quidem evidenter poſitive, ſed ſolum negative, contra hæreticos propugnantur, & docentur, per quod refellitur argumentum a ratione deſumptum. Quod vero in aliis auctoritatibus additur, facile ſolvitur, dicendo, ad certam ſcientiam perventurum ſperare, quæ habeatur in patria, non in via; vel ad certam ſcientiam negative, non poſitive. Si autem verba Pauli perpendantur, Theologia ſapientia erit, quod aſſerunt Richar. in prol. ſent. quæſt. 2. & Alenſ. 1. p. q. 1. non vero ſcientia.

9. Dixi in reſponſione dubio propoſito, *ſi loquantur de ſcientia in re*. etenim ſi ſermo ſit de ſcientia quantum ad nomen, fateor, Theologiam hujuſmodi appellationem ſibi vindicare. Ita fuit appellata in veteri teſtamento; Sap. 10. *Dedit illi ſcientiam ſanctorum*. Jerem. 3. *Dabo vobis paſtores, qui paſcant vos ſcientia, & doctrina*. Ita in novo. 2. ad Corint. 8. *Abundetis fide, ſermone, & ſcientia*. 13. *Sive prophetiæ evacuabuntur, ſive ſcientia deſtruetur.* Ex alia parte ea etiam, quæ ſola fide noſcuntur, ſolet Scriptura Sacra ſcientiæ tribuere. Sic Jobi 19. *Scio, quod Redemptor meus vivit*. 1. Reg. 24. *Scio, quod certiſſime regnaturus ſis*. Joan. 11. *Scio, quod reſurget in noviſſimo die*. Ratio autem eſt, quia licet Theologia propter inevidentiam aliis facultatibus ſit imperfectior, abſolute tamen propter ſummam certitudinem, quando utraque præmiſſa eſt de fide, & propter rerum nobilitatem, de quibus agit, alias excedit quaſcumque.

10. Quæritur 2. ut Thomiſtis ſatiſfiat, an Theologia beatorum ſcientiæ, ſicut ipſi defendunt, ſit ſubalterna, & quamvis dubitatio hæc ſatis reſoluta ſit, cum, Theologiam ſcientiam eſſe, negatum fuerit, nihilominus amplius dico, falſum omnino eſſe quod ab ipſis aſſeritur, ſi proprie loquamur, *proprie* inquam, etenim ſubalternatio impropria convenit cuicumque ſcientiæ inferiori reſpectu ſuperioris, in quo ſenſu omnes ſcientiæ naturales dici poſſunt ſubalternæ Metaphyſicæ, cum hæc habeat objectum univerſaliſſimum, nimirum ens, atque ita, ſi placet, explicari poteſt S. Th., quem pro ſe ſui aſſerunt ſectatores. Ad probandum aſſertum noſtrum plures rationes ab authoribus congeruntur. Ego tamen unica contentus ero, quam ſic expono. Non ſpectat ad ſcientiam ſubalternantem eſſe non poſſe in eodem ſubjecto cum ſubalternata, ut patet exemplis, atqui ad ſcientiam beatam ſpectat, eſſe non poſſe in eodem ſubjecto cum Theologia, ergo. prob. mi. ad ſcientiam beatam ſpectat, eſse non poſse cum fide, a qua neceſsario dependet Theologia, ergo etiam ſpectat &c. Neque obſtat, quod ait Hierony. in epiſt. ad Paulinum. *Diſcamus in terris, quorum ſcientia perſeverat in cælis*. Hoc enim verum eſt, ſi loquamur de ſcientiæ objecto, & de ejusdem fructu, nam, *qui elucidant me, vitam æternam habebunt*; non vero de ſpeciali, propriaque notione.

11. Contra poſitam rationem pro omnibus inſurgit Joan. a S. Th. diſp. 2. quæſt. 1. art. 5. num. 27. dicens, Theologiam noſtram haberi per principia fidei tantum per accidens, propter ſubjectum, in quo eſt, non autem per ſe, & natura propria, indifferens eſt enim, vel ut conjungatur cum lumine fidei, & ſit inevidens, vel cum lumine gloriæ, & ita ſit evidens, eo pacto, quo charitas in via media fide inclinat in actus, in patria vero media viſione, & dona Spiritus Sancti in via permanent depen-

den-

denter a fide, in patria vero dependenter a gloria.

12. Sed refellitur hujuſmodi reſponſio, negando aſsumptum; quod enim neceſsario, & ut ajunt eſsentialiter, convenit rei, per ſe illi convenit, Theologia autem, cum ſit ſermo de Deo ex principiis fidei, ab iſtis ita dependet. Paritates allatæ non tenent, ibi enim agitur de habitibus per ſe infuſis, qui ſub diverſo lumine ſuos poſsunt actus cauſare, in noſtro vero caſu ſermo eſt de habitu per ſe acquiſito, qui, niſi ad habendos actus ſimiles iis, per quos comparatus fuit, poteſt perſeverare, fuit autem comparatus per actus a principiis fidei dependentes, igitur ſine iſtis perſerverare non poteſt.

13. Quæritur 3. an Theologia ſit neceſsaria.

Antequam reſponſum detur, iterum quæro, an fiat interrogatio ſpectans ad totam Eccleſiam Chriſti, vel ad ſingulos fideles, ut inquiunt in individuo, & rurſus, vel ad Theologiam in ſui ſubſtantia ſpectatam, vel in methodo expoſita a Magiſtro ſententiarum, deinde ab aliis ſcholaſticis explicata, diſtributa. Quantum ad primum.

14. Reſp. Theologiam in ſui ſubſtantia eſſe neceſſariam abſolute in præſenti providentia ad totam Eccleſiam, dico in præſenti providentia, quia procul dubio aliter potuiſſet Deus ſuam Eccleſiam ſervare, fidemque, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere, tueri. Oſtenditur primo ex Sacris Scripturis, ait enim Apoſt. ad Epheſ. 4. Chriſtum dediſſe Eccleſiæ *Doctores ad conſummationem ſanctorum*, donec omnes occurramus in virum perfectum; & ad Titum I. *Oportet, Epiſcopum eſſe amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*; Quod certe ſine Theologia fieri non poſſe, nemo refragabitur. Demonſtratur ſecundo ex Sanctorum Patrum teſtimoniis; Ex pluribus eligam duo, Ambroſii unum, Auguſtini alterum. Perpendit ille verba Luc. cap. 5. *Duc in altum*, & ſubdit. *Hæc autem, quæ Apoſtoli jubentur laxare retia, verborum ſunt complexiones, & quaſi Sinus quidam orationum, & diſputationum receſſus, quibus fideles, quos receperint, non amittant*. Auguſtinus vero lib. 14. de Trinit. cap. 1. clarius inquit; *Per eam fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Ex quibus omnibus facile argumentum ſic confici poteſt. Quod neceſſarium eſt ad fidem, neceſſarium eſt ad totam Eccleſiam Chriſti, ſed Theologia in ſui ſubſtantia neceſſaria eſt ad fidem, ergo: ambæ præmiſſæ probatæ ſunt.

15. Reſp. 2. Singulis fidelibus in individuo non eſt neceſſaria Theologia; manifeſtum eſt hoc, nec enim omnes, qui ſalvi fiunt, neceſſe eſt, ſint Theologi; immo ſurgunt indocti, & rapiunt cælum; In hac tamen reſponſione latere poteſt aliqua æquivocatio, etenim in aliquo ſenſu omnibus dici poteſt neceſſaria juxta dicta ſuperius, non tamen in hoc, quod illam omnes debeant poſſidere, ſicut omnibus neceſſarium eſt, Principem eſse in regno, non tamen neceſsarium eſt, omnes eſse Principes.

16. Reſp. 3. Theologiam ſpectatam juxta methodum a ſcholaſticis traditam, neceſsariam non eſse, valde tamen utilem eſse judicandam. Prima pars in dubium revocari non poteſt, cum fideles ſalutem aſsequerentur per ſolas ſcripturas, & traditiones juxta Patrum expoſitionem. Secunda vero eſt contra omnes ſectarios, qui eam ſibi infenſiſſimam experientes, innumeris calumniis ſunt perſequuti. Lutherus in lib. de abrog. miſ. priv. vocat academias, & univerſitates, *Antichriſti lupanaria*. Theologiam vero *ignorantiam veritatis, & in-*

& inanem fallaciam. Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 2. ſec. 2. tractans de fide ait: *Theologos ſcholaſticos velut obducto velo Chriſtum texiſſe, & plurima mala illis ferri debere*. Melanct. in apolog. contra Pariſienſ. eam appellat *profanam mulierem Pariſiis natam, evangelium obſcuraſſe, & fidem extinxiſſe*. Non ſunt tamen inanes hujuſmodi latratus audiendi; Quid enim mirum ſi Theologiam lacerant, qui Eccleſiam Chriſti dilaniare non deſinunt? Nihil Theologiæ Patrum addit Scholaſtica, niſi in rebus ordinem, diſtinctionem, diſſerendique formam, quam ars recta præſcribit, hæc autem omnia, ſi in facultatibus cæteris plurimum afferunt utilitatis, etiam in Theologia id præſtare nemo prudens ibit inficias. Omittamus autem argumenta plurima, quæ pro hac re proferri poſsent, & audiamus quid dixerint Caſſiodorus, & Clemens Alexandrinus; Ait primus in lib. divinarum lectionum; *Eos catholicos Magiſtros ſtudioſiſſime legamus, qui propoſitionibus factis ſolvunt obſcuriſſimas quæſtiones*. Secundus vero 4. Stom. 5. inquit; *Eam, quæ una cum fide convenit, quæſtionem, quæ ſupra fundamentum fidei ſuperædificat, ſplendidam, ac magnificam veritatis cognitionem, optimam eſſe ſcimus*. Porro hæc Scholaſticæ maxime convenire, compertum eſt.

17. Sicut vero unaquæque facultas ſuorum fontes habet argumentorum, ita & Theologia, qui propterea Theologica loca nuncupantur. Hæc juxta diverſos auctores plura, vel pauciora recenſentur, Ego tamen exiſtimo, ſeptenario numero ſatis explicari; ſunt autem ſacra ſcriptura; traditio; decreta Summorum Pontificum, definitiones Conciliorum generalium, quæ ſint a Summo Pontifice confirmata, concors Sanctorum Patrum ſententia, ſenſus communis fidelium, ut fidelium, & tandem ipſa veritas naturalis certa, & evidens, dummodo ipſi uniatur veritas fidei ex aliis ſuperius recenſitis locis deprompta. Prima ſex ſunt loca intrinſeca, & de potioribus a nobis in primo tomo pertractatum eſt: Ultimus vero extrinſecus.

18. Quid ſit ſcriptura, quid traditio, non eſt cur exponam. Hic unice addam, in ſcriptura ſacra quatuor ſenſus adinveniri, hiſtoricum unum, ſeu litteralem, ſpiritualem alium, qui in tres dividitur, nimirum allegoricum, tropologicum, & anagogicum, de quibus omnibus inquit Liranus in 3. prologo Bibliorum

Littera geſta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quid ſperes anagogia.

exemplum habetur ſatis evulgatum in hac voce *Jeruſalem*, quæ juxta litteram ſignificat civitatem, in qua Servator mundi morte ſua mortem omnium ſuperavit, juxta allegoriam, Eccleſiam ſub Chriſto Duce, ac capite militantem, juxta moralem, animam fidelem, juxta anagogicum ſenſum, eccleſiam in cælis triumphantem. Hoc tamen in omni ſcripturæ voce nequaquam contingit, nam reperiuntur aliquæ, quas ſolum juxta litteram explicari licet, aliquæ vero, quas ſolum juxta ſenſum ſpiritualem, ita ut, aliquando occideret ſpiritus, ſi illa verba, *Hoc eſt corpus meum* ſpiritualiter intelligeres, occideret littera, ſi illa verba, *fecit potentiam in brachio ſuo*, litteraliter explicares; & ita de reliquis; Uterque ſenſus eſt locus aptus, a quo ſuas Theologia deferat argumentationes, aptior tamen litteralis, nam, ut ſpiritualis ita ſe habeat, requiritur, certo nobis conſtare, ſenſum illum eſse legitimum, & a Spiritu Sancto intentum, quod non contingit, niſi, vel ex alio ſcripturæ textu, vel ex ſacra traditione, vel Ecle-

cleſiæ definitione communique Patrum auctoriate declaretur.

De obiecto Theologiæ nihil modo, cum facile ex ejuſdem definitione innoteſcat, ſicut, utrum ſit practica, vel ſpeculativa, ne tempus proteram, non inquiro. Hiſce igitur brevi calamo expoſitis.

QUÆSTIO I.

De exiſtentia, & eſſentia Dei.

ARTICULUS I.

Utrum Deum exiſtere poſſit demonſtrari.

1. Duplicem eſse demonſtrationem, a priori unam, alteram a poſteriori dictam, conſtat ex iis, quæ logici tradunt; Illa per cauſam eſt, hæc per effectum. Exiſtentiam Dei a priori demonſtrari non poſse, Theologorum omnium ſubſcribitur calamo. Quæ enim cauſa Deo prior cogitari poteſt? num phyſica? jam Deus non eſset, ſi ab aliquo, tamquam a cauſa, Deus produceretur; num metaphyſica? at hæc qualis eſset? vel ipſa eſsentia, a qua, velut a radice originem duceret exiſtentia, vel poſſibilitas, ſeu non repugnantia ad exiſtendum; at non primum, quia eſsentia & exiſtentia per me neque in creaturis diſtinguuntur, niſi ſecundum nomen, multo minus in Deo; & quæſtio de aliqua re, *an ſit* prior eſt quæſtione, *quid ſit*. Rurſus eſsentia, ſeu quiditas Dei eſt nobis ignota juxta verba Dionyſii cap. 7. de divinis nominibus. *Veraciter dicimus, nos Deum non ex ipſius natura cognoſcere, ignota enim eſt, omnemque ſuperat rationem, & ſenſum.* Per id autem, quod ignotum eſt, aliquid nequaquam poteſt oſtendi; ſed neque ſecundum, cum nequeat excogitari hæc poſsibilitas, ſeu non repugnantia in Deo, nam ubi eſt abſoluta neceſſitas exiſtendi, idem eſt exiſtere, quod poſse exiſtere. Supereſt igitur inquirendum, utrum hujuſmodi demonſtratio haberi poſſit a poſteriori; Qua in re, licet philoſophica potius cenſenda ſit.

2. Sentiendum affirmative contra Diagoram, Protogoram, Prodicum, Euhmerum, Theodorum, cognomento Atheum, Epicurum, quos memorat Sextus Empiricus lib.8. rurſus contra Petrum de Aliaco in 1. diſ. 3. q.5. & Rabi Moyſ. lib.6. ſuæ Philoſoph., ut refert S. Th. q.10. de verit. art.12. Utinam & noſtris hiſce temporibus alii non ſint, qui dicant in corde ſuo, non eſt Deus; ſed ſunt, eoque magis formidandi, quod non palam, ſed occulte majore impunitate graſſantur.

Plurima autem ſunt momenta, quibus Doctores Catholici, ſanctique Patres Dei exiſtentiam demonſtrare ſtuduerunt, ut videri poteſt apud Clem. Alexandr. in oratione hiſtorica ad Geneſ., Athanaſ. in orat. contra Idola., Gregor. Nyſſen. in diſput. de anim. & reſurrect., Auguſt. lib.8. de Civit. cap.6., quæ tamen omnia ad ea reducuntur, quæ hic Sanc. Th. & Scot. recenſent, & apud omnes alios communiſſime reperiuntur.

3 Prima ratio deſumitur a motu, & ſic exponitur. Eſſe debet in rerum natura unum, quod moveat omnia, & iſtud a nullo moveatur, ſed hoc eſt Deus, ergo debet eſſe Deus, probatur maj. Omne, quod movetur, ab alio movetur, nam, quod movet, dicitur in actu, quod vero movetur eſt in potentia, repugnat autem, aliquid eſſe ſimul in potentia & in actu, ſed omnes motus illius, quod ab alio movetur, debent eſſe ab aliquo primo movente, quod a nullo moveatur, ergo. Ita ex Ariſt.7. & 8. Phyſic., & Plat. 10. de legibus.

4. Secunda ratio deſumitur ex notione cauſæ efficientis, & ſic promovetur. Datur ens productum, quod eſt ab

ab alio, ergo debet dari ens improdu-ctum, quod ſit a ſe, anteced. patet experientia, illatio vero oſtenditur, quia ſi datur ens productum, & ab alio, debemus tandem ad unum, quod ab alio non ſit, devenire, ſecus idem eſſet cauſa ſui ipſius, ita Ariſt. 2. Metaph. tex. 6. & S. Anſelm. in Monol. cap.3.

5. Tertia ratio deſumitur ex conceptu contingentis, & neceſſarii, & ſic declaratur; Datur ens neceſſarium, quod ſuæ neceſſitatis cauſam non habet, ſed hoc ab omnibus dicitur Deus, ergo: probatur prima pars maj. datur ens contingens, ergo etiam ens neceſſarium, ant. conſtat, videmus enim quædam ita eſſe, ut non fuerint, & potuerint non eſſe; probatur conſ. Omne contingens aliquando fuit nihil, & nihil ſemper fuiſſet, niſi fuiſſet ab aliquo determinatum ad exiſtendum, ſed non potuit determinari niſi ab aliquo neceſſario, quia ſi contingens aliquando nihil fuit, certe non potuit, vel ſe, vel aliud a ſe diſtinctum determinare, ergo: Probatur ſecunda pars prædictæ maj. Hoc ens neceſſarium vel habet cauſam ſuæ neceſſitatis, vel non, ſi hoc dicatur, eſt id, quod aſſerimus, ſi dicatur primum, hæc cauſa debet eſſe primum ens neceſſarium, & ſic idem, quod ſupra.

6. Ad hæc momenta infringenda ad duo confugiunt adverſarii; vel ad proceſſum in infinitum, vel ad mutuam cauſalitatem; Si enim admittatur proceſſus in infinitum in cauſis, eſſe poſſunt motus, productio, & contingentia, quin unquam ad motorem immobilem, ad cauſam improductam, & ad ens neceſſarium deveniamus, quia ſic nunquam poſſumus ad primum pervenire; Si vero admittatur mutua cauſalitas, idem poteſt producere, ac produci, movere & moveri, & hoc pacto corruunt omnia, quæ ſuperius dicta ſunt.

7. Hujuſmodi reſponſio, quæ unica eſt, paululum immoremur, expoſtulat. Sed primo ſciant, etiam admiſſo hujuſmodi proceſſu in infinitum, nihil omnino contra nos evinci poſſe. Sic probo. Si darentur tantum determinati effectus producti, rationes noſtræ concluderent, ergo etiam, ſi daretur proceſſus in infinitum in effectibus productis, quidquid enim dicitur de uno tantum effectu producto, dicitur de quovis etiam in infinitum procedendo, nam ſemper verum erit, quilibet effectus in infinitum productus eſt, quilibet ab alio movetur, quilibet eſt contingens, & licet mens noſtra illum determinare non poſſit, attamen in re ita eſt; Rem declaremus exemplo. Si daretur proceſſus in infinitum in amentibus, vel in ſubditis, qui ab alio regerentur, adhuc proceſſus iſte, eorum rectorem demonſtrari poſse non prohiberet, neque in omnibus in hoc proceſſu inveniri poſſet, qui regeret, ergo etiam, ſi daretur proceſsus in infinitum in rebus productis, iſte demonſtrari poſse eorum productorem non prohiberet, neque in omnibus in hoc proceſſu inveniri poſset, qui produceret; ratio autem eſt, quia moveri, produci, & eſse contingens eſt prædicatum eſsentiale, quod ſicut convenit uni, ita convenit omnibus, etiamſi procedamus in infinitum. Non poſsumus quidem oſtendere primum inter illa, in quibus admitteretur; poſset tamen, ac deberet oſtendi primum extra illa, ſicut in exemplis adductis.

8. Verum, ut auctorum doctrinam proferamus, rem magis perpendere liceat, inquirendo, utrum hujuſmodi proceſsus admitti poſſit. Qua in re adnotandum eſt, duplex eſse cauſarum genus; Unum earum, quæ dicuntur per accidens ſubordinatæ, alterum earum, quæ dicuntur tales per ſe; Primi generis ſunt illæ, quarum una ita pendet ab alia in ſui productione, ut potuiſset non dependere, non vero dependet in ſui conſervatione, & operatione; ita ſe habent om-

omnes cauſæ univocæ, & ex. gr. hominum generationes. Secundi generis ſunt illæ, quarum una non dependet ab alia eſsentialiter, non ſolum in ſui productione, ſed etiam in conſervatione, & actione, ut optime advertit Scot. in 1. diſt. 2. q. 2. Proceſsum in infinitum in utroque cauſarum genere admitti non poſse, late probat Suarez in metaphyſicis diſputation. diſp. 29. de ente increato; nihilo tamen minus eo tranſmiſſo tanquam poſſibili in cauſis ſubordinatis per accidens, admitti non poteſt in illis, quæ ſunt ſubordinatæ per ſe, & iſte tantum ad ſummum vim noſtrarum demonſtrationum deſtrueret, nam cum probamus ex creaturis Deum ſub nomine cauſæ primæ, illum probamus tanquam cauſam æquivocam, & ſuperiorem. Hujuſmodi autem proceſsum repugnare, jam oſtendo.

9. Primo, quia ſi admitteretur, quotieſcunque una cauſa agit, omnes cauſæ ſimul influere deberent, & dum v. g. motu leviſſimo formica movetur, infiniti forent influxus, qui eodem inſtanti infinitam cauſarum, & effectuum ſubordinatorum ſeriem pertranſirent, quod omnino falsum eſt, nec niſi ex pertinacia negandi exiſtentiam Dei excogitari poteſt. Secundo, non poteſt una cauſa alteri ſubordinari per ſe, ſi inter utramque mediant aliæ cauſæ infinitæ, influxus ſiquidem cauſæ ſuperioris deberet cum ordine, & ſucceſſione omnes cauſas intermedias pertranſire, ut ad iſtam determinatam perveniret, ſed hoc fieri non poteſt, quia, ut ajunt Philoſop. infinitum pertranſiri non poteſt, ergo. Denique admiſſo in hiſce caſibus proceſſu, iſtæ eſſent ſubordinatæ, ut ſupponitur, & non eſſent, quia nunquam ad aliquam deveniremus, cui omnes ſubordinarentur, ſicut autem ſine cauſa principali inſtrumentalis reperiri non poteſt, ita non poteſt eſſe cauſa ſubordinata ſine cauſa non ſubordinata ſi ergo in univerſo dantur hujuſmodi cauſæ ſubordinatæ, dari etiam debet cauſa non ſubordinata, & hæc eſt Deus.

10. Quod vero ſpectat ad mutuam cauſalitatem, rem phyſicis dirimendam relinquimus. Hanc repugnare, ſaltem in eodem genere cauſæ efficientis, eſt tanquam dogma apud celebriores philoſophos, quibus addo S. Anſelmum cap. 3. Monol. ubi inquit. irrationabilis cogitatio eſt, quod aliqua res ſit per illud, cui dat eſſe. Verum, etiam hac non negata, noſtræ rationes ſubſiſterent, quia hæc ipſa mutua cauſalitas ab alio eſſe deberet & recurrit tota doctrina ſuperius allata. Et mirum eſt, Deum negari, pro cujus exiſtentia tot ſunt argumenta, pauca vero in oppoſitum, & mutuam cauſalitatem aſſeri, contra quam tot ſunt rationes, nullum vero momentum.

11. Quanquam vero alia non deſint quæ pro veritate a Theologis ſtatuta afferri poſſent, ut eſt quod profert Ariſt. 2. met. tex. 4. & S. Anſelmus in Monol. cap. 1. & 4. nimirum, dari in univerſo tot rerum gradus, ut in ipſis inveniatur magis, vel minus nobile, proinde etiam reperiri debere nobiliſſimum, juxta cujus majorem propinquitatem cætera nobilitatem ſuam ſortiantur, ſicque Deum, & aliud, quod inſinuat idem Ariſt. 12. Met. tex. 52. nimirum, gubernationem, harmoniam, ac venuſtatem univerſi, quæ, niſi ab aliqua ſuperiori mente procederent, ſervari non poſſent; attamen omnia omittendo, illud præterire non placet, quod ait Plato in Parmenide, jam a me prolatum in Platonis Ethicam quæſt. 2. art. 1. Ratio eſt ſimul metaphiſica, & aritmetica ex multitudine rerum deſumpta. Hæc eſt, inquit, proprietas unius, & multitudinis, ut ablato uno, multitudo, ſeu numerus neque ſit, neque cogitari poſſit, & ita etiam ablato uno rerum omnium principio res aliæ nullo modo eſſe poſſent; & ſicuti ex numero, ſeu

ſeu multitudine concludimus neceſſitatem unius, quin eſſent cætera, ita eſſet Deus, quin eſſent alia; & tandem, ut redeam ad proceſſum in infinitum, de quo ſupra, poſſumus quidem in numeris procedere in infinitum aſcendendo ad alios numeros, non tamen deſcendendo, quia ſemper ab uno debemus incipere, ita in creaturis procedere poſſumus in infinitum, quatenus, quacumque producta creatura poteſt alia & alia produci, non tamen alio modo, quia tandem cogimur ad agnoſcendum harum creaturarum principium, in quo tantum tenet exemplum.

12. Hæc profecto fuit tam Canonicorum ſcriptorum mens, quam Sanctorum Patrum perpetua ſententia, ita ut, etsi ad exiſtentiam Dei demoſtrandam nullam rationem excogitaremus idoneam, adhuc demonſtrari poſſe, affirmare deberemus. Quid enim legitur Job 36.? *Omnes homines vident eum, unuſquiſque intuetur procul.* Quid ſapien. 13.? *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Quid ad Rom. 2.? *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Perpende modo Sanctos Patres, & invenies apud Gregorium Nazianzenum orat. 2. de Theol. *Nimis abſurdus, & præpoſterus eſt, qui argumentis naturalibus non cedit, & inficiatur Deum*: apud Damaſcenum lib. 1. præter multa, hæc perſpicua verba. *Si creata ſunt, plane ab aliquo condita ſunt, oportet autem conditorem increatum eſſe, nam ſi etiam ille creatus eſt, omnino ab aliquo creatus eſt, donec ad increatum aliquid procedendo, pervenietur. Hoc vero quid aliud poteſt eſſe, quàm Deus?* En Sanctum Doctorem excludere proceſſum in infinitum, mutuamque cauſalitatem; apud Edmundum Cantuarienſem Epiſcopum in ſpeculo Eccleſiæ cap. 27. hæc alia. *Qualibet die vides aliquas creaturas tranſire & aliquas venire, & quia omnes res ſunt, & a ſe ipſis non ſunt, ideo oportet neceſſario, quod una res ſit, quæ dat omnibus eſſe, hoc eſt, a qua omnia ſunt, quæ nunquam principium habuit.* Eodem pacto loquuntur alii innumeri, quos propterea afferre ſupervacaneum videtur.

13. Ex his præcipua adverſantium fundamenta convelluntur; ſupereſſe tamen apparet aliqua, quæ modo ſubdemus, & primo videtur falſa illa propoſitio adducta in prima probatione, *idem*, nimirum, *eſſe non poſſe ſimul in actu, & in potentia.* Etenim in ea, vel eſt ſermo de motu locali, & ſic eſt falſa, cum idem Angelus ſecundum ſui ſubſtantiam ſit in loco, & moveatur ad locum, itaque eſt ſimul movens, & motus; vel eſt ſermo de quovis alio motu, etiam conjuncto cum effectu, & ſic etiam eſt falſa, nam eadem voluntas per reſpectum ad ſuos actus movet ſe, & movetur ad illos recipiendos, videlicet, eſt in actu virtuali, quatenus in virtute ſua illos continet, eſt vero in potentia formali; ex illo igitur principio nihil probatur.

14 Sed contra. Vel eſt ſermo de motu immediato, ita ut omne, quod movetur, ab alio immediate moveatur, & ſic illa propoſitio non eſt evidens, niſi probando concurſum ſimultaneum immediatum cauſæ primæ ad quamcumque actionem cauſæ ſecundæ; vel eſt ſermo de motu mediato, ita ut omne, quod movetur, ab alio mediate moveatur, quia receperit ab alio perfectionem illam, per quam ſe movet, & ſic propoſitio illa evidens eſt, ſicuti evidens eſt, unumquodque, quod movetur, eſſe productum.

15. Secundo opponitur, nullam creaturam habere poſſe proportionem cum Deo, illa enim finita eſt, hic infinitus, illa ſaltem loquendo de iis, quæ nobis innoteſcunt, eſt corporea, circumſcripta loco, hic autem incorporeus, immenſus, & ſic perpendendo alias Dei per-

perfectiones, igitur per nullam creaturam poteſt demonſtrari Deus.

16. Sed contra. Fit tranſitus in argumento a quæſtione, *An ſit Deus* ad quæſtionem, *Quid ſit Deus*. Quamvis per ſe primo quælibet perfectio in Deo per rationes noſtras non probetur, quod modo non inveſtigamus, probatur tamen eſſe Deum, quod nobis ſufficit. Dixi, *per ſe primo*. Quia ſemel demonſtrata exiſtentia Dei ſub ratione cauſæ primæ, & improductæ, facile per alium diſcurſum hanc eſſe infinitam, incorpoream, immenſam concludimus, ut ſuo loco oſtendemus.

17. Tertio opponitur ſic. Quamvis omnis numerus ab alio numero excedatur, attamen non poteſt eſſe aliquis numerus, qui omnes excedat, & ab alio numero non excedatur, ergo quamvis, quidquid producitur, ab alio producatur, non poteſt tamen eſſe aliquod producens, quod omnia producat, & ab alio non producatur. Præterea. De omni numero, & poſſibili dici poteſt excedi ab alio numero, & poſſibili, non tamen de omni collectione, ergo de omni creatura dici poteſt, ab alio produci, non tamen de omni collectione creaturarum.

18. Sed contra. Perpendatur ultima ratio adducta juxta Platonem, perpendatur quod dictum eſt de proceſſu in infinitum in cauſis per ſe ſubordinatis, & per accidens, atque reſponſio utrique argumento data eſt, præſertim quod, dum agitur de prædicato eſſentiali, quod convenit uni, convenit omnibus.

19. Quarto opponitur id, quod habetur in epiſt. Pauli ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*, ex quo infertur, exiſtentiam Dei ſpectare ad articulum fidei, ergo non conſtare per ſcientificam demonſtrationem, aut dicendum fore, Theologum, hanc demonſtrantem, carere merito fidei, niſi fidem & ſcientiam ſimul componi poſſe fateamur.

20. Sed contra. Potius dici deberet hoc ultimum, cum magis certum ſit, exiſtentiam Dei poſſe demonſtrari, quam fidem & ſcientiam ſimul eſſe non poſſe. Ad hoc tamen aſſerendum non cogimur. Primo, quia in textu ſermo eſt de Deo, ut authore ſupernaturali, ſicut, dum ſubditur, *& inquirentibus ſe remunerator eſt* intelligi debet de Deo, ut ſupernaturali remuneratore, de quibus certe ſcientia demonſtrativa non habetur. Secundo, quia, etiamſi ſermo eſſet de Deo, ut authore naturali, nihil probaretur, quia, ut notat S. Th. 2. 2. quæſt. 2. art. 4. in corp. *Neceſſarium eſt homini*, ſunt verba ejuſdem, *accipere per modum fidei, non ſolum ea, quæ ſunt ſuper rationem, ſed etiam ea, quæ per rationem cognoſci poſſunt*. Triplicem autem aſſignat rationem. 1. ut homo citius aſcendat ad divinorum notitiam, quam non niſi matura ætate, multaque conſideratione poteſt comparare. 2. ut hæc notitia univerſalior ſit, cum multi, vel propter ingenii tarditatem, vel propter alia incommoda nequeant in ſtudiis proficere. 3. ut habeatur major certitudo, quam ſupra ſcientiam præſtat fides. Ex hiſce conſtat, quo pacto in Theologo ſaltem pro temporis diverſitate fides, & ſcientia poſſint admitti; Neque unquam merito fidei defraudaretur, quia ſaltem affective fidem haberet, & paratus eſſet potius ad mortem ſubeundam, quàm ad Dei exiſtentiam negandam, quod non faceret, ſi ſolam ſcientiam haberet.

ARTICULUS II.

An eſſe poſſit ignorantia invincibilis exiſtentiæ Dei.

21. Qui profitentur, hanc propoſitionem, *Deus eſt* per ſe notam eſse non ſolum quo ad

ad ſe, verum etiam quo ad nos, ut plerique faciunt, volentes, ideam claram Dei omnibus hominibus inditam eſſe de qua re inquirant alii, difficultati propoſitæ locum non relinquunt, nec enim invincibiliter, immo nullo modo ignorare quis poteſt, qui clare & ut inquiunt, immediate cognoſcit. Suppoſita tamen aliorum Theologorum ſententia, propoſitionem illam, quo ad nos per ſe notam non eſse, niſi ſub aliquo conceptu communi, ideſt beatitudinis, & honeſtatis, quæritur, utrum exiſtentiæ Dei dari poſſit invincibilis ignorantia.

22. Porro duplex ignorantia diſtingui poteſt; una negativa, poſitiva alia, illa explicatur per inadvertentiam, quatenus aliquis de Deo non cogitet; Hæc verò per actum, quo aliquis, Deum exiſtere negat. Primam haberi poſse, ſaltem in aliquo individuo, loquendo metaphyſice, ſuſtinet Cacheranus, & ante ipſum docuit Gabriel a S. Vincentio, qui putat, hoc apud omnes ſcholaſticos eſse receptum. Si de hac re ſermo ſit pro aliquo brevi tempore, libenter aſsentior, cum nec detur præceptum, nec poſſit homo rationis uſum ſemper exercere. Si autem abſolute loquamur.

23. Sentiendum negative.

Primum momentum Scripturæ Sacræ ſatis tritæ nobis exhibent. Sap. 13. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, qui de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex*. Et paulo poſt. *Iterum autem, nec his debet ignoſci, ſi enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſeculum, quomodo hujus dominum non facilius invenerunt*. Pſalm. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt*. Ad Rom. 1. *Inviſibilia Dei &c. ita ut ſint inexcuſabiles*. Hæc autem omnia dici non poſsent, ſi dari poſset ignorantia invincibilis exiſtentiæ Dei, & quidem non ſolum poſitiva, ſed etiam negativa, igitur &c.

24. Hiſce ſcripturarum textibus Sancti Patres inhærentes ſuas protulere ſententias. Accipe Cyprianum tract. de vanitate idolorum, *Deum*, inquit, *ignorare non potes*. Accipe Baſilium in cap. 1. Iſaiæ. *Me non cognovit, qui cælo ennarante innoteſco, & per omnem creaturam nulli non palam ſignificor*. Accipe Athanaſ. orat. contra Idola ad Macarium. *Ipſa rerum natura exclamat, oſtenditque ſuum conditorem*. Omitto Hieronym. lib. 11. in Iſaiam, Auguſt. de ſpir. & lit. cap. 12. Gregor. Magnum in illud Jobi 36. *Omnes vident Deum* cæteroſque ferme innumeros.

25. Si vero rationem quæris, eam ſic propono. Ignorantia invincibilis excuſat a peccato, ut eſt certum apud omnes contra Janſenium lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ, at ignorantia exiſtentiæ Dei a peccato non excuſat; ut conſtat ex textibus ſuperius laudatis, ergo; Immo eſse poſset peccatum lethale, nimirum actus diſconveniens rectæ rationi, quin tamen eſset offenſa Dei, nemo enim moraliter offendit perſonam, quam invincibiliter ignorat, quod quam falſum ſit, compertum eſt ex propoſitione damnata ab Alexandro 8. 11. Auguſt. ann. 1690. quæ erat iſta. *Peccatum philoſophicum eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali &c. quantumvis grave in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei*. ergo. Amplius ſic. Dari poſset fortaſse ignorantia invincibilis exiſtentiæ Dei, ſi vel ad hanc cognoſcendam requireretur auditus, & externa prædicatio', vel in ea notitia comparenda eſset difficultas, at ex his neutrum, cum ſatis ſit, res videat, quæ conditæ ſunt, & quamvis lumine corporeo careret, ſe ipſum quiſque creaturam agnoſcat; quemadmodum enim, ſi recte inſtructam domum inſpiciamus, vel ſtatuam, ſtatim de ejuſdem artifice inqui-

quirere animo occurrit, ita ſi venuſtiſſimum univerſi ordinem intueamur, ſtatim de ejuſdem authore cogitare contingit; & hoc eſt quod docuit Euſebius lib.7. de præparat. Evangelii inquiens. *Sicut domum ſine artifice, & ædificatore, ita mundum ſine Deo non eſſe factum, compertum eſt*. Merito propterea dixit Propheta Pſ. 18. *Cæli ennarant gloriam Dei*. Hoc, quod innuit Gregor. lib. 7. Moral. cap.5. *Omnis homo, eo ipſo, quod rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui condidit, Deum eſſe*. Sed demus, rudi adeo ingenio detineri, ut demonſtrationem etiam materialem, ut ajunt, de Deo nequeat habere, ſaltem dubitabit, tunc vero tenebitur ad iniquirendum, ut dubium hoc expellere poſſit, quod facillime continget, præſertim in hac ſuaviſſima providentia, in qua vult Deus, omnes ad cognitionem ſui nominis pervenire, Quod ſi *dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus* pſ. 13. inſipientis nomine non intelligitur homo, qui careat naturali lumine, quod ſuper omnes ſignatum eſt, ſed homo peccator, qui impio corde negat Deum quamvis ore fateatur, in malevolam enim animam non intrabit ſapientia, & eſt vulgatum illud, omnis peccans eſt ignorans; ſed numquid invincibiliter? Nullo modo. Denique, ſi quis ignorare poſset exiſtentiam veri Dei, poſset etiam excuſari à cultu falſi Dei, conſequens eſt falſum, alioquin idolatria non eſset ſemper peccatum contra id, quod ait S. Th. 2. 2. quæſt. 93. art. 4. ad 1. ubi ait. *Quod cauſa diſpoſitiva idolatriæ fuit ex parte hominis naturæ defectus, vel per ignorantiam intellectus, vel per inordinationem affectus, & hoc etiam ad culpam pertinet*, ergo.

26. Op. 1. ex S. Auguſt. tract. 106. *Exceptis paucis, in quibus natura nimium depravata eſt, univerſum genus humanum Deum mundi hujus fatetur authorem*. adnotentur illa verba, *exceptis paucis* & ſtatim aliquos eſſe, qui ignorare poſſint veri Dei exiſtentiam, inferre quis poterit; Porro inter hos recenſeri puerum illum enutritum in Sylvis, cujus meminit S. Th. quæſt. 14. de verit. art. 11. nemo inficias ibit. ait enim S. Doctor, quod *ſi ductum rationis naturalis ſequatur in appetitu boni & fuga mali, certiſſime eſt tenendum, quod ei Deus, vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium*. Admittit ergo S. Th. in iſto ignorantiam invincibilem exiſtentiæ Dei, nam ex una parte erit certiſſime illuminandus, niſi impedimentum apponat, ſi autem non ignoraret invincibiliter Deum, jam impedimentum apponeret, ergo.

27. Ex laudato textu S. Auguſtini nihil inferri poſse, niſi aliquos eſse, qui Deum ignorent, non tamen invincibiliter, ſatis colligitur, ſi perpendantur illa verba, *in quibus nimium natura depravata eſt*. Sic enim ignorantiam hanc, utpote ortam ex pravo affectu, & voluntaria negligentia in ſibi comparenda Dei cognitione, quam facili adeo negocio conſequi potuiſset, culpæ vertendam eſse, quis ambigat? Secundum, quod ex doctrina Sancti Thomæ deſumitur, nihil evincit, nam hoc ipſum, quod eſt ſequi ductum rationis naturalis in appetitu boni, & fuga mali, eſt etiam cognoſcere Deum, ut authorem naturalem; Hac igitur obtenta cognitione cum plenaria naturalium præceptorum obſervantia, tunc puer ille certiſſime à Deo illuminabitur, ibi enim apertiſſime ſermo eſt de fidei myſteriis neceſſitate medii ad ſalutem credendis, quorum fides haberi poteſt dumtaxat præhabita prædicatione, de qua dictum fuit, quomodo crediderunt, ſi non audierunt? Non autem de eo, quod per ſolum viſum, & naturale lumen cognoſci, ſaltem probabiliter, poteſt, ſicut ſe ha-

habet exiſtentia Dei. Ex his habes, in quo ſenſu admitti poſſit infidelitas negativa.

28. Inſtabis. Sed etiam loquendo de exiſtentia Dei dari poteſt infidelitas negativa, ergo & ignorantia negativa. probat. ſub. mi. ideo de aliis myſteriis dari poteſt infidelitas negativa, quia de ipſis nihil aliquis audivit, ſed de exiſtentia Dei poteſt quis non ſolum aliquid non audiiſse, ſed audiiſse omnino oppoſitum, ut ſi quis natus eſset, ac viveret inter Atheos, ergo.

Sed contra; ne: ſub: min: ad prob. tranſ. mai. ne. mi. clarum eſt diſcrimen, quia ad cognoſcenda per fidem alia myſteria nullum eſt naturale medium, e contra ad cognoſcendam Dei exiſtentiam. De eo vero, qui natus eſset, ac viveret inter Atheos, id dicendum, quod de iſtis.

29. Op. 2. Aſsertio noſtra vel eſt de exiſtentia Dei, ut eſt unus verus Deus, quem omnes Catholici profitentur, vel de exiſtentia Dei, nihil affirmando, an ſit unus, vel ſint plures Dii, ſiquidem in hac re duplex eſt error, alii enim ignorant, unum eſse Deum, immo plures admittunt; alii vero dignitatem Dei pluribus etiam tribuerunt, ut Soli, Lunæ &c. Si de prima loquamur notitia, vix a ſubtilioribus Philoſophis cognoſci potuit, quid ergo dicendum de rudibus populis? Si de ſecunda, conſtat, a tot Barbaris nationibus factum eſse, ut plures adoraverint Deos, ergo.

Reſp. aſsertum noſtrum procedere de uno vero Deo, ut authore naturali; & quantum pertinet ad unitatem dicam ſuo loco, quod autem ad veritatem, diſtingui debet de vero Deo cognito a Judæis, & a nobis quantum ad ſuas perfectiones; ſed in hoc reſoluta difficultas nequaquam verſatur.

ARTICULUS III.

Perquid conſtituatur eſſentia Dei.

30. DE illo prædicato quæritur, quod in Deo concipi debet tanquam primum, & veluti radix omnium perfectionum, quæ in ipſo reperiuntur, ſicut, dum inquiritur de eſſentia hominis, de illo prædicato ſit quæſtio, quod primo in homine intelligitur, & a quo reliquæ hominis proprietates proficiſcuntur.

Mirum eſt, quantum in hoc aſſignando Theologi inter ſe dividantur. Si leges De Quiros 1. par. tract. 2. diſp. 17. ſec. 6. in omnium perfectionum collectione Dei eſsentiam conſtitutam eſse reperies; ſi Argentinam quæſt. 1. prologi, Gillium lib. 2. tract. 1. cap. 14. Amicum diſp. 3. ſec. 4. per infinitatem explicari conſpicies. Si Joan. a S. Th. p. p. diſp. 16. art. 2. Salmantic. trac. 3. diſp. 4. dub. 1. Gabrielem a S. Vincentio diſp. 14. dub. 10. alioſque ab ipſis productos, & extra Thomiſtarum ſcholam, Suarez in metap. diſp. 30. ſec. 15. num. 14. Aureol. in pri. diſ. 35. art. 3. in ipſa actuali intellectione collocari comperies, immo nec defuerunt, qui in facultate intelligendi, & ut ajunt, in actu primo & radicali intellectivo ſtatuerunt, ut Albertin. corollar. 24. de relatione quæſt. 14. dubio 1. Godoj, Ferre &c.

31. Ut verum fatear, nulla ex productis ſententiis placere poteſt; atque ut a prima ſumam exordium, ſic in eam argumentor. In eo prædicato eſse debet eſsentia Dei, quod ſit radix cæterorum, & per quod diſtinguatur Deus non ſolum ab omni creato, ſed etiam ab omnibus perfectionibus divinis, quæ ſe habent, ut attributa, & proprietates, eo pacto, quo eſsentia hominis in eo ſita eſt, per quod diſtinguatur homo non ſolum ab omni non homine, ſed etiam ab

ab aliis proprietatibus, quæ ſunt in ipſo homine, ſed collectio omnium perfectionum non eſt radix cæterorum, quæ ſunt in Deo, alioquin idem eſset radix ſui ipſius, nec poteſt diſtinguere Deum ab aliis divinis perfectionibus, alioquin ſe a ſe diſtingueret, ergo. Rurſus; ſi hoc dicamus, quo pacto eſsentiam metaphyſicam, de qua hic loquimur, a phyſica ſecernemus?

32. Hæc ſane omnium Sanctorum Patrum mens fuit. Damaſcen. lib. 1. de fide cap. 4. dicit; *Si bonum, ſi juſtum, ſi ſapiens, ſi quodvis aliud dixeris, non naturam dicis Dei, ſed ea, quæ ſunt circa naturam.* Verba Sancti Maximi apud Euthym. p p. tit. 3. ſunt iſta. *In Deo bonus, & opifex, & infinitus, & immortalis, & quæ his ſimilia, non dicimus eſſe differentias eſſentiam conſtituentes, ſed appellationes quaſdam, quibus aliqua eorum, quæ circa ipſam ſpectantur, patefaciunt.* Quo nihil clarius afferri poſse perſpicuum apparet.

33. Contra ſecundam ſic. Infinitas, quæ metaphyſicam Dei eſsentiam conſtituere deberet, vel eſset infinitas in omni genere, vel ſolum in aliquo determinato, ſed neutro modo conſtituere poteſt eſsentiam metaphyſicam Dei ergo. Probatur prima pars min. Eſse infinitum in omni genere aliter explicari non poteſt, niſi per collectionem omnium perfectionum, cum adimi nequeat aliqua perfectio, quin in aliquo genere auferatur infinitas, quia qualibet in genere ſuo infinita eſt, ergo ſicuti ab eſsentia metaphyſica Dei excluditur collectio omnium perfectionum, ita excludi debet infinitas iſta. Præterea. Infinitas eſsentiæ eſse poteſt ſolum infinitas in linea propria, & radix cujuſcumque alterius infinitatis, ſed ita, nequit eſse infinitas in omni genere, alioquin idem eſset radix ſui ipſius formaliter, quod repugnat, ergo. Probo nunc ſecundam partem primæ minoris. Quod eſt prædicatum commune omnibus divinis perfectionibus nequit eſsentiam metaphyſicam conſtituere, ſed infinitas in determinato genere eſt prædicatum commune omnibus divinis perfectionibus, nulla enim eſt, quæ in genere ſuo infinita non ſit, ergo. Tandem; quomodocumque ſumatur hæc infinitas, ſive radicaliter, ſive formaliter, ſive explicite, ſive implicite, præſupponit aliquam aliam rationem; nam quærenti, quare Deus ita ſit infinitus, reſpondere poſsumus, ergo non eſt prima ratio, ergo neque eſsentia metaphyſica.

34. Magis ſatagendum videtur in reiicienda tertia ferme omnium Thomiſtarum opinione, præſertim quia, eam fuiſse mentem Sancti Thomæ, contendunt. Sed profecto ſententia hæc nec eſt vera in ſe ipſa, nec a doctrina Sancti Thomæ rectè deducitur. Jam primum oſtendo. Intelligere actu, ſeu actus ſecundus intelligendi eſt formaliſſime operatio, ſed eſsentia metaphyſica Dei non poteſt conſtitui per operationem, ergo; min. oſtenditur, quia primo eſſentia dicitur per reſpectum ad eſse, non ad operari; ſecundo quia generatim admitti debet, prius eſt eſse, quàm operari, & unumquodque operatur, quia eſt; probatur mai. per actum ſecundum intelligendi quis dicitur operans, & intelligens, ergo actus ſecundus intelligendi eſt formaliſſime operatio.

35. Neque confugiant ad duplicem operationem, immanentem ſcilicet, ac tranſeuntem, per hanc non poſse conſtitui eſſentiam, quia ſupponit egreſſionem quamdam a ſuo principio, & diſtinctionem, non ſic per illam, cum ſit operatio adinſtar actus puriſſimi carentis actu primo, nec ullum habentis egreſſum a principio ſuo, hujuſmodi autem eſſe divinam intellectionem. Contra enim. ſive operatio ſit immanens, ſive tranſiens ſemper præſupponere debet eſsentiam jam conſtitutam, & quamvis divina intellectio ſit actus puriſſimus, attamen, non quidem in re, ſed ſecundum

dum rationem ſignificare debet egreſſum a ſuo principio, etiam in doctrina Sancti Thomæ. Hoc demonſtro prius textum, deinde rationem producendo. In quæſtionibus diſputat. quæſt. 1. de potent. art. 1. ad 1. hæc habet. *Eſt de ratione operationis habere principium, non de ratione eſſentiæ; unde licet eſſentia divina non habeat aliquod principium, neque re, neque ratione, tamen operatio divina habet aliquod principium ſecundum rationem*. Affero ſecundam, quia origines ſunt operationes divinæ immanentes, ſicut eſt intellectus, & tamen habent principium ſuum, a quo egrediuntur, & ideo juxta Thomiſtas nequeunt conſtituere perſonas, ergo etiam ipſa intellectio. Rurſus. Etiam volitio divina eſt operatio immanens, & tamen concipitur ut egrediens a ſuo principio, ergo a pari.

36. Amplius etiam. Primum intelligibile eſſe divinam eſſentiam, ideo ipſa eſt objectum primarium, in quo videt Deus omnia quæcumque videt, ipſi docent, ſed divina intellectio nequit eſſe primum intelligibile, ergo. Probatur min. paritate cæterorum actuum, nam neque primum viſibile poteſt eſſe ipſum videre, nec primum appetibile eſſe poteſt ipſum velle, quæ ſunt verba S. Th. 1. 2. quæſt. 1. art. 1. ad 2. Ratio autem eſt, quia objectum motivum debet intelligi, priuſquam intelligatur actus, qui licet ſe ipſum pro objecto habere poſſit, hoc tamen eſt verum ſolumodo quodam reflexo, nunquam tamen primario, & motivo, alioquin idem eſset prius ſe ipſo.

37. Progredior modo ad declarandum, ſententiam hanc traditam a S. Th. nequaquam fuiſse. En primo illius verba 1. p. quæſt. 26. art. 2. *In Deo eſſe, & intelligere eſt idem ſecundum rem, ſed non ſecundum intelligentiæ rationem*. En 2. ad Annibald. diſp. 35. quæſt. 1. art. 2. ad 3. *Sicut intelligere eſt idem re cum eſſentia ſed differunt ratione, ita & velle*. Tandem, ut quam plurima alia prætercam, 1. p. in proem. q. 14. ſic ait. *Poſt conſiderationem eorum, quæ ad divinam ſubſtantiam pertinent, reſtat conſiderandum de his, quæ pertinent ad operationem ejus*. Explicans vero hanc operationem, inquit eſse vel immenentem quæ eſt intelligere, & velle, vel tranſeuntem, quæ eſt potentia, vult ergo divinam ſubſtantiam prius eſse conſtitutam, quàm intelligentem. Quod ſi in locis, quæ plura a Thomiſtis afferuntur, ſemper aſserit, eſse & intelligere quid unum eſse, quid inde? Idem affirmat etiam de *velle*. Explicari igitur debet de unitate reali, non rationis. Nec recte judicari poteſt, aliorum Patrum ſententiis Angelicum docuiſse contraria. Quid autem doceat Chryſoſt. hom. 1. audiamus; *De incomprenſibili*, ait, *Dei natura non a ſapientia ſubſtantia eſt, ſed ex ſubſtantia ſapientia*. clarius vero Nyſsen. in libro, quod *non ſint tres Dii*. hæc habet. *Ea, quibus Deum nominamus, non ſunt Dei eſſentia, ſed quaſi circumſtant ipſam, ut intelligere*. Aliud dictum Damaſceni habes in primæ ſententiæ confutatione.

38. Quod vero ſpectat ad eos, qui in actu primo intelligendi eſsentiam divinam collocant, ferme ex iiſdem rationibus falſum demonſtratur; ſiquidem actus primus intelligendi ordinem ſervat ad operationem, eſsentia autem ordinem ſervat ad eſse, & ſicuti primus actus intelligendi concipi nequit ſine prima ratione intelligibili, quæ cum ſit verum, præſupponit ens, tanquam proprietas entis, ita eſsentiam metaphyſicam jam præſupponit. Tandem, quomodo cohærebunt in ſua doctrina Thomiſtæ? cum præſtantior eorum pars neget in Deo hunc actum primum intelligendi, ideſt poſse intelligere juxta ea, quæ habet ipſorum Angelicus Doctor 2. contra Gent. cap. 10. nimirum, *intellectus & voluntas in Deo non ſunt ut potentiæ, ſed ut actiones*.

39. Re-

39. Rejectis ergo omnibus hiſce ſententiis, alia, quæ magis arrideat, eſt ſtatuenda; illam ego certiſſimam arbitror, quam etiam ex Thomiſtis docent Bannez & Capreol. ex Neotericis vero Vaſq. Expar. Cacher. Puteob., & communiter Saniores Scotiſtæ; nimirum eſſentiam metaphyſicam Dei conſtitui per aſſeitatem, ſeu per ens a ſe in quacumque linea aſſeitatis; dico, *in quacumque linea aſſeitatis*; etenim hoc eſſe a ſe vel explicari poteſt per negationem phyſicæ cauſalitatis, & ſic nequit conſtituere eſſentiam Dei, cum omnibus divinis attributis conveniat, vel per negationem etiam metaphyſicæ dimanationis, in quo ſenſu non eſt prædicatum omnia divina traſcendens, ut patet. Utraque hæc aſſeitas illa eſt, quam nos aſſerimus, quæ licet explicetur termino negativo, attamen eſt maxima poſitiva perfectio, cum præſeferat ſummam ſufficientiam ad eſſe, & maximam neceſſitatem ad exiſtendum.

40. Sic autem probatur aſſertio. In eo formaliſſime collocatur eſſentia metaphyſica Dei, quod primo concipitur in Deo, & a quo, tanquam a fonte progrediuntur reliqua, quæ ſunt in Deo, ſed eſse a ſe eſt primum, quod concipitur in Deo, & a quo, tanquam a fonte, progrediuntur reliqua, quæ ſunt in Deo, ergo. probat. min. Id, quod primum eſt in Deo, & primo a nobis concipitur eſt, eſſe primam cauſam independentem in quocumque genere, & ita certe diſtinguitur Deus a quocumque, quod Deus non ſit, quin aliam priorem rationem inveſtigemus, ex ente a ſe ſit Deum eſſe infinitum in quovis genere perfectionis, nam cum nihil ſit ſibi contrarium, nec habeat aliquid, à quo limitetur, infertur, in eo quamlibet perfectionem reperiri; rurſus ſequitur, Deum eſse ſumme intellectiuum, quia cum neget cauſam quamlibet materialem, eſt ſummæ immaterialis, in qua ratione collocat S. Th. ſummam, & actualiſſimam Dei intelligendi virtutem, & ſic loquendo de quavis alia perfectione divina; & quemadmodum in creatura, ut creatura, primo concipimus eſſe ab alio, & ex hoc oritur quævis inperfectio, quæ in ipſa eſt, ita è contrario in Deo. Hoc illud eſt, quod Moyſi innuere voluit ipſe Deus, dum Ex. 3. dixit, *Egu ſum, qui ſum* ubi manifeſte per eſse à ſe, ſibi neceſsario conveniens, ſuam eſſentiam declarat, quod egregie, ut ſui moris eſt, perpendit S. Th. & 1. part. quæſt. 13. art. 11. concludit, præter alia nomina hoc maxime decere Deum, *qui eſt* ob triplicem rationem, quarum prima eſt, *quia eſſe Dei eſt ipſa ejus eſſentia*. Secunda, quia *quodcumque aliud nomen addit aliquid ipſi ſecundum rationem, unde quodammodo ipſum determinat, & in hoc intellectus noſter deficit à modo, quo Deus in ſe eſt. Nomen autem hoc Deus eſt, qui eſt, ſcilicet à ſe, univerſaliſſimum eſt*. Tertia propter hujus nominis ſignificationem, nam *ſignificat eſſe in præſenti, & hoc maxime Deo convenit, & proprie dicitur de Deo, cujus eſſe non novit præteritum, vel futurum*. Hiſce omnibus additur Damaſcenus lib. orthodoxæ fid. cap. 12. dicens, *Principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur, nominibus, eſt, qui eſt, totum enim in ipſo comprehendens habet ipſum eſſe velut quodam pelagus ſubſtantiæ infinitum, & indeterminatum*: ex quibus verbis magis infertur, quod ſuperius dicebatur, nimirum, omnes Dei perfectiones ab hoc, velut à fonte dimanare. Hæc ſatis pro ſententia noſtra, quæ aliarum impugnatione magis roboratur.

ARTICULUS IV.

Refelluntur argumenta contraria.

41. OP. 1. pro prima, & ſecunda ſententia. Eſſentia Dei, in eo, quod optimum, & infinitum eſt, debet conſtitui, ita ut melius excogitari non poſſit, ſed hujuſmodi eſt collectio omnium perfectionum,& infinitas,ergo. & quidem, cum hoc Deo conveniat non ex accidente, ſed eſſentialiter, neceſſe eſt in eo ipſius eſſentia explicetur. 2. Eſſentia Dei eſt infinita formaliter, ſed quod eſt formaliter infinitum,in una tantum perfectione non poteſt conſiſtere, ergo debet in omnibus. 3. Negative. Si eſſentia metaphiſica Dei nequit in omnium perfectionum collectione collocari, præſertim quia ſtatui debet in aliquo prædicato primo, quod ſit radix cæterorum, ſed hoc eſt falſum, ergo. probat. min. 1. quia hoc repugnat in Deo, non enim ſine aliqua imperfectione, & ut ajunt potentialitate, concipi poteſt. 2. quia, licet daretur hic ordo prioris & poſterioris, ſeu radicis, & radicati, non officeret, etenim etiam ultima differentia hominis conſtituitur per rationalitatem, quæ tamen non habetur per aprehenſionem tantum, tanquam radicem judicii, & diſcurſus, ſed ſimul per hoc omnia, ergo a pari. Rurſus. Quælibet relatio habet rationem ſubiecti, ſeu *in* tanquam radicem rationis termini, ſeu *ad*, & tamen ejuſdem eſſentia in utroque reſpectu ſtabilitur. Tandem, in plurium ſententia, beatitudo formaliter non in ſola viſione, ſed etiam amore, & fruitione ſtabilitur, & tamen illa eſt radix iſtius, ergo.

42. Reſp. eſſentiam Dei ſitam eſſe in eo, quod eſt optimum, & infinitum in linea eſſentiæ, & radicis cæterorum non vero formaliter & phyſice. Huic ſiquidem metaphyſice conſideratæ id concedi debet, quod ad ejuſdem lineam formaliter ſpectat, non ſpectat autem niſi perfectio formalis propria, quæ eſt, in ſe eſse perfectam, & continere tanquam in radice omnes alias perfectiones, Hoc porro non convenit omnium perfectionum collectioni, ſicuti probatum eſt. Atque hic adnoto, aliud eſse, Deum explicare omnes perfectiones, & aliud, eſsentiam Dei illas omnes exprimere; Primum eſt verum, ſecundum eſt falſum. Res exemplo comperta ſit. Homo explicat omnes perfectiones, quæ ſibi ſunt propriæ, eſt enim riſivus, admiratiuus cogitans, nec tamen formaliter hujuſmodi eſt rationalitas prædicatum ejuſdem eſsentiale, ita Deus explicat omnes perfectiones, ut melius excogitari non poſſit, non tamen explicat ejus eſsentia; ſatis eſt, in eſsentia hominis reliquas tanquam in fonte contineri, & ſatis eſt, etiam contineri in eſsentia Dei; atque ita hæc erit melior, quæ cogitari poſſit. Convenit itaque Deo omnis perfectio eſsentialiter, ſi phyſice, omnis formaliter, ſi metaphyſice, omnis radicaliter; una adinſtar eſsentiæ, alia adinſtar attributi, & proprietatis. Ad 2. Eadem doctrina. Ad 3. conc. mai. ne. mi. ad primam probationem; deſtruitur tota Theologica doctrina, nam ſublato eo ordine aufertur via diſtinguendi in divinis eſsentiam, attributa, & relationes, quæ concipi debent adinſtar prioris, & poſterioris, non quidem ſecundum rem, quod hæreticum eſset, ſed ſecundum rationem, & quidem hoc in opinione contraria ſtatuente eſsentiam Dei in collectione perfectionum, quæ abſolutæ ſunt, non quæ relativæ, alioquin Pater non eſset Deus, quia careret filatione, & idem de aliis perſonis. Ad ſecundam probationem ne. ant. ad prob. rationalitas formaliſſime ſecundum ſe conſtituitur per illa tria, tanquam per conceptus ſibi formaliſſime correſpondentes, non poteſt metaphyſice adæquate concipi ſine illis; non ita loquendum de eſſentia Dei per reſpe-

ctum

ctum ad alias perfectiones, alioquin nega attributa, relationes nega. Cæterum, nos non inficiamur, collectionem omnium perfectionum pertinere ad eſsentiam Dei propter pluralitatem conceptuum, ſed propter defectum prædicati primi, & radicis aliorum, quod in omnia eſsentia ſervari debet; tranſmitto autem, aprehenſionem eſse radicem judicii, & hoc diſcurſus, ſed dico, rationalitatem non ſolum radicaliter, ſed formaliter eſse utrumque, ſive enim unum concipies, ſive alterum, ſemper rationalitatem concipies. Idem aſsero contra ſecundam probationem, etenim relatio non concipitur ſine utroque reſpectu, etiam in ſenſu formali, ut ſibi proprio, unde etiam admiſso, unum reſpectum eſse radicem alterius, attamen uterque formaliſſime pertinet ad relationem. Ad ultimum; libenter concedo primam partem antecedentis, nego tamen, viſionem eſse radicem fruitionis, ſed eſt tantum conditio, eo pacto, quo cognitio non eſt radix amoris, ſed mera conditio; & generatim loquendo, plura poſsunt concurrere ad conſtituendam unam eſsentiam tanquam partes, & principia ejusdem eſsentiæ, non tamen tanquam radix, & propriatates, quod eſse deberet in noſtro caſu.

43. Op. 2. pro ſententia Thomiſtarum. Eſsentia divina conſtitui debet per illum gradum, qui eſt omnium perfectiſſimus, ſed gradus intellectiuus eſt omnium perfectiſſimus, ergo per hunc debet conſtitui; probat. min. tres ſunt gradus, qui inveniuntur in rebus, ſcilicet, eſſe, vivere, & intelligere. Primus infimus eſt, quia convenit etiam lapidibus. Secundus eſt medius, communis etiam vilioribus brutis, intelligere autem eſt nobilior, ergo. Præterea. Eſsentia Angeli, & hominis conſtituitur per eſse intellectiuum, ergo à fortiori eſsentia Dei; & ſicuti in creaturis intelligere eſt quid ſupremum, ita in Deo, cum creaturarum perfectiones aliud non ſint, quam divinæ perfectionis participationes. Rurſus. In eo conſiſtit eſsentia divina, quod per ſe primo, & ex vi ſuæ proceſſionis communicatur Verbo, ſed Verbo ex vi ſuæ proceſſionis communicatur intelligere, ergo. mai. patet, quia Verbum, ex vi ſuæ proceſſionis, eſt in ſimilitudinem naturæ, nimirum eſsentiæ, & ideo tale eſt, quia procedit per intellectum, ex quo probatur minor, quæ ulterius conſtat, quia procedit adinſtar Verbi, eſse autem Verbi eſt intelligere. Tandem, (& hoc probat pro intellectione radicali, ſeu actu primo intelligendi) Actus primus intelligendi eſt radix primi attributi divini, ideſt ſcientiæ, ergo etiam omnium attributorum.

44. Reſp. conc. mai. ne. mi. ad probat. dico, in creaturis eſse ultimum perfectionis gradum obtinere, quia habent eſse limitatum per eſsentiam propriam, e contra in Deo ſupremam ſibi vindicat dignitatem, quia eſt omninò illimitatum cum perfectiſſima pleniudine, in quo ſenſu nullam convenientiam ſervat cum eo, quod ineſt creaturis, & ita, quamvis non ſit formaliter gradus intellectiuus, eſt tamen radicaliter, ſicuti à nobis dictum fuit. Ex hac doctrina refellitur quod ſecundo loco opponebatur. Quod vero creaturarum perfectiones ſint divinæ perfectionis participationes, hoc parum refert, etenim in primis id verum eſt in eſse phyſico, non metaphyſico, cum eſsentiæ rerum ſint independentes à Deo; deinde ſervatur, ſive eſsentia conſtituatur in uno, ſive in alio prædicato, immo argumentum probaret oppoſitum, nam ex quo eſsentia creaturæ rationalis conſiſtat in gradu intellectivo, deberet potius concludi, in hoc ſitam non eſſe Dei eſsentiam, ut major diſtinctio aſſignaretur, ut decet, inter eſsentiam creaturæ rationalis, & eſsentiam Dei. Ad 3. omnes propoſitiones falſæ ſunt; eſt falſa major, alioquin cum Verbo ex vi ſuæ

ſuæ proceſſionis communicentur omnia abſoluta, quæ ſunt in Patre, in omnibus abſolutis deberet conſiſtere eſsentia Dei, quod Thomiſta non dicit; eſt falſa minor, quia Verbum ex vi ſuæ proceſſionis eſt quidem per intellectum, non eſt tamen, quod ipſi communicetur intelligere, niſi eo modo, quo communicantur reliquæ perfectiones, & ad Verbi rationem non ſpectat intelligere, ſed exprimere, ſeu repreheſentare rem intellectam, unde Verbum per ſe primo exprimit naturam divinam, quam Pater, ipſum producendo, intelligit, non vero intelligit ipſam naturam divinam. Sed de hac re, ne confuſio fiat; ſit ſatis. Audiant tamen hoc unum. Per adverſantes doctores, aliosque Theologos contra Durandum, natura eſt principium quo remotum divinæ proceſſionis Verbi, intellectus vero eſt principium quo proximum, ergo dici non poteſt intellectum divinum eſse naturam divinam, ideo neque eſsentiam. Ad ultimum ne. ant. ad prob. pariter, nam ſi velint in Deo admitere hunc actum primum intelligendi, dicam, ipſum eſse primum attributum propter rationes à me adductas, nam iſte primus actus intelligendi eſt in Dei immaterialitate, & hæc in Dei aſseitate, ideo enim eſt immaterialis, quia a nulla cauſa, nec efficiente, nec finali, nec materiali, nec formali dependet.

45. Nunc directe contra noſtram opponitur, & certe, ſi omnia proferentur, quæ apud aliquos leguntur, præſertim Cavuinum, maxima fieret ſine lege confuſio, ea tamen libentes omittimus tanquam jam in probationibus noſtris rejecta. Sic ergo. Per ens à ſe non intelligitur Deus ultimo conſtitutus, ſed per eſsentiam debet intelligi ultimo conſtitutus, ergo. Prob. maj. Per ens ab alio non intelligitur creatura ultimo conſtituta, ergo à pari; ant. patet in homine qui per eam rationem conſtitui non poteſt, ſed requiritur aliud determinativum, nimirum animal rationale. Ex quo novum argumentum. Homo non conſtituitur metaphyſice per per ens rationale, ſed per animal, ergo neque Deus per ens à ſe, ſed per alium gradum proximiorem, qui ſit a ſe, quia eſsentiæ rerum non explicantur, niſi per genus proximum, ens autem non eſt hujuſmodi. Secundo hoc eſse a ſe quid eſt? vel eſt non eſse ab alio Deo, & hoc commune eſt cujuſcumque rei eſsentiæ, immo etiam enti chimerico, vel non eſse a ſe ipſo, & hoc convenit cuicumque creaturæ, nulla enim a ſe ipſa eſse poteſt, vel non eſse ab alia creatura, & hoc ſpectat etiam ad Angelum, & animam rationalem, ſed quod aliis convenit præter Deum nequit conſtituere eſsentiam Dei, ergo. 3. Ante eſse à ſe datur eſse ad ſe, ergo. Prob. ant. eſse à ſe negat dependentiam à cauſa efficiente, eſse ad ſe negat dependentiam à cauſa finali, ſed antequam negetur dependentia à cauſa efficiente, eſt negari dependentiam à cauſa finali, ergo. Probat. mi. ante motionem cauſæ efficientis eſt motio cauſæ finalis, quia unumquodque agit propter finem, qui proinde præſupponitur, ergo.

46. Reſp. ne. mai. cujus probatio vera eſt de creatura, prout eſt talis creatura. Cum enim creaturæ plures ſint, non tantum debent à Deo diſtingui, ſed etiam inter ſe; ut creaturæ ſunt, diſtinguuntur à Deo, & ſic ſatis conſtituuntur per eſse ab alio, ut vero tales ſunt, diſtinguuntur inter ſe, & cum diſtingui nequeant per ens ab alio, quia omnes ſunt hujuſmodi, neceſse eſt diſtinguantur per aliud. Hoc non valet in Deo, qui unus eſt. Ad rationem adductam, omiſſo, nullum genus in Deo eſse, ut infra oſtendam, verum eſt quod aſsumitur, quia rationalitas immediate & proxime non contrahit ens, ſed animal, aſseitas autem immediate contrahit ens, ideo &c. Ad 2. dico, omnia ea indiviſibiliter eſse ſumenda, & quod dicitur de ente chi-

chimerico, hoc negat eſse ab alio, ut nihil ſit, neque ſit radix alicujus, Deus autem negat eſse ab alio, ut aliquid ſit, immo ſit totum eſse, formaliter in ſua linea, in alia vero tanquam radix & fons. Ad 3. jam noſti, per eſse a ſe nos excludere dependentiam in quocumque genere cauſæ, ideo eſse a ſe eſt formaliſſime eſse ad ſe, quapropter argumentum nullum eſt.

47. Aliud momentum placet ſic addere. Si eſse a ſe conſtitueret Deum, Pater ſolus Deus eſset, hoc eſt hæreticum, ergo. Prob. maj. In ſolo Patre natura divina eſt a ſe, ideo ſolus Pater eſt ingenitus, & innaſcibilis, in Filio vero & in Spiritu Sancto natura eſt communicata, ergo ſi &c.

Rep. ne. maj. ad prob. ne. ant. Quod enim ſolus Pater dicatur ingenitus, & innaſcibilis, hoc ipſi convenit titulo perſonalitatis, quæ in ipſo ſolo eſt improducta, non vero naturæ, ſicut Filius non dicitur genitus, quia natura genita ſit, ſed propter perſonalitatem ac filiationem, quæ ipſum formaliter conſtituit in ratione filii. Nec officit, eſse communicatam, etenim naturam alteri communicari non excludit aſseitatem in quavis linea, immo neceſsario oritur ab ipſa aſseitate, ex quo enim natura divina ſit a ſe exigit neceſsariam fœcunditatem, quæ ſine ſui communicatione ſervari non poteſt. Communicatur itaque, ſed communicatur prout eſt a ſe, quia communicatur prout eſt in Patre, in quo a ſe eſt. Hoc magis valet, ſi perpendatur, ipſam naturam & eſse communicantem, & eſse communicatam, cum in omnium ſententia ipſa ſit principium quo remotum ſuæ communicationis. Eſt igitur Filius, ſicut & Spiritus Sanctus ab alio, non propter naturam, ſed propter perſonalitatem. Adde, Filium, reduplicative ut Filium, non eſse Deum, quia ſic explicat in recto filiationem, non naturam divinam.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De divinis attributis tam generatim, quam ſpeciatim inſpectis.

ARTICULUS I.

Traditur notitia ſpectans ad divina attributa.

1. ABſolutis iis, quæ ad divinam exiſtentiam, & eſſentiam pertinere judicavimus, operę prętium eſt, illa etiam perpendamus, quæ de divinis attributis a Theologis ſolent exponi. Attributum divinum, ſi in ſenſu nimis amplo, & improprio ſpectetur; id omne, quod in Deo eſt, in ſui ſignificatione comprehendit, ſi ſolam demas eſſentiam, ſive id dicatur tranſcendenti modo, ut ſubſtantia, ſpiritus, vita, ſive affirmetur ſecundum prædicata notionalia minime toti Trinitati communla, ſive conveniat proprie, vel metaphorice, ſive libere, ſive neceſſario, ſive formaliter, ſive eminenter. Si vero inſpiciatur in ſenſu ſtricto, & proprio, ea perfectio intelligitur, quæ formaliter eſt in Deo, & divinam ſequitur eſſentiam tanquam proprietas metaphiſica, quæ adjective prædicatur de Deo, & in *quale*, non ſubſtantive, & in *quid*, & rurſus dicatur proprie, & peculiariter, non communiter, & tranſcendenter.

2. Hinc primo, attributum Dei eſſe non poteſt id, quod eminenter ſolum de Deo affirmatur, ut eſſe corporeum, & diſcurſivum. tum quod dicitur tropice, ut dolor, & pœnitentia, tum quod convenit notionaliter, cum attributum ſequatur eſſentiam, quæ communis eſt toti Trinitati. Inſuper attributum Dei eſſe nequit, quod libere de Deo aſſeritur, ut eſt prædeſtinatio, creatio, mundique conſervatio, quia, cum attributum ſit proprietas eſſentiæ, neceſſario eſſe debet, ubi eſt eſſentia. 2. excluditur a conceptu attributi, quod dicitur de Deo in *quid* ut *ens*, *ſubſtantia*, non vero quod adjective, & in *quale* ut eſſe *immenſum*, *omnipotentem*, *æternum*. Ea enim, quæ in omnibus attributis reperiuntur, potius ſunt rationes communes proprietatibus, quam proprietates.

3. Porro hæc attributa in duplici claſſe recenſentur. Alia ſunt poſitiva, & alia negativa. Per illa explicatur poſitiva Dei perfectio, ut eſſe *unum*, *omnipotentem &c.* Per hæc vero explicatur quidem perfectio Dei, ſed removendo eas imperfectiones, quæ reperiuntur in creaturis, ut eſſe *incorporeum*, *immutabilem*, *inviſibilem*, *ineffabilem*, appellantur autem perfectiones negativæ, non quia hujuſmodi revera ſint, ſunt enim in Deo quid maxime poſitivum, ſed quia ita a nobis concipiuntur, & affirmantur, ut Theologorum terminis utar, ſecundum dici, non ſecundum eſſe. Diviſionem hanc indicat S. Damaſcen. lib. 1. cap. 13. per hæc verba. *Divina nomina, alia quidem ſecundum negationem dicuntur ad ſignificandum ſuperſubſtantiale illud, quæ vero ſecundam affirmationem dicuntur, veluti de rerum omnium cauſſa prædicantur*. Idem tradit, Dionyſ. de divin. nomin. cap. 7. Qui cognoſcit

Deum

Deum per remotionem, ſculptorem imitatur, qui detrahendo, ſtatuam perficit, qui poſitive, imitatur pictorem, qui colores addendo, picturæ prætium, & venuſtatem aſſequitur.

ARTICULUS II.

Quomodo attributa diſtinguantur ab eſſentia, & inter ſe.

4. HIc repetenda ſunt ea, quæ de diſtinctione traduntur a Philoſophis. Quatuor autem diſtinctionum genera explicanda eſſe, neceſſarium exiſtimo. Prima eſt diſtinctio abſolute realis, & hæc reperitur inter rem, & rem quæ produci, & conſervari poteſt ſine alia. Secunda eſt rationis, quæ eſt in eadem re per intellectum, & quæ ſi fiat per conceptus omnino ſimiles, ſed differentes in claritate ſine ullo fundamento, dicitur rationis ratiocinantis, ſi per concepus, reſpicientes diverſa munera, & connotata, rationis ratiocinatæ appellatur. Sit exemplum. Dum dico, *Petrus eſt idem cum ſe ipſo. Animalitas eſt idem cum rationalitate* in prima propoſitione efformantur conceptus omnino ſimiles, & ad ſummum idem explicat ſe ipſum per majorem expreſſionem; in Secunda affertur diverſum munus, quia per animalitatem innuitur principium ſentiendi, per rationalitatem principium diſcurrendi. Ab hac diſtinctione tertiam admiſſam a Patribus Thomiſtis, quam dicunt virtualem intrinſecam, arbitror parum diſtare; dicitur autem virtualis, quia in ſe continet virtutem diſtinctionis realis, ſicut in nummo aureo habetur valor duplicis argentei, & in anima rationali vis tam ſenſitivæ, quam vegetativæ; Quomodocumque explicetur hæc diſtinctio, nihil ponit actu diſtinctum in rebus ante operationem intellectus, ſed ſolum in poteſtate, quia præbet intellectui fundamentum diſtinctionis inducendæ. Quarta eſt diſtinctio formalis ex natura rei, quæ minor eſt diſtinctione reali, cum non verſetur inter rem, & rem, ſed tantum inter formalitatem, & formalitatem, eſt vero major diſtinctione rationis, & virtuali, quia eſt ante quodcumque opus intellectus, & hanc admittunt qui Scoti diſcipulos ſe profitentur.

5. Tanquam certum exiſtimandum eſt, non eſſe admittendam inter eſſentiam divinam, & attributa, & idem dico de proprietatibus perſonalibus & relativis per reſpectum ad naturam, diſtinctionem realem proprie, & abſolute dictam, cum contrarium omnino doceant Patres & Concilia, de quibus infra ſermo continget. Tota igitur lis ad hoc revocatur, utrum ſufficiat diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſeu virtualis, an vero admitti debeat diſtinctio formalis Scotica. Ut rem maturius examinemus.

§. I.

Quid ſentiendum de mente Patrum, & Conciliorum.

6. NOn inconſulto pertractandum quod inquiritur. Adeo enim, qui Scoto ſe opponunt, Patrum, & Conciliorum ſuffragiis gloriantur, ut ſubtilium ſententiam, vel tanquam erroneam, vel tanquam temerariam, & ſi dicere poſſent, ut hæreticam condemnarent. Ita inter cæteros loquuntur Ariaga 1.p. diſp.41. ſec.1. num.5. Valentia 1.p. diſp.2. q.12. pun.1. & revera ita dicendum videretur, ſi rem ad Theologicam conſiderationem non revocaremus. Jam a Sanctis Patribus exordiamur, & Princeps ſit, ut dignitas doctrinæ poſtulat, Auguſtinus. Quid ait 7. de Trinit.? Ecce. *Magnitudinem, bonitatem, juſtitiam, pluribus vocabulis in eadem ſapientia intelligi.* rurſus. *Hoc illi eſt eſſe, quod*

Deum eſſe, *quod magnum*, *quod bonum*. Item; *Non alio magnus*, *alio Deus*, *ſed eo magnus*, *quo Deus*, *quia non aliud illi magnum eſſe*, *aliud Deum eſſe*. Proſequatur Anſelmus: Quid iſte in Monol. cap.16.? Ecce *Quemadmodum unum eſt*, *quidquid eſt eſſentialiter*. Finem imponat Bernardus, & dicat lib.5. de conſiderat. cap.13. *Voces diverſæ*, *ſemitæ multæ*, *ſed unum per eas ſignificatur* & paſſim fatetur, *Deum non eſſe unum*, *ſed uniſſimum*. Si vero Concilia adeamus, in promptu eſt Rhemen. ſub Eugen. 3. definiens contra Gilbertum, *relationes*, *& eſſentiam non dividi*, *niſi mathematica abſtractione*. in promptu Florentinum ſeſ.18. in qua Joan. Thelogus hæc habet. *Divina ſubſtantia & perſona re quidem ſunt idem*, *ſecundum autem modum intellectionis noſtræ differre videntur* & ſeſ. 19. *Haud quaquam putare debetis*, *quod re differant*, *quandoquidem ſola ratione*, *aut intelligentia differre creduntur*. Quod ſi hoc valet, loquendo de relationibus, & eſſentia, multo magis. loquendo de eſsentia, & attributis, Sola igitur diſtinctio rationis, & virtualis admitti poteſt in Deo.

7. Sua tamen auctoritate Scotica ſententia non caret, per quam ſolam diſtinctionem rationis, & virtualem nequaquam ſufficere demonſtrabitur. Auguſtini 15. de Trinit. cap.6. verba ſunt iſta. *Si dicam æternus*, *ſapiens*, *juſtus*, *bonus*, *ſpiritus*, *horum omnium noviſſimum*, *quod poſui*, *videtur ſignificare ſubſtantiam*, *cætera vero hujus ſubſtantiæ qualitates*. Rurſus 7. de Trinit. cap.2. *Verbum ſapientia eſt*, *ſed non eo Verbum*, *quo ſapientia*. atque ut omnes unica propoſitione complectar, ſatis ſit dicere, omnes ſentire. Verbum eſse per intellectum, non per voluntatem, Spiritum Sanctum per voluntatem, non per intellectum. Quid ſi de Conciliis? Seſe exhibet Lateranen. ſub Innoc. 3. cap. *Firmiter de Sum. Trinit.* dicens; *Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam eſt individua*, *ſecundum perſonales proprietates diſcreta*. atque ibi contra Abbatem Joachim ſtatutum fuit, *eſſentiam non generare*, *ſed Patrem*, *eſſentiam non generari*, *ſed Filium*. Seſe exhibet Florentinum in lit. Unionis, ubi decernit, *Patrem omnia communicaſſe Filio præter eſſe Patrem*, quæ omnia, ut oſtendetur in ſequenti, per ſolam diſtinctionem rationis ſeu virtualem ſervari non poſsunt.

8. In hac igitur Sanctorum Patrum, & Conciliorum ſententiarum diverſitate quid dicendum? Primo adnotanda eſt regula, quam tradit S. Bonavent. in 2. diſ.33. q.1. art.3. pro dignoſcenda Patrum, & Conciliorum mente, eos eſse conſiderandos, contra quos Patres, & Concilia agunt, & tunc, ſicut in moribus via perveniendi ad medium eſt aliquo modo ultra medium progredi; ut docet Ariſt. 2. Et. cap. ultimo, ita ad confundendas hæreſes, erroreſque refellendos juvat interdum per exceſsum loqui, & ad aliud extremum declinare, ut tandem medium habeatur. Hoc egit Auguſt. qui, diſputans contra Arium, videtur ad Sabellium declinare, & agens contra Pelagium, ut gratiam attolloret, viſus eſt libertatem deprimere. Igitur in re noſtra, cum Auguſtinus contenderet contra Arium unitatem eſsentiæ, & eandem perſonarum ſubſtantiam defendere, Bernardus vero in concil. Rhemen. refellere errorem Gilberti reapſe diſtinguentis eſsentiam a relationibus, per exceſsum loquuti ſunt, ut quamcumque diſtinctionem viderentur adimere. Fuiſse autem hujuſmodi Sanctorum Patrum intentum, ex eorum dictis facillime colligi poteſt; Auguſtinus enim 11. de Civit. cap.10. ait. *Deum propter hoc natura dici ſimplicem*, *cui non ſit aliquid habere*, *quod vel poſſit amittere*, *vel aliud ſit habens*, *aliud*, *quod*

quod habet ſicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, excludit ergo Sanctus Doctor aliud, & aliud a Deo tanquam diſtinctum vere realiter, & tanquam ſubſtantiam & accidens, & quandoque ſumit terminum *eſſentialiter* pro termino *ſubſtantialiter* prout opponitur accidenti, vel etiam prout opponitur *notionaliter*. Sanctus etiam Bernardus ſerm. 80. in Cantica contra Gilbertum ait. *Natura non eſt in perſona divina, tanquam forma in ſubjecto, a quo diſtinguatur, ſicut diſtinguuntur albedo a nive, nigredo a corvo*; ex quibus verbis falſitatis arguitur quidam Doctor, qui diſp. 116. num. 16. & alibi confundit ſententiam Scoti cum errore Gilberti, ſi enim res ita eſset, argumentum Bernardi nullum eſset, aut ſi ſecus eſset, Gilbertus non erraſset. Sanctus vero Anſelmus, ſi contra Scotum probat, etiam contra alios probat, ſiquidem quamlibet diſtinctionem, etiam virtualem, excludit, perpendantur illa verba, *uno modo, una conſideratione*. & ſatis oſtendi, quod dixi; Revera tamen Doctor iſte aliud non contendit, quam Deum non eſse compoſitum ex actu & potentia, ex ſubſtantia & accidente, ideo omnia eſse uno modo, una conſideratione, quia omnia ſunt æque perfecta, omnia æque ſubſtantialia, nam ſequuntur alia verba. *Nihil dicitur, quod de ejus eſſentia vere dicitur, in eo, quod qualis, vel quanta, ſed in eo, quod quid eſt*. Nihil eſt ergo accidentis, quidquid ſubſtantiæ, & ſic ſumitur illud *eſſentialiter*, aliter dicant, eſsentiam conſiſtere in omnium attributorum, & perſonarum collectione.

9. Eo pacto, quo Patres explicamus, intelliguntur & concilia, dummodo enim excluderent diſtinctionem inter rem, & rem, ſatis erat, ut profligaretur error, de quo lis vertebatur; & parum referebat, utrum diſtingueretur vel ratione ratiocinante, ut volunt Nominales, & Vaſquez, vel ratione ratiocinata & virtuali, ut alii, vel formali, & ex natura rei; Dubium enim hoc pertinebat ad ſcholaſticos Theologos, non erat contra hæreticos. Unde merito in Concilio Florentino ſunt illa verba, *differre videntur*.

10. Hoc ſatis eſset, ne reliqui Sanctorum Patrum & Conciliorum patrocinio tam manifeſte gloriarentur. Sed ſi velint, me liberius loqui, liberius loquar. Utar autem regula, quam tradit Scotus in 2. diſ. 16. q. unica; ideſt, quando res agitur, quæ ad fidem non ſpectat, & ſunt aliqui Patres pro una ſententia, aliqui pro alia, poſsumus acceptare quos volumus, reliquos vero abſque injuria dimittere, contingit hoc frequentiſſime, atque ita res eſt in noſtra diſputatione. Reſponſio hæc, ſi videtur ardua, reprehendatur Auguſtinus, qui epiſ. 111. loquens de Hieronymo, aliiſque ſuorum temporum Doctoribus, hæc habet. *Neque enim quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum, tanquam ſcripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalva honorificentia, aliquid eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere; Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales eſſe volo intellectores meorum*. Hæc ſatis de Patrum, & Conciliorum mente mihi dixiſse ſuadeo.

§. II.

Statuitur noſtra Concluſio.

11. Dicendum. Inter eſsentiam, attributa, & relationes admittendam eſse diſtinctionem formalem Scoticam, quam dicunt ex natura rei. In hac ſententia omnes in unum, unus in omnes, & quanvis in philoſophicis diſputationibus, ubi agitur de diſtinctione inter gradus metaphiſicos plures habeat extra ſuos Scotus ſectatores, in hac tamen neminem, quem viderim.

Probat. 1. Aſsertio ratione Scoti in 1. diſt. 2. quæſt. 7. & diſt. 8. quæſt. 4. Diſtinctio, quæ eſt ante operationem intellectus, aut eſt realis ſimpliciter, aut realis ſecundum quid, ideſt formalis ex natura rei, ſed inter eſſentiam, attributa, & relationes datur diſtinctio ante opus intellectus, & hæc nequit eſſe realis ſimpliciter, ut fides docet, ergo debet eſse realis ſecundum quid, ideſt &c. Prob. mi. inter eſsentiam attributa, & relationes datur contradictio ante opus intellectus, ſed contradictio ante opus intellectus eſse nequit ſine diſtinctione ante opus intellectus, ergo. maj. declaratur, nam loquendo de prædicatis abſolutis, intellectus eſt principium quo productivum Filii, non eſt voluntas, hæc eſt principium productivum Spiritus Sancti, non eſt intellectus; Deus per eſsentiam eſt unus, per relationes non eſt unus, eſsentia communicatur, paternitas non communicatur, loquendo de relativis, & hæc omnia ante opus intellectus, ita ut ſi nullus eſset intellectus cogitans, adhuc res ita eſset, ſicut ab æterno fuit, ſed eſse principium, & non eſse principium, eſſe unum, & non eſſe unum, communicari, & non communicari ſunt prædicata contradictoria, ergo. Probat. min. præcedentis argumenti. Contradictio ſimpliciter, nequit eſse ſine diſtinctione ſimpliciter, aliter contradictoria poſsent eſse vera de eodem ſecundum idem, ergo contradictio ante opus intellectus nequit eſse ſine diſtinctione ante opus intellectus, & ratio eſt, quia cum diſtinctio oriatur a contradictione tanquam à cauſa formali, non tanquam ab efficiente, qualis eſt contradictio, talis eſt diſtinctio, cum effectus formalis formæ ſeparari nequeat ab ipſa forma, conſtat hoc in divinis, in quibus cum diſtinctio oriatur tanquam à forma, ab oppoſitione relativa, & hæc non ſervetur ſine diſtinſtione reali, neceſsario debet in ipſis admitti diſtinctio realis, quod argumentum infra promovebitur.

12. Diceſ. Rationem deſumptam à contradictione, non ſolum probare diſtinctionem formalem, ex natura rei, ſed etiam realem abſolute; Prob. Contradictoria, quæ ſunt in divinis, talia ſunt, ut verum ſit produci, & non produci, naturam eſse in uno ſuppoſito, relationem non eſse, ſed produci, & non produci, eſse in uno ſuppoſito, & non eſse infert diſtinctionem, non ſolum formalem ex natura rei, ſed etiam &c. ergo. Patet minor in Scotiſtarum principiis, quamvis enim animalitas, & rationalitas per ipſos diſtinguantur formaliter ex natura rei, nunquam tamen fieri poteſt, unam produci ſine alia, ergo in re noſtra formalis non ſufficit, ex alia parte realis admitti non poteſt, confugiendum itaque ad virtualem, ſeu æquivalentem reali.

13. Sed contra. Quemadmodum diſtinctio virtualis in divinis ſervat per Thomiſtas plura, quæ tamen in creatis ſervare non poteſt, ut conſtat in prædicatis, *produci*, *& non produci*, ita etiam diſtinctio formalis ex natura rei, unde, quidquid ipſi dicent de propria diſtinctione, dicam ego de mea, quare ſi ipſi aſserunt, hoc in divinis evenire propter infinitatem, quæ eſt in natura, idem & à me aſseretur; ſed ſi poſtulent aliquam rationem ab intrinſeco, afferro non renuo. Sciant ergo, alia eſse prædicata contradictoria prima, quæ verſantur inter eſse, & non eſse abſolute, & alia eſse ſecunda, quæ verſantur inter eſſe, & non eſſe tali modo, quanvis utrumque ſit; quæ priori modo opponuntur exigunt diſtinctionem realem, non ſic quæ poſteriori, ſed ſufficienter per diſtinctionem formalem affirmantur. Hoc dato, contradictio illa, quæ eſt inter produci perſonalitatis, & inter non produci naturæ, non eſt inter eſse, & non eſse, quia revera utraque eſt, ſed ſolum inter eſse, & non eſse tali modo, quia natura eſt, ſed non eſt per productionem, perſonalitas eſt, ſed eſt per pro-

productionem, ideo &c. Quod vero ſpectat ad communicari, nihil concludit, nam etiam in creatis ſine diſtinctione reali ſervatur, ſiquidem eadem v. g. entitas Petri communicatur ſecundum eſſe formale, non communicatur ſecundum eſse numericum.

14. Contra probationem noſtram plura juxta eorumdem principia afferunt Doctores, nos tamen hæc omittemus, & nunc tantum eam refellendam ſuſcipimus, quæ celebrior eſt, & frequentius propugnata. Inquiunt ergo. per diſtinctionem virtualem, & æquivalentiam divinitatis ad plura ſervari omnia ea contradictoria, & veras eſſe illas propoſitiones de eodem ſecundum idem re, non tamen virtute, quod ſufficit; & ratio eſt, quia veræ ſunt de eodem ſubiecto toto, ſed non totaliter, & ſicuti idem ſol eſt liquefactivus ceræ, & non luti, idem intellectus eſt practicus, & ſpeculativus per hoc ſolum, quod in utroque admittamus multiplicitatem virtualem, ita in re noſtra communicari & non communicari, produci, & non produci per ſolam virtualem diſtinctionem explicatur. Quare argumento à nobis propoſito reſpondent; Qualis eſt contradictio, talis eſt diſtinctio vel formaliter, vel æquivalenter & virtualiter conc. ſemper formaliter nego. Ita cum Cajetano, & Capreolo unanimiter omnes Patres Thomiſtæ, alliique recentiores.

15. Reſponſionibus iſtis acquieſcam nunquam, & ſemper inſiſtam, talem eſse diſtinctionem, qualis eſt contradictio, neque ad hanc ſervandam ullam ſufficere æquivalentiam, quia non eſt hujus effectus in genere cauſæ efficientis, ſed formalis; atque ad prorſus delendum effugium illud, ſic argumentum inſtauro. Si virtualis ipſorum diſtinctio ſervare poteſt contradictoria, quæ ſunt ante quodlibet opus intellectus, ideo eſt, quia æquivalet diſtinctioni reali, & eminenter continet omnem iſtius perfectionem, ſed hoc eſt falſum, ergo. Probat. min. Si diſtinctio virtualis æquivalet diſtinctioni reali, & continet omnem iſtius perfectionem, per ſolam diſtinctionem virtualem ſervabitur myſterium Trinitatis, ſed hoc eſt hæreticum, ergo. Majo. oſtenditur, quia ſervare Trinitatis myſterium, divinamque fæcunditatem certe eſt diſtinctionis realis perfectio; ſicut ergo, quia inter perſonam, & perſonam, ideſt producens & productum datur oppoſitio relativa abſolute realis, dari debet in eadem linea diſtinctio, ita quia inter eſſentiam, & attributa datur oppoſitio ante opus intellectus, dari debet etiam diſtinctio ante opus intellectus, & in utroque caſu fruſtraneus erit recurſus ad diſtinctionem virtualem, & per intellectum, quamvis cum fundamento in re. Paritates ſuperius adductæ non tenent, ibi enim agitur de cauſa effectiva vel diverſorum effectuum, vel actuum, cauſa autem, ut plures effectus proferre poſſit, ſatis eſt, ſi in virtute ſua multiplex ſit, præſertim quia effectus diverſum reſpiciunt ſubiectum.

16. Aſsertio Scotica ſic eſset ſatis probata: placet tamen ulterius progredi, & erit ſecunda ratio, quam promovet Scotus. Ubi reperitur conceptibilitas adæquata, & diverſa, ibi diſtinctio formalis ex natura rei, ſed inter eſsentiam, attributa, & relationes reperitur conceptibilitas adæquata, & diverſa, ergo. Min. patet, aliud enim eſt eſse Deum, & aliud eſse Patrem, ut loquitur Auguſtin. 7. de Trinit. cap. 4. probat. majo. ubi reperitur conceptibilitas adæquata, & diverſa eſt eſsentia formaliter diverſa, ſed ubi eſt eſſentia formaliter diverſa ibi diſtinctio formalis ex natura rei, ergo. Prob. majo. ubi reperitur conceptibilitas adæquata, & diverſa, ibi diverſa definitio, ergo etiam eſsentia formaliter diverſa, & quidem definitio convenit ipſi ante quamlibet operationem intellectus, non quod definitio non ſit ab intellectu, ſed quia quo-

quolibet ſecluſo intellectu eſsentia eſt ad ſe, relatio ad aliud, intellectus ſit principium generativum Verbi, voluntas ſit principium productivum Spiritus Sancti, unde fit, denominationem eſse ab intellectu, non ſic rem denominatam. Præterea; certum eſt, eſsentiam divinam ſpectare ad omnes perſonas, non ſic tamen relationes, ergo adæquata haram eſsentia ab illa diſtinguitur. Amplius confirmabitur ſententia noſtra argumentis negativis, quæ ex rationum contrariarum ſolutionibus facillime colligentur,

§. III.

Refelluntur argumenta.

17. Argumentum primum deſumi poteſt ex divina ſimplicitate, & ſic proponitur. Cum diſtinctione formali haberi non poteſt ſimplicitas ſumma, ſed Deo tribuenda eſt ſimplicitas ſumma, ut conſtat ex definitione Concilii Lateran. adducti §. 1. ergo. Probatur maj. haberi non poteſt ſimplicitas ſumma, ubi ante opus intellectus habetur diſtinctio, ergo cum diſtinctione formali &c. Probat. ant. Compoſitio aliud non eſt, quam diſtinctorum unio, ſed ubi ante opus intellectus habetur diſtinctio, habetur diſtinctorum unio, ergo. Et profecto, nonne Deus eſset magls ſimplex, actuſque purus, ſi nulla foret inter eſsentiam, ejuſque attributa, vel proprietates diſtinctio, ſed ſola diſtinctionis virtus? Ergo ita eſse, dicendum eſt, cum ipſi tribuenda ſit ſimplicitas illa, qua major excogitari non poteſt.

Præterea; ſi admittantur in Deo plura diſtincta ante opus intellectus, Deus ex hiſce omnibus fiet unus, tanquam per aggregationem, aut ſaltem non erit unus ea unitate, quæ exigitur, ut ſit ex S. Bernardo *uniſſimus*, ſed utrumque repugnat, ergo.

Rurſus. *Quæ ſunt diſperſa in inferioribus, eſſe debent collecta in ſuperioribus*, ergo quæ ſunt formaliter diſtincta in creaturis, non ſunt formaliter diſtincta in Deo, ſed in creaturis inveniuntur plura diſtincta formaliter, ut tenent Scotiſtæ, ergo nequeunt ita diſtingui in Deo, aliter ſemper admittemus compoſitionem, ſicuti inter formaliter diſtincta in creaturis compoſitio reperitur. Propoſitio in antecedente poſita, quamvis ſit axioma, demonſtrari poteſt, nam præcipuæ rationes perceptivæ v. g. coloris, ſoni &c. quæ ſunt diſperſæ in ſenſibus externis, unitæ ſunt in ſenſu interno, & multo magis in intellectu.

18. Reſp. omnia hæc argumenta militare etiam contra diſtinctionem virtualem, & per intellectum, perpende terminos objectionis, & clara apparebit retorſio. In forma, neg. maj. ad prob. neg. ant. ad probat. diſp. majo. quam diſtinctorum unio, ſi diſtincta ſint realiter, aut adinſtar actus, & potentiæ conc. ſi diſtincta formaliter cum ſumma identitate reali, nec adinſtar actus, & potentiæ neg. majo. e contra diſt. mi. neg. conſ. Non quælibet diſtinctio infert compoſitionem, & diſtinctio ubique, in ea linea, in qua eſt, opponitur identitati, non tamen ſimplicitati. Ut detur compoſitio, requiritur duorum unio, ſed quæ vel ſint diſtincta re, ſicut ſe habent in compoſito phyſico materia & forma, vel ſint ut actus, & potentia, ut in compoſito metaphyſico ſe habent animalitas, & rationalitas. Ita autem ſe non habent eſsentia, & attributa, aut hæc ad invicem comparata, etenim inter ea eſt perfectiſſima realis identitas, & omnibus ineſt propria, formaliſque actualitas, & ideo nullam efficere poſſunt compoſitionem, quæ ſine potentialitate non eſt; dixi, perfectiſſima realis identitas; nam in creaturis identitas realis, quæ datur v. g. inter animalitatem, & rationalitatem, non eſt perfecta,

Digitized by Google

ćta, quia non eſt ratione ſui, ſed ſolum ratione tertii, quod ex ipſis eſt, ideo non tenet hæc propoſitio, animalitas eſt rationalitas, nec formaliter, nec realiter, ſi ab homine præſcindantur; non ſic in divinis, nam valet dicere, *Omnipotentia realiter eſt juſtitia; paternitas eſt deitas*. Quod vero additur, probat in Deo majorem ſimplicitatem, ſed chimericam, & impoſſibilem, etenim perfećtiones ſimpliciter ſimplices debent eſſe formaliter in Deo, & non ſolum virtualiter, ſeu eminenter, ergo retinere debent ſuas rationes formales, ut diſtinguantur à perfećtionibus, quæ non ſunt ſimpliciter ſimplices, quarum notitia ſuo loco tradetur.

Ex ſuperiori doćtrina corruit quod ſecundo loco opponebatur, nam Deus eſt unus unitate identitatis realis, quod non contingit in iis, quæ ſunt unum unitate aggregationis, ſive per accidens. Eſt igitur Deus unus, immo uniſſimus, quia major poſſibilis unitas, & ita perfećta excogitari non poteſt, niſi cogitemus chimeram.

Ad ultimum patet reſponſio, & ſi valeret generatim illud axioma, nihil eſſet re identicum in creatura, quia omne identicum eſt in Deo, nam pari ratione deberet dici, *quæ ſunt collećta in ſuperioribus ſunt diſperſa in inferioribus*, immo ſiſtendo in adverſantium principiis, cum diſtinćtio virtualis admittatur in Deo propter maximam eminentiam, & excellentiam Dei, non deberet admitti in creaturis, quam tamen ipſi fatentur inter gradus metaphyſicos. Eſt igitur verum axioma in ſenſu reali, non formali.

19. Argumentum ſecundum deſumitur ex divina infinitate, & ſic promovetur. Nulla divina perfećtio eſſe poteſt finita, ſed eſſet, ſi diſtinćta formaliter ex natura rei, ergo. prob. min. Si una divina perfećtio eſſet formaliter ex natura rei ab alia diſtinćta, formaliter ex natura rei non eſſet alia, ſed ſic eſſet finita, ergo. min. declaratur, quid enim eſt eſſe finitum, niſi eſſe extra limites alienos? Unde ſicuti unum diſtingui ab alio realiter, non eſt ſine limitatione reali, ita unum diſtingui ab alio formaliter, non eſt ſine limitatione formali.

Inſuper. Eſſe infinitum re eſt eſſe indiſtinćtum re, ergo eſſe infinitum formaliter eſt eſſe indiſtinćtum formaliter, ergo ſi divinæ perfećtiones formaliter diſtinguerentur, formaliter eſſent finitæ, & ita, præter alia inconvenientia, nulla eſſet Deus contra commune illud. *Quidquid in Deo eſt, Deus eſt*.

Amplius. Prædicatio unius attributi de alio debet eſſe vera in abſtraćto, ita ut dicere, *omnipotentia eſt miſericordia, & juſtitia* verum ſit, ſed hoc infert identitatem formalem, quia, ut docent logici, terminus abſtraćtus præſcindit ab omni eo, quod eſt extra ipſum, ergo.

Iterum. Quodlibet attributum eſt divinum, ergo quodlibet eſt a ſe, ergo quodlibet infinitum ſaltem implicite, in quocumque genere entis, ſicque, ſaltem implicite erit aliud attributum, ergo non diſtinćtum formaliter ex natura rei, ſed ſolum ſecundum implicitum, & explicitum, ut plures Thomiſtæ explicant ſuam diſtinćtionem virtualem.

Denique. Data ſententia noſtra, non ſolum unum attributum diſtingueretur formaliter ab alio attributo, ſed etiam a ſe ipſo. probatur. Scientia Dei de ſe ipſo erit formaliter diverſa à ſcientia Dei de creaturis, illa de poſſibilibus diverſa ab illa de futuris, illa de naturalibus diverſa ab illa de ſupernaturalibus, & generatim, quot erunt objećta formaliter diverſa, tot erunt in Deo ſcientiæ formaliter diverſæ, ſicut ſunt in creaturis, a quibus Scotiſtæ argumentum pertrahunt ad divina, ergo.

20. Reſp. conc. maj. ne. mi. ad prob. tranſ. maj. ne. mi. ad prob. dico, eſſe fini-

finitum eſt, eſſe extra limites alienos realiter, non formaliter, & ratio diſparitatis eſt, quia quod realiter eſt infinitum, debet ex ſuâ ratione formali ſibi identificare omne compoſſibile, cum nequeat habere partem, & partem, & ideo debet conſtituere cum quolibet ſibi compoſſibili unum totum per identitatem; Non ita ſe habet infinitas formalis, quam concedimus omnibus divinis attributis in propria linea, utpote prædicatum tranſcendens omnia; Hæc enim cum variare nequeat rationes formales attributorum, quia iſtæ debent eſſe formaliter in Deo, utpote perfectiones ſimpliciter ſimplices, & non ſolum eminenter & virtualiter, non poteſt illas ad unam formalitatem identitate formali redigere, ideo, quamvis diſtinctio realis inferat limitationem realem, non tamen diſtinctio formalis limitationem formalem; Quare diverſa eſt origo diſtinctionis realis, & formalis; Illa oritur tantum vel ex limitatione, vel ex oppoſitione relativa, ac diſparata; Hæc vero a neutra, ſed a contradictione ante opus intellectus, & diverſo adæquato conceptu. Totam hanc doctrinam deſumpſi ex Scoto in 1. diſt. 8. q. 4. §. *contra iſta*, dum reſpondet tertio, quod ſibi opponit, inquit enim; *Concedo, quod ratio ſapientiæ eſt infinita, & ratio bonitatis, & ideo hæc ratio eſt illa per identitatem, quia oppoſitum non ſtat cum infinitate alterius extremi, tamen hæc ratio non eſt formaliter illa, non enim ſequitur, eſt vere idem alteri, ergo formaliter idem eidem.* Juxta dicta ſolve quod additur, & axioma illud, *Quidquid in Deo eſt, Deus eſt.* verum dicito in ſenſu reali, non formali. Præterea dici poteſt, in diſtinctione formali unum non eſse aliud præciſive, non ſic negative; Unde quodlibet attributum in ſua linea infinitum eſt, in linea vero aliena præſcindit, ſicque non eſt finitum, nec infinitum, quod nequaquam contingit in linea abſolute reali; propter hoc dixi, tranſ. maj.

21. Dices. Quidquid eſt, vel eſt a ſe, vel eſt ab alio, attributa divina non ſunt ab alio, ergo a ſe, ſed ita formaliter ſunt Deus, ſicut, ſi eſsent ab alio, eſsent creatura, ergo quidquid in Deo eſt, Deus eſt etiam in ſenſu formali.

Sed contra. Primo, major eſt vera in re, non formaliter, nam ſic nec ſunt a ſe, nec ab alio, ſed ab utroque præſcindunt; ſiquidem in re omne vel eſt album, vel non album, & tamen in ſe formaliter nec eſt album, nec non album. Rurſus, ut eodem utar exemplo. Quidquid eſt, vel eſt a ſe, vel ab alio, & tamen homo formaliter homo, nec eſt a ſe, nec ab alio, & ratio eſt, quia rationes iſtæ non ſpectant ad rei formalem eſsentiam. Secundo dicam, attributa eſse a ſe, ergo ſunt Deus, conſectarium non tenere, quia aſeitas attributorum eſt ſecundaria & formalis, non primaria & radicalis; nec tamen inferas, ergo ſunt creatura propter dictam rationem; Ut enim creatura non ſint, ſatis eſt, ſi identice ſint Deus; quia creatum & increatum neque realiter idem eſse poſsunt.

Ad 2. Scotus loco citato ad primum principale concedit majorem, in ea tamen concedenda non ſum ita pronus, & ſi negarem, illam nemo probaret, niſi probando quod eſt in quæſtione, & ratio negationis meæ deſumeretur ex minore, quæ eſt in argumento oppoſito; nego igitur minorem, ſiſtendo enim in Scoti doctrina hæc tantum eſt vera loquendo de creaturis; quia in iſtis non datur identitas realis extremorum propter propriam naturam, ſed propter tertium, in quo identice uniuntur, ut dictum fuit num. 18. ideo inquit, *nunquam fuit tradita logica in creaturis de prædicatione, alia formaliter vera, & alia per identitatem*. Quare ly *in abſtracto* ſi de divinis

nis ſit ſermo, non ſumas pro *formaliter*.

Ad 3. plus ego concedam adverſariis, quam ipſi in argumento poſtulant, nam, ſi conſideretur ſapientia, ut divina eſt, non ſolum implicite, ſed etiam explicite erit Deus, in hoc enim ſenſu formaliter exprimit divinitatem, ſed ita argumentari non eſt ad rem, ſiquidem etiam homo albus non diſtinguitur ab albedine, quæ tamen in ſua formali ratione diſtinguitur ab homine; non debemus itaque perpendere attributa divina, ut divina ſunt, ſed tantum, ut attributa ſunt. Aliam reſponſionem habes ex dictis contra argumentum petitum ab aſſeitate attributorum, & quod ibi de hac dicitur, dicas de divinitate.

Ad 4. breviter reſpondeo negando antecedens, ad prob. dico, ſcientiam in Deo eſſe tum re, tam formaliter eandem de quocumque objecto, & hujus diverſitatem eſſe ſolum extrinſecam propter diverſitatem objectorum, ad quæ ipſa terminatur; diverſitas autem, quæ datur in divinis attributis, eſt intrinſeca, uti probatum fuit.

22. Quod ſi etiam omnia hæc argumenta, hiſque ſimilia, magis perpendantur, jam deſtruatur virtualis diſtinctio, neceſſum erit. Peto; Quando ipſi concipiunt eſſentiam ſine attributis, & unum attributum ſine alio, vel concipiunt ut finitum in ſuo conceptu, vel ut infinitum, non primum, alioquin non conciperent eſſentiam, vel attributum Dei, ſi ſecundum, ergo ſicut illi ſub præciſione & diſtinctione intellectus ſervant infinitatem etiam per intellectum, ita nos ſub præciſione & diſtinctione ex natura rei ſervamus infinitatem etiam ex natura rei. Idem dico de continentia explicita, ita ut natura divina adhuc per ipſos ſit infinita, quia includit perfectiones attributorum implicite, ſi non explicite; quære enim, in explicito eſſentiæ conceptu vel illam concipiunt ut finitam, vel ut infinitam, non primum, aliter non concipient naturam divinam, ſed creatam, ſi ſecundum, ergo ſicut illi ſub præciſione explicita eſſentiæ ab attributis, & unius attributi ab alio, ſervant infinitatem conceptus, ita nos ſub præciſione formali ſervabimus infinitatem formalem.

23. Argumentantur præterea alii, vel quia Deus nequit ſe ipſum cognoſcere ſine perfectionibus attributorum, quæ autem formaliter diſtinguuntur, ita ſe habent, ut unum cognoſci poſſit ſine alio, vel quia divinitas eſt formaliter de eſſentia Patris, ergo nequit formaliter a paternitate diſtingui, vel quia, quemadmodum in prædicatis divinis tranſcendentalibus, ut ſunt ſubſtantia, ſpiritus &c. non reperitur diſtinctio formalis ex natura rei, ita neque debet reperiri in prædicatis attributalibus.

Parvi tamen facienda ſunt hujuſmodi argumenta. nam ſi primum inſpiciatur, idem dicitur etiam de iis, quæ diſtinguuntur virtualiter, quorum unum cognoſci poteſt ſine alio; Quod igitur Deus nequeat ſe ipſum cognoſcere ſine perfectionibus attributorum, provenit ex perfectiſſima comprehenſiva ejus cognitione, ad quam pertinet omnia cognoſcere ſecundum quemlibet modum, quo cognoſci poſſunt; & ſi argumentum valeret, ſequeretur, quod, cum Deus nequeat cognoſcere creaturam ſine omni eo quod eſt in creatura, nihil foret in creatura diſtinctum. Ad 2. Si per Patrem ſumatur perſona, quæ eſt, & denominatur Pater, antecedens eſt verum, ſi vero ſumatur ratio propter quam Pater denominatur Pater, eſt falſum, nam perſona Patris conſtituitur per naturam, & paternitatem, ideo in hoc ſenſu natura eſt de eſſentia Patris, ratio autem, propter quam Pater denominatur Pater, eſt ſola paternitas, & in hoc ſenſu natura non eſt formaliter paternitas, aliter Patres, &

Con-

Concilia, in quibus dicitur Pater conſtitui natura, & paternitate, nugatoriis verbis eſſent uſi, nam redderet hanc ſignificationem, Pater conſtituitur paternitate, & paternitate. Ad 3. idem dico, quod dixi in Metaph. ubi de hac diſtinctione inter gradus metaphiſicos pertractavi. & ſi negabo antecedens, adverſarii probantes illud, afferent diſparitatem, quare in prædicatis divinis tranſcendentalibus non reperiatur diſtinctio formalis ex natura rei, reperiatur vero in attributalibus.

24. Minus vero probant illi, qui diſtinctionem virtualem explicant per æquivalentiam ad plura, nam, præterquam quod hæc diſtinctio æquivalens diſtinctioni reali repugnat, ut probatum fuit, quo pacto ſervabunt, Deum non tantum æquivalenter, ſed formaliter eſſe ſapientem, immenſum, æternum? &c. quo pacto diſtinguent perfectiones ſimpliciter ſimplices a perfectionibus ſecundum quid?

25. Sic excluſa diſtinctione virtuali, & per conſequens rationis ratiocinatæ, potiori jure excluditur diſtinctio rationis ratiocinantis, hæc enim non explicatur niſi per voces ſinonymas conſtituentes ſubjectum & prædicatum, ut dum dicitur, *Petrus eſt idem cum ſe ipſo*, quod in Deo affirmari non poteſt, cum verum ſit, quod tradit Baſilius contra Eunomium dicens; *Nullum eſt nomen, quod totam Dei naturam comprehendat, & quantum ſatis ſit, explicet, quare multa ſunt, ac diverſa, quæ ſingula propriam habent ſignificationem*. & Gregor. Nyſſen. lib. 1. adverſus eundem inquiens. *Uniuſcujuſque nominis, quod de Deo dicitur, propria, & ſingularis eſt notio*.

ARTICULUS III.

De Unitate Dei.

26. Unitatem Dei negavit gentilitas, hanc juxta Scripturas Sacras vera fides profitetur. Gentilium errores plures etiam ex hæreticis docuerunt. Gnoſtici, & Manichæi duos deos, quorum unus bonus ſit, alter malus; Cedron, & Marcion unum bonum Patrem Chriſti, alterum ſeverum, creatorem mundi ſtatuerunt. Valentinianus vero, teſte Tertulliano lib. 1. contra Marcionem cap. 5. duo aſſeruit principia, quorum unum *Profundum*, aliud *Silentium* appellavit, ex quibus inde alii triginta Dii prodierunt, quos Eones vocavit, ideſt ſæcula, ut colligitur ex Auguſtino, & Rabano. Tandem Valentinus, Gribaldus, aliique dicti Tritheitæ, ſicut tres perſonas, ita tres Deos affirmarunt.

27. Adverſus hos aperte militat ſcriptura ſancta. Deuteron. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt*. Iſ. 3. *extra me non eſt Deus*. pſ. 85. *Tu es Deus ſolus*. Sap. 12. *Non eſt alius Deus, quam Tu*; atque, ut cætera teſtimonia prætercam, 1. ad Corint. 8. *Nobis unus eſt Deus*, & rurſus: *Scimus, quia nullus eſt Deus, niſi unus*. Unicum hoc teſtamenti novi momentum adduxi, cum tamen non defuiſſet illud Joan. 17. *Ut cognoſcant te ſolum Deum* & aliud Mat. 12. *Bene magiſter in veritate dixiſti, quia unus eſt Deus, & non eſt alius præter eum*. nam in oppoſitum videtur aliud ejuſdem Pauli ibidem. *Siquidem ſunt multi Dii, & domini multi*; hic tamen Apoſtolus loquitur de idolis ſecundum errorem aliquorum, qui multos Deos colebant, exiſtimantes, planetas, aliaſve ſtellas, vel etiam ſingulas mundi partes Deos eſſe, qua de re loquitur de Diis nuncupative, non vere, & de iis, de quibus inquit Propheta, *Omnes Dii*

Dii gentium dæmonia. Quanquam dici poſſet, multos eſſe Deos per participationem, & accidentario modo juxta illud. *Ego dixi Dei eſtis*, non vero per ſubſtantiam, & eſſentiam, ſicut requireretur in noſtra controverſia.

28. Scripturæ textibus adduntur definitiones Conciliorum, præſertim Nicæni, Conſtantinopolitani, & Lateranen. tum Sanctorum Patrum conſenſus perpetuus, inter quos Athanaſ. in orat. contra idola, Nazianz. orat. 2. de Theol. Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 1., Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 4., a quibus certe non eſt excipiendus S. Baſilius. Quamvis enim epiſt. 141. dicat, *Non eſt itaque Deus unus numero* ibi tamen non ſumit unitatem negative, prout excludit pluralitatem, ſed poſitive, prout unum conſtituitur ex multis, vel eſt in multa diviſibile, quæ numerum efficiunt; atque hoc aperte conſtat ex ejuſdem verbis in eadem epiſtola, quæ ſunt iſta. *Quidquid numero dicitur unum, unum revera, aut ſimplex natura non eſt, Deum autem ſimplicem, & incompoſitum omnes confitentur*. non eſt igitur unitas Dei unitas numeri, quæ eſt principium numeri, & quæ in Deo impoſſibilis eſt, ſed unitas ſingularis, & eſſentialis, quæ cum ſoli Deo conveniat, eſt unitas omnium maxima.

29. Hæc omnia apud Theologos certiſſima ſunt; aptius videndum occurrit, utrum hæc unitas Dei poſſit evidenti naturali ratione demonſtrari, in quo quidem puncto ſtatuendo Ocham. Maj. Aliacenſ. paucique alii ſolum probabiliter hoc præſtari poſſe tradiderunt. Scot. tamen in 1. diſ. 2. q. 3. ad id evidenter oſtendendum ſeptem rationes affert, S. Th. 1. p. q. 11. art. 3. tres, & 1. contra Gent. cap. 42. ſeptemdecim, quibus adhærent reliqui celebriores Theologi. Hos ego ſequens id proferam, quod ad rem meam validius, atque efficacius arbitrabor.

30. Et primo loco occurrit fundamentum deſumptum ex rationibus illis, quibus exiſtentiam Dei, tanquam cauſæ improductæ, ideſt a ſe, & neceſſariæ probavimus. Ens enim, quod eſt hujuſmodi, ſi multiplex eſſe poſſet, in infinitum multiplicari poſſet, immo eſſet multiplicatum, cum, quando agitur de ente neceſſario, idem ſit poſſe, & eſſe, quia quod neceſsario, eſt ſibi tribuit omne, quod tribuere poteſt; atque a quo ad talem determinatum numerum limitaretur? a ſemetipſo? non; quia, quod eſt indifferens ad pluralitatem, ſeipſum ad certum numerum individuorum determinare non poteſt, & ſi ſe determinaret, finitum eſset, non ab alio, aliter hoc aliud determinans eſset agens perfectius, per conſequens hoc eſset Deus.

Neque obſtat, relationem in divinis eſse multiplicatam, nec tamen ad numerum infinitum, ſed tantum ad tres; ſiquidem illæ ſunt multiplicatæ titulo producentis, & producti ad intra, & quia tres ſolummodo reperiuntur viæ ad hujuſmodi relationes, ideo tres tantum iſtæ ſunt cum unico tamen Deo, ut in quæſtionibus de Trinitate probabo; at ſic non contingeret in caſu noſtro, ideo &c.

31. Ex hoc fundamento oritur ſecundum ab infinitate deſumptum; etenim vel Deus eſt infinitus, vel non, ſi non, ergo nequaquam eſt Deus, ſi infinitus, igitur unus, quod probo. Si Deus eſt infinitus, & ſunt multi Dii, ſinguli debent eſse infiniti, ſed hoc repugnat, ergo ſi Deus eſt infinitus, eſt unus. prob. mi. Si ſunt ſinguli infiniti, vel unus continet eandem omnino perfectionem alterius, vel non, ſed utrumque repugnat ergo. prob. min. Si non continet perfectionem alterius, eſt extra ſuppoſitionem, quia non erit infinitus, ſi vero continet, vel formaliter, vel eminenter, ſi primum, ergo ab alio non diſtinguitur, ſi ſecundum, ergo unus

Deus erit alio major, ideo unus non erit Deus, ergo.

32. Dices 1. Una perſona divina continet perfectionem alterius perſonæ, & tamen eſt diſtincta perſona, ergo unus Deus continere poteſt perfectionem alterius, & tamen erit Deus diſtinctus. 2. continet omnem perfectionem ſpecificam, & formalem, non numericam, poteſt igitur uterque eſse infinitus, quanvis unus non ſit alius.

Sed contra. argumentum primum ſic pro nobis conficitur. Una perſona divina continet quidem perfectionem abſolutam alterius perſonæ, non tamen continet quod pertinet ad perſonalitatem, aliter non eſset diſtincta perſona, ergo unus Deûs non continebit perfectiones abſolutas alterius Dei, aliter non eſset diſtinctus Deus, & ſi non continebit, neque erit Deus; probabitur igitur ad ſummum pluralitas perſonarum, nunquam Deorum, primum vero noſtra fides admittit, & docet; & ſicuti, ut ſint plures perſonæ, una non debet continere perſonalitatem alterius, ita ut ſint plures Dii, unus non debet continere divinitatem alterius, & ſic nunquam erit infinitus, ut requiritur, ut ſit Deus. Ad 2. ſpectat ad divinam, infinitamque perfectionem non ſolùm continere quod ſpeciei eſt, ſed etiam quod individuum conſtituit, vel formaliter, vel eminenter, ideo Deus noſter omnia individua creata hoc modo continet, & ſi non contineret, Deus nequaquam eſset, nec abſolute infinitus, quia, etſi omni perfectione, quæ formalis, & intenſiva dicitur, præditus eſset, careret tamen extenſiva, ideo aliqua, quæ ſatis eſset, ne Deus eſſet.

33. Verum ad ſuperius argumentum prorſus infirmandum, eſt id, quod Doctor Angelicus habet loco citato in corp., nimirum, Deum eſsentialiter eſse hunc, unde nullo modo eſse communicabilem alteri, niſi etiam communicetur ut *hic*, ideo in creatis communicatur alteri natura, quia non eſt eſſentialiter *hæc*, & ſic illud, per quod Petrus eſt homo, multis communicatur, ſed id, per quod eſt hic homo, alteri communicari non poteſt; cum igitur idem ſit Deus, & hic Deus, fieri non poteſt, eſse plures Deos. Tanta profecto infinitatis eſt ratio, ut & ipſi Philoſophi dixerint, infinitum non niſi unum eſse poſse.

34. Rationes quidem iſtas ſatis probare, ſi ſatis percipiantur, nullus ibit inficias; ſed ſi fortaſse nimis recondita apparerent, ad alias clariores progredior. Si illam expetis, quæ ab inferiorum, nobiſque nota cum rerum gubernatione deſumitur, ſic ſtatim expono. Si plures Dii eſſent, procul dubio unius voluntas ab alterius voluntate non dependeret, alioquin quomodo Deus, ſi dependens? Quo pacto autem regeretur hic orbis tam provide, tantoque ordine, ut una res alteri ſubſerviret, niſi ab unica mente regeretur? Maxima confuſio fieret, & plures eſſent fines, ſi plures cauſæ effectrices primæ, quæ ad finem dirigerent. Neque ſufficerent unitas concordiæ, mutuique conſenſus; hæc enim unde oriretur? an ex neceſſitate? minime; aliter ad externas operationes non eſſent liberi, proinde imperfecti; an ex libero pacto? Sed cur potius unus aſentiretur alteri, quam e contrario? an ex caſu fortuito? poterit ergo caſu fortuito etiam eſse diſcordia. Debet Dei regimen perfectiſſimum eſse, cum Deus perfectiſſimus ſit, ut ſit Deus, regimen autem perfectiſſimum eſse nequit, niſi una ſit mens, una voluntas, &, ut inquiunt, regnum monarchicum, de qua re ſatis Hieronym. epiſt. 4. ad Ruſticum, & ego ipſe in mea morali Philoſophia. Addatur hoc unum. Vel plures Dii ſunt neceſſarii, vel ſuperflui, ſi hoc dicatur, a natura renuitur, ſi primum, ergo unus ſine alio non eſset Deus, unius igitur

per-

perfectio dependeret ab alio, & ſic Deus non eſset propter dicta.

35. Nunc devenio ad rationem clariorem, quanvis fortaſse ſubtiliorem; Hanc autem eruo tam ab intellectu, quam a voluntate, quæ facultates certiſſime in Diis eſsent, ſi Dii eſsent, niſi faciant Deos marmoreos, qui manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, ut revera ſunt Dii gentium. Ab intellectu ſic argumentor. Intellectus unius Dei deberet perfectiſſime cognoſcere quidquid in alio cognoſci poſset, aliter aliquid perfectionis illius cognitioni deeſset, ſed hoc fieri nequit, ergo. prob. min. Ut perfectiſſime cognoſceret quidquid in alio cognoſci poſset, deberet illum cognoſcere per eſsentiam ſuam, ſed hoc non, ergo. prob. min. Si illum cognoſceret per eſsentiam ſuam, actus cognoſcentis eſset poſterior eſsentia cognita, cum omnis actus cognoſcendi, qui non ſit idem cum objecto cognito, ſit poſterior objecto, ut conſtat, ſed hoc non, quia actus ille Deo conveniens non eſſet, ergo. Præterea. Vel unus Deus cognoſcendo ſe ipſum eſset beatus, vel ſi non, ergo non eſset Deus, cum ſibi ipſi non ſufficeret, ſi eſset, ſuperfluit igitur alter Deus. A voluntate vero ſic probo. Si foret alius Deus, hic deberet diligi infinite ab alio Deo, quia eſset bonum infinitum, & cognitum ut tale a potentia infinita, ſed hoc dici non poteſt, ergo. prob. min. Prior Deus deberet plus diligere ſe ipſum, quam alium Deum, quodlibet enim plus diligit bonum proprium, quam alienum, præſertim ſi hoc neque eſt pars, neque effectus illius, ut eſset in caſu, ergo non poſset alium infinite diligere, ideo &c. Præterea. Voluntas unius Dei vel frueretur alio Deo, vel uteretur, ſi hoc, ergo inordinate ageret, utendo Deo, ſi illud, ergo independenter ab alio Deo non eſset beatus, non ergo Deus. Dicamus ergo quod ſuperius dictum eſt juxta ſacras ſcripturas, atque Deum unum eſse, non ſolum ex divina revelatione, ſed etiam naturali lumine compertum eſse.

ARTICULUS IV.

De ſimplicitate Dei.

36. Quamvis Deum ita ſimplicem eſſe, ut partium omnium, in quocumque ſenſu accipiantur, expertem illum explicent Scripturæ Sacræ, ut infra declarabo, attamen in hac re plures antiquitatis ſuerunt errores, quos ut omnes recenſeamus, & refellamus, varios modos, quibus aliqua compoſitio explicari, & haberi poteſt juvat exponere.

Eſt igitur alia compoſitio ex materia, & forma, ex quibus omnia corpora conſtare, nos ipſi videmus, aut ſaltem ex materia ſub diverſa ſui ipſius diſpoſitione, ſi loqui velis extra ſcholam peripateticam. Alia eſt ex partibus integrantibus, qualis invenitur in corpore humano, vel quocumque alio, conſtituto ex capite, corde, jecore &c. Si loquamur de vivente ſenſitivo, vel ex radice, trunco, ramis &c. ſi de vegetativo. Alia ex natura, & ſubſiſtentia, qualem poſt incarnationis myſterium in qualibet natura fatemur; alia ex ſubſtantia, & accidento; alia tandem ex genere, & differentia. De hiſce omnibus agendum eſt, ut ſimplicitatem Dei, quantum nobis licet, intelligamus.

37. Sicut ad tantum impietatis aliqui devenerunt, ut notiſſimam veritatem, qualis eſt, *Deum eſſe*, denegarint ita non defuerunt, qui Deum corporeum eſſe, affirmarunt. Horum primos S. Damaſc. lib. de hæreſ. & Epiphan. 5. commemorant Stoicos; Ethnici fuerunt, iis parcendum eſset. Sed quod magis mirum eſt, etiam inter Chriſtianos inventi ſunt, qui tam nefarie, ſtolideque docuerint. Si perlegamus Theo-

Theodor. quæſt. 20. in Geneſ. Meliton quidam Epiſcopus Sardenſis, immeritò tamen, ſi credamus Sixto Senenſi lib. 5. Bibliot. Sanct. annotat. 18. adducenti pro ſe Euſeb. lib. 5. hiſtoriæ cap. 23. qui præclare ſcripſit de tanto viro. Si Auguſtinum lib. 10. de Geneſi cap. 25. error iſte tribuitur etiam Tertulliano, quamvis lib. de hæreſ. cap. 86. illum excuſet, quia ſi dixit, Deum eſſe corpus, hoc non dixit, quia haberet partes alias majores, & alias minores, ſed quia non eſt nihil, & inane quoddam, & ſumitur corpus, prout opponitur umbræ, ſicut opponitur veritas rei, in quæ ſenſu inquit Apoſt. ad Coloſ. 1. *In Chriſto habitare omnem plenitu dinem veritatis corporaliter*. Sed qui dquid de aliis dici poteſt, certum eſt teſte Epiphanio hæreſi 70. tempore Arii fuiſſe quemdam Audium, ſeu Audæum, prius Monachum pium, ac religioſum, qui explicans illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Deo corpus attribuit, cujus deinde ſectatores appellati ſunt *Audiani*, & *Odiani*, ſeu penes S. Auguſtinum *Vadiani*, vel tandem *Antrhopomorphitæ*, quorum hęreſim in Ægypto ortam eſse circa Theodoſii primi tempora, teſtantur Socrates, Sozomenus, & Caſſianus, ſicut à Monachis fermè omnibus magno ardore ſuſceptam, repugnante Theophilo Alexandrino Præſule, ſcribit Gennad. lib. 1. de Viris illuſt. cap. 33.

38. Veritas tamen Catholica eſt, Deum eſſe omnino incorporeum. *Deus Spiritus eſt*. Joan. 4. *Regi ſæculorum immortali, & inviſibili* 1. ad Timot. 1. & ad Rom. 1. *Dicentes, ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis*. Fuit hoc in Eccleſia Dei adeo indubitatum, ut nulla opus fuerit Conciliorum definitione, & à Sanctis Patribus, quorum ſeriem congerit Valentia 1. par. diſp. 1. quæſt. 3. puncto 6. communiſſimè traditum, aliquos referam, ne prorſus omittantur. *An corpus*, inquit Gregor. Nazianz. in 4. & 30. oratione, *eum eſſe dicas? Quonam vero modo corpus erit; hoc, quod eſt infinitum, interminabile, figuræ expers; quod nec tangi, nec videri poteſt. Quinam cultu & adoratione dignum eſt, ſi circumſcriptum aliquid eſt? Aut quid cauſæ eſſe dicemus, quin ex elementis conſtet, & in ea reſolvatur iterum, & omnino diſſolvatur? Nam compoſitio principium eſt pugnæ, pugna autem diſſidii, diſſidium ſolutionis. Solutio vero prorſus aliena eſt a Deo, primaque natura. Quocirca nullum ineſt diſſidium, ne ſit aliqua ſolutio, neque pugna, ne diſſidium oriatur, neque compoſitio, ne pugna exiſtat; ac proinde ne corpus quidem eſt, ne ſit compoſitio*. Origenes lib. 1. Perciar. cap. 1. hæc habet. *Non ergo corpus aliquod, aut in corpore eſſe putandus eſt Deus, ſed intellectualis natura ſimplex, nihil omnino in ſe adiunctionis admittens, uti ne majus aliquid, aut inferius eſſe credatur, ſed ut ſit, ut ita dicam, totus mens, ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturę, vel mentis eſt*. Cyril. tandem in 2. lib. contra Anthropomorphitas, ſi ejuſdem liber eſt; *Deus*, inquit, *ſuper omnem creaturam; neque corpus intelligitur, neque informis, figuriſque corporeis: ſed eſt ſimplex, materiæ expers, ſine ſpecie, compoſitioneque, non ex partibus, aut membris, aut portionibus contextus, quemadmodum nos, ſed potius ſpiritus ſecundum ſcripturas, & omnia proſpiciens, ubique exiſtens, implens omnia, & nunquam abſens, implet enim cœlum, & terram*.

39. Illud vero, quo deceptus fuit *Audius*. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, non de corpore, ſed de anima juxta Sanctos Patres eſt intelligendum. Quod ſi in ſacris literis membra Deo tribuuntur, hoc

hoc non proprie, ſed tropice, & ad intelligentiam ſenſibus noſtris accommodatam dictum eſt, & ſi hoc probaret, ſequeretur, Deum etiam eſſe leonem, Gallinam immo monſtrum quoddam ex pluribus animalibus, cum ipſi plurium animalium nomina, & membra tribuantur.

40. Ex iis, quæ juxta Patres dicta ſunt, quod aſſerimus naturali ratione demonſtrari poſſe, compertum fit. Tres affert S. Thom. quas omittam, cum ab omnibus facile legi poſſint. Ego vero ſic oſtendam. Si Deus eſſet corpus, vel infinitum, vel finitum, non primum, quia hoc de facto ſupra univerſum eſſe, ſine aliquo fundamento aſſeritur, immo à pleriſque impoſſibiles exiſtimatur, non ſecundum, nam eſt contra divinam majeſtatem, quæ nec cœlo, nec univerſo toto continetur, ergo. Rurſus. Si eſt corpus, vel eſt compoſitum ex materia, & forma, vel eſt corpus ſimplex, non primum, quia daretur in ipſo aliqua pars, quæ eſt imperfecta, & hujuſmodi unio à quonam eſſet? Non ſecundum, quia vel eſſet corpus ſimplex ſine ſenſu, & cognitione, & hoc dicere, eſt Deum fingere viliorem tot creaturis, quæ ſentiunt, & intelligunt, vel cum ſenſu, & cognitione, & hoc pacto cognitio hæc non eſset in toto corpore, immo nec exerceri poſset ſine aliquo labore, & laſſitudine, quod de Deo affirmare pluſquam ridiculum, & irrationabile eſt. Ex hac ratione probatur etiam, Deum non poſſe conſtitui per materiam & formam ſpiritualem, ſi hanc poſſibilem eſſe, propugnare quis vellet; patet inſuper, non conſtare ex partibus integrantibus, quas ſine materia nequaquam dari poſse manifeſtum eſt; Pro quo addo inquirendo, partes iſtæ eſsent ne heterogeneæ, vel homogeneæ? Si primum, daretur igitur in Deo aliquid reale, quod non eſset Deus, ſi ſecundum, ergo tot Dii, quot partes, cum enim agitur de partibus homogeneis, quod dicitur de toto, dicitur de parte, & ſic pars aquæ revera dicitur aqua.

41. Ultra hujuſmodi compoſitiones eſt etiam in Deo illa neganda, quæ ex natura & ſubſiſtentia conſurgit. Docuerunt hoc Sancti Patres, aſserentes, in Deo abſtracta prædicari de concretis, ita ut verum ſit dicere, *natura eſt perſonalitas*, *Deus eſt ſapientia*. Satis de hac re, ubi de diſtinctione formali ex natura rei à nobis admiſsa, quamvis nulla admitteretur compoſitio. Ratio autem eſse poteſt, quia natura Dei perfectiſſima eſse debet, omnemque perfectionem complecti, nihil igitur ipſi addi poteſt, ut fiat per aliud ſubſiſtens. Sed quomodo ſervabimus, naturam divinam eſse incommunicabilem, quod tantum habetur per ſubſiſtentiam, cum tamen ex neceſſitate communicetur? Quomodo? Communicabilis eſt eadem, & revera communicatur in linea naturæ, non in linea perſonæ, nec tamen perſona aliquid addit, quia ipſamet natura neceſsario ſibi poſtulat perſonam, & perſonam, ſemper loquor in ſenſu reali, ne videar oppoſita docuiſſe.

42. Magis laborabunt alii in evitanda hujuſmodi compoſitione. Siquidem S. Th. 1. p. quæſt. 3. art. 3. docet, ideo Deum eſse ſuam eſsentiam, per conſequens in ipſo non eſse compoſitionem ex natura, & ſubſiſtentia, quia non eſt compoſitus ex materia, & forma. En verba ejuſdem. *In his igitur, quæ non ſunt compoſita ex materia, & forma, oportet, quod ipſæ formæ ſint ſuppoſita ſubſiſtentia, unde in his non differt ſuppoſitum, & natura*, ex qua doctrina colligi videtur, neque in Angelis eſse compoſitionem ex natura, & ſubſiſtentia, cum etiam Angeli ex materia, & forma non componantur. Et ſi dicas, in textu ſermonem eſse de ſupremo gradu immaterialitatis, qui ſolum in Deo reperitur; contra eſt quod idem q. 7. de potentia art. 4. loquens de Angelis ait, *in Angelis quodlibet ſuppoſitum eſt*

ſua natura; Hoc certe dici non poteſt.

43. Potiori jure admitti non poteſt in Deo compoſitio ex ſubſtantia,& accidente; loquor de accidente phyſico, nam ſi de accidentibus metaphyſicis ſermo fiat, non video, cur hæc à Deo excludi debeant,ſecluſa tamen quacumque compoſitione, habent enim Deus ſuas metaphyſicas proprietates, prout intelliguntur progredi à ſua eſſentia, quæ proprietates accidentia metaphyſica appellari poſsunt, niſi de nomine contendere velimus. Primum autem, quod diximus, probamus. Non eſt in Deo aliquod accidens phyſicum, ergo neque aliqua compoſitio ex ſubſtantia, & accidente. Prob. ant. Accidens per reſpectum ad ſubiectum ſuum comparatur tanquam ad potentiam, in qua recipiatur, eſt ipſo ſubiecto poſterius, & ipſi ita advenit, ut poſſit in ipſo eſſe, & non eſse, ſed hæc omnia non poſſunt convenire Deo, ergo. Merito propterea inquit S. Auguſtinus 5. de Trinit. cap. 4. *nihil accidens in Deo*, *quia nihil mutabile*, *aut amiſſibile*, & Cyril. lib. 11. Theſ. cap. 1. *Sapienter certe dicitur*, *nihil accidere ſubſtantiæ Dei*.

44. Quid vero dicam de compoſitione ex genere, & differentia? Profecto nihil; ſatis dixi in dialectica illam quæſtionem pertractando, in qua inquiritur, utrum Deus ſit in prædicamento ſubſtantiæ. Si vero quis admittere velit in Deo compoſitionem rationis, ita ut tota imperfectio ſit in intellectu, divinam perfectionem, ut revera eſt in ſui cognitione non attingente,non reluctor.

ARTICULUS V.

De perfectione Dei.

45. IN hac re explicanda diutius non immorabor, eſt enim Deus ita perfectus, ut omnium perfectionum pelagus à Sanctis Patribus appelletur, & frequenter hoc Scripturæ Sacræ teſtantur. ratio autem facillima, & clariſſima eſt; Si enim perfectiones omnes quas experimur, & intuemur, à Deo ſunt, tanquam à cauſa, omne namque datum optimum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, & ipſe eſt, à quo bona cuncta procedunt, plane omnes perfectiones, & omnia bona contineat neceſsum eſt. Omnia itaque per ipſum facta ſunt, atque in ipſo, & per ipſum ſunt omnia. Quod ſi Apoſtolus inquit 1. ad Corint. 15. loquens de ſtatu futuro poſt diem iudicii; *Tunc Deu erit omnia in omnibus*. hoc non innuit, tunc ſolummodo futuras eſse perfectiones in Deo, ſed ſenſus eſt, tunc eas eſse cognoſcendas, vel tunc eas electis ſuis omnes fore à Deo concedendas, quæ in ſtatu viæ fuerunt dumtaxat diviſim diſtributæ,poſſidebitur enim Deus plene, perfecte, & ut inquiunt conſummate.

46. Inquiri tantummodo poteſt, quo pacto in Deo ſint omnes perfectiones. Pro quo advertendum eſt, aliam eſſe perfectionem dictam à Thologis *ſimpliciter ſimplicem*, aliam *ſecundum quid*. Illa definitur *melior ipſa*, *quam non ipſa*. Hæc vero ea, *qua non ipſa eſt melior*. Hoc explico. Datur aliqua perfectio, quæ in ſua formali conſideratione nullam habet imperfectionem v. g. *eſſe intelligens*, *eſſe ſpiritum*, & hæc appellatur *ſimpliciter ſimplex*. Datur e contra aliqua perfectio, quæ admixta eſt alicui imperfectioni, nec eſse poteſt, niſi in ſubiecto imperfecto, & ideo dicitur *perfectio ſecundum quid*. Prima talis eſt, ut in ſuo genere melior perfectio non detur, ſecunda vero e contra, & ſic intellige definitionem allatam.

47. Perfectiones ſimpliciter ſimplices formaliter ſunt in Deo, perfectiones vero ſecundum quid, ſunt eminenter. Prima pars facile oſtenditur, nam cum Deus ſit perfectiſſimum ens, continere debet formaliter omni perfectiori modo poſſibili omnes perfectiones, quæ non excludunt ab ipſo aliquid, quod perfectius

ctius ſit, ſed ita explicantur perfectiones ſimpliciter ſimplices, ergo. 2. etiam pars eodem capite declaratur, nam,cum *perfectiones ſecundum quid* admixtæ ſint imperfectioni, quæ in Deo repugnat, reperiri debent ut ab omni imperfectione depuratæ, talis autem eſt continentia eminentiæ.

48. Hinc primo. Imperfectio, quæ ineſt creaturæ à Deo non oritur, niſi ad ſummum negative, quatenus Deus non vult impedire defectus, quos impedire nec poteſt, ſi velit creaturam producere, quia ſunt ipſi creaturæ eſſentiales, utpote eſsentia ſua finitæ, in bonum, & malum vertibili, & proprie loquendo, imperfectiones non habent cauſam, ſed ſunt defectus ex uniuſcumque rei natura progredientes. 2. Perfectiori modo continentur in Deo eminenter perfectiones cauſarum, quam contineantur in aliqua alia cauſa æquivoca, hæc enim per ſemetipſam producere non poteſt effectus illos, quos alias cauſa producit, poteſt e contra Deus. 3. tandem, non poteſt creatura dici Deus per hoc, quod illius perfectiones contineantur in Deo, & creatura quidem eſt ſimilis Deo, non tamen Deus eſt ſimilis creaturæ, ſicut imago eſt ſimilis homini, non tamen homo eſt ſimilis imagini; quare dicit S. Dionyſ. de divin. nomin. cap. 9. *In his, quæ unius ſunt ordinis, recipitur mutua ſimilitudo, non autem in cauſa, & cauſato.* & hæc eſt doctrina, quam tradit S. Th. 1. p. quæſt. 4. art. 3. ad 4. Hoc poſtremum eſt contra Wicleſum, qui propter eſſe creaturarum in Deo, dicebat, quamlibet creaturam poſſe dici Deum, & contra Servetum, qui epiſt. 6. ad Calvin. contendit, Deum in lapide eſſe lapidem, & plantam in planta, ſic de reliquis. Debuiſſent tamen advertere legi Sap. 13. *Quanto iis omnibus creator, ac dominator eorum ſpecioſior eſt.*

ARTICULUS VI.

De immenſitate Dei.

49. Deum non eſſe immenſum, neque in rebus omnibus. & locis per ſe ipſum reperiri, negavit inter alios Ariſtotel. lib. de Mundo ad Alexand. volens, non alibi eſſe, quam in cœlo, ſicut Perſarum Rex in regia Urbe Ecbatanis, non in aliis Civitatibus, eſſe ſolet; negarunt inſuper Manichæi, ipſum in aliquo determinato loco concludentes, contra quos agit S. Auguſt. in lib. contra epiſtolam Fundam. cap. 16. negavit tandem inter Catholicos Aug. Eugubinus, qui in illa verba pſ. 138. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es* inquit, Deum eſsentia, præſentiaque ſua tantum eſſe in cœlo, ſuo vero influxu in rebus inferioribus, quo modo fit, eas quantumvis ſordidas ita ſua illuminatione pervadere, ut tamen iis non coinquinetur, quod non contingeret, ſi etiam ſubſtantia ſua in ipſis reperiretur.

50. Catholica tamen doctrina firmiſſime docet, Deum immenſum eſse, atque in omnibus rebus ac locis eſse præſentem, quod quidem tum ex ſacris litteris, tum Sanctorum Patrum teſtimoniis, tum etiam ratione naturali indubitatum oſtenditur. A primis exordiamur. Legitur Jerem. 23. *Cœlum, & terram ego impleo.* 3. Reg. 8. *Cœlum, & cœli cœlorum, te capere non poſſunt* Job. 11. *Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? longior terra menſura ejus.* Pſal. 138. *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades.* quos textus explicare de ſola Dei cognitione, & influxu, fieret ſine aliquo fundamento, & contra communiſſimam Patrum doctrinam, & ſic ad ipſorum mentem exponendam devenio. In promptu eſt Cyprian. lib. de vanit. idolorum dicens. *Dei templum totus eſt mundus,*

Deus eſt totus ubique diffuſus. In promptu S. Hjeronym. in cap. 66. Iſaiæ inquiens. *Quomodo parvo concludetur loco, qui omnia implet, & in quo ſunt omnia?* In promptu S. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto hæc habens. *Domini eſt omnia complere*. Pro omnibus vero clarius ad rem noſtram ſe explicant SS. Auguſt. & Hilarius. Primus lib. 7. de Trinit. cap. 30. ait *Idem Deus ubique totus implens cœlum, & terram præſente potentia, non abſente natura*. Secundus in pſ. 138. inquit. *Mirabile eſt Deum ubique eſſe, & nuſquam abeſſe, in omnibus eſſe, & totum eſſe*.

51. Supereſt, aliam partem oſtendam, nimirum, Deum immenſum eſſe, naturali etiam ratione comprobari. Multifariam contendunt Scolaſtici hoc demonſtrare, & præſertim ex infinitate Dei. Rem enim unam non eſſe alteri præſentem, & in alio loco, non aliunde progreditur, niſi quia habet determinatam qualitatem molis, ſi res corporea ſit, vel determinatam quantitatem perfectionis, ſi res ſit ſpiritualis, Deus autem, cum ſit ſimpliciter infinitus, nullam habet determinationem, ergo rebus omnibus eſt præſens, & in omniloco. Ego tamen exiſtimo, iis rationibus, quibus probatur Deum eſſe omnino à ſe, probari etiam, immenſum eſſe, nam ſicuti, quia eſt à ſe non habet a quo limitetur in eſſe entis, ita non habet à quo limitetur in ratione replendi locum, ita ut à nullo loco poſſit circumſcribi.

52. Præterea. Si Deus ſit tantum in loco determinato, vel hunc ſibi libere eligeret, ut poſſet inde ad alium locum ſe transferre, vel in eo neceſſario eſſet. Hoc ſecundum falſum eſt, & melioris eſſet conditionis quæcumque alia creatura; ſi vero primum dicatur, inconſtans erit divina voluntas, quæ ſine aliquo novo motivo, utpote prædita omniſcientia, unum locum, alium occupando, dimitteret.

53. Hinc, licet fidei lumine deſtituti, Dei immenſitatem cognoverunt antiqui Poetæ, ac Philoſophi, quos recenſet Sanctus Cyrillus lib. 1. adverſus Julianum, ut Orphæus, Virgilius, Pytagoras, Triſmegiſtus, immo hanc fuiſſe tam Peripateticorum, quam Platonicorum opinionem teſtatur Tullius in prima academia, ideo Ariſtotelem à nobis ſuperius adductum excuſant aliqui, ex quo in lib. de mundo cap. 7. dixerit, *Deorum plena eſſe omnia*. Celebre autem in hac re eſt illud Heracliti, qui, cum ad ipſum ingredi nollent, quia in quodam vili, & ut inquiunt, furnario cubiculo vitam degeret, *Ingredimini*, inquit, *quia nec huic loco Dii deſunt immortales*, & aliud Triſmegiſti dicentis, *Deum eſſe ſpheram intelligibilem, cujus centrum ubique eſt, circumferentia nuſquam*.

54. Quod vero pro ſententia ſua addebat Eugubinus, nihil probat, quanvis enim Deus per eſſentiam ſuam ſordidiſſimis rebus ſit præſens, Dei eſſentiam non inficit, ſicut quod anima ſit in corpore leproſo, non redditur lepra coinquinata, quod exemplum affert Hugo de S. Vict. lib. 1. de Sacrament. part. 3. cap. 17.

55. Hic autem ſe exhiberet examinanda quædam difficultas apud veteres ſatis celebris, utrum Deus extra hunc mundum, ſeu loca actu exiſtentia inveniatur, in iis videlicet, quæ appellantur ſpatia imaginaria. Hæc imaginando plurimum inſudarunt, ſed omnino inutiliter, neque ego ex iis ſum, qui de rerbus imaginariis peculiarem velim inſtituere quæſtionem. Laudandi nihilominus doctores illi, qui de hac re effuſe pertractant, ut Suarez diſp. 30. Metap. ſect. 7. Vaſq. 1. part. diſp. 29. ſect. 7. Maſtrius diſp. 11. Phyſic. q. 6. Cacheran. hic puncto 5. poſtremo Petavius ipſe tom. 1. de Deo &c.

AR-

ARTICULUS VII.

Per quid Deus formaliter ſit immenſus, ſeu in loco.

56. Difficultatem iſtam diſtincte pertractandam eſſe exiſtimavi, cum verſetur inter duas præcipuas ſcholas Sancti Thomæ, & Scoti,& utraque inter alios Theologos ſuos habeat propugnatores. Docuit igitur Sanctus Thomas, ſi Thomiſtis credamus, nam hoc Angelicus Doctor expreſſe non habet; Deum eſſe immenſum, & in omni loco per propriam operationem, ita ut, ratio formalis exiſtendi in loco ſit ipſius onnipotentia in actu ſecundo, ſeu divina actio, non immanens quidem, ſed tranſiens, quod etiam ſuſtinetur, loquendo, de ſubſtantia ſpirituali, & angelica, de qua re nihil hic agendum eſt. Summa autem rationis ejusdem 1. par. quæſt. 8. art. 1. hæc eſt. In omnibus rebus Deus operatur, non ſolum quando incipiunt eſſe, ſed etiam quando in eſſe conſervantur, ſicut lumen cauſatur à ſole, quandiu aer illuminatus manet, ergo oportet, quod Deus ſit in omnibus rebus, & quidem intime ſicut eſſe rerum intimum eſt ipſis rebus, non quidem ut pars eſſentiæ, vel tanquam accidens, ſed ſicut agens, quia omne agens debet eſſe conjunctum ei, quod agit. In hac opinione præter Thomiſtas, ut ſunt Cajetan. Bannes, Nazarius, Capreol. recenſentur etiam Durand. Suarez, Aureol. quamvis inde dividantur in ſtatuendo, utrum ratio S. Th. ſit à priori, & per cauſam, vel à poſteriori, per effectum.Utcumque tamen res ſe habeat, oppoſitum docuit Scot. in 1. diſ. 37. quæſt. unica, quem præter Scotiſtas, ſequti ſunt Valentia, Vaſq. Amic. Averſa, Cacheran. &c. Cum iſtis.

57. Dicendum. Deum eſſe immenſum, ſeu in omni loco, non eſſe formaliter propter ejus operationem, & omnipotentiam. Satis quidem de hac re dixiſsem, ſi perpenderentur ea, quæ tradidi in phyſicis, ubi de actione in diſtans, nihilo tamen minus, amplius aſſertum.

Prob. Hæc illatio, Deus eſt omnipotens, & omnia, quæ ſunt, operatur, & conſervat, ergo eſt immenſus, quamvis connexive, & identice ſit vera, non eſt tamen vera formaliter, ergo Deus formaliter non eſt immenſus, & in omni loco per ſui operationem; Prob. ant. Hæc illatio Deus eſt omnipotens, ergo eſt omniſcius, quamvis ſit conexive, & identice vera, non eſt tamen vera formaliter, ergo à pari. ant. patet, quia omnia poſse formaliter, eſt diverſum ab omnia ſcire; Prob. Conſa; ideo illud, quia omniſcientia, & omnipotentia ſunt in Deo duo peculiaria, & diſtincta attributa, ſed etiam omnipotentia, & immenſitas ſunt in Deo duo peculiaria, & diſtincta attributa, utcumque diſtinguantur, ergo. Minor, præterquamquod ab omnibus Theologis admittitur conſtat ex ſymbolo S. Athanaſii, ſi hujus eſt, in quo dicitur, *Omnipotens Pater, omnipotens Filius &c.* & rurſus, *immenſus Pater, immenſus Filius &c.* Quod eſset omnino ſuperfluum, ſi ratio omnipotentiæ eſset formaliter eadem cum ratione immenſitatis.

58. Hoc magis confirmo, ſi perpendo, quod ſi Deus foret omnipotens, etiamſi per impoſſibile non eſſet immenſus, adhuc omnia operaretur, ergo ex vi operationis formaliter non infertur immenſitas; Prob. ant. Ad operandum, quatenus formaliter operatio eſt, non requiritur præſentia ſuppoſiti,ſed ſolum virtutis, ergo ſi Deus eſſet omnipotens, etiamſi per impoſſibile non eſset immenſus, adhuc omnia operaretur, anteced. etiam ab adverſariis admitti debet, & experimento conſtat, ſol enim agit in corpora inferiora, nec tamen ipſis præſens eſt per ſubſtantiam ſuam, ſed ſolummodo per ſuam virtutem; Si igitur Deus per eſſentiam ſuam omnibus eſt præſens,

non ideo eſt, quia omnia operatur, ſed hoc eſt concomitanter, connexive, & ut inquiunt, per locum ab extrinſeco, quia ejus operatio identica eſt ipſius immenſitati, ſicuti cuicumque ex aliis attributis; ex alia parte, ſi per impoſſibile eſſet immenſus, & non eſſet omnipotens, eſſet omnibus rebus præſens, nec tamen omnes operaretur, & ſi argumentum Sancti Thomæ probaret, æquali modo ex divina operatione, & omnipotentia inferretur quodlibet aliud attributum divinum.

59. Amplius. Per omnes Theologos Deus eſt in omnibus rebus triplici modo, ideſt, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, atqui ſi formaliter eſſet immenſus per operationem, modus exiſtendi per eſſentiam non diſtingueretur à modo exiſtendi per potentiam, ſiquidem hæc in operatione conſiſtit, ergo. Eſt igitur Deus per eſſentiam ubique titulo ſuæ immenſitatis, per quam non tantum rebus proximus ſit, ſed res omnes penetrat, juxta id, quod ait Greg. lib. 2. Moral. cap. 12. *Manet intra, & extra omnia, circumdando penetrat, penetrando circumdat*. Eſt ubique per præſentiam propter ſui cognitionem, per quam omnia ſecretiora intuetur, juxta illud ad Hebr. 4. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu Dei, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis ſuis*. Eſt ubique per potentiam, per quam omnia operatur, conſervat, & regit, juxta illud ad Hebr. 1. *portans omnia verbo virtutis ſuæ*, & aliud S. Auguſtini lib. 2. de ſerm. Dom. cap. 5. *Ubique eſt præſens non locorum ſpatiis, ſed majeſtate potentiæ*. Quare, omiſſis aliis quam plurimis, dicendum ſupereſt, divinam immenſitatem formaliter non colligi ex divina operatione, ſed ſolum modo ſuperius dicto.

60. Contra hæc tamen videntur eſſe tum authoritas, tum ratio. Jam primam inſpiciamus; Pſal. 138. *Si aſcendero in cælum, tu illic es &c.* deinde redditur ratio, *etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Act. 17. De Deo dixit Paulus. *Quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum* quare? *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus*. Ergo immenſitas Dei formaliter ex ejus operatione concluditur. Hoc idem ex Sanctis Patribus aperte colligitur, & omiſſis Hilario in pſ. 124. Auguſt. lib. 1. confeſs. cap. 3. Bernardo ſerm. 6. in dedicat. Eccleſiæ, clariſſime loquuntur SS. Iſidorus, & Anſelmus. Ille lib. 1. de ſum. bono cap. 2. habet hæc verba. *Immenſitas divinæ magnitudinis iſta eſt, ut intelligamus eum intra omnia, ſed non incluſum, extra omnia, ſed non excluſum, & ideo interiorem, ut omnia contineat, ideo exteriorem ut incircumſcripta magnitudine ſua immenſitate concludat; Per id ergo, quod exterior eſt, oſtenditur eſſe creator, per id, quod interior, gubernare omnia demonſtratur*. Alius vero in Monol. cap. 20. *Quia aliquid ſine ea*, ideſt eſſentia Dei, *nec uſquam, nec unquam eſt, neceſſe eſt, illam eſſe ubique, & ſemper*. Ex quibus conſtat, immenſitatem Dei colligi ex operatione.

61. Hiſce argumentis, & ſimilibus breviter reſpondet Valentia 1. p. diſ. 8. pun. 1. dicens, non oportere, conſequentias omnes, quæ ex Scripturis, & Patribus inferuntur, aut eſſe evidentes, aut eſſe deductas per rationes formales, & ita res eſt in caſu noſtro, non enim infertur, Deum ubique eſſe, quia præciſe operetur, ſed quia operetur ut agens infinitum, perfectiſſimum, & ideo hoc non contingit formaliter, & per locum ab intrinſeco, ſed convenit concomitanter &c. Vaſquez vero laudatas ſcripturas explicat non proprie de Dei immenſitate, ſed de Dei cognitione, ideo prius dixit David, *quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam*, ideſt notitia tua, & dum dicitur, *etenim illuc manus tua &c.* ibi redditur cauſa, quia nimirum ſcientia Dei illa eſt, per

quam

quam Deus omnia dirigit, & operatur, qua propter optime dexteræ manuſque nomine ſignificatur. In ſecundo vero textu Pauli innuitur, Deum non longe eſse ab unoquoque noſtrum, ut ipſum facillime cognoſcere, & adorare poſſimus,non vero fu ſse directe loquuntum de immenſitate Dei; atque hunc eſſe germanum ſenſum, evincitur ex contextu. Vidit enim Apoſtolus aram, cujus inſcriptio, *Ignoto Deo*, ut autem eorum dementiam urbane, ut fieri debet, reprehenderet, ſubdidit, *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*. & concludit ſermonem ſuum; *ſi forte attrectent eum* ideſt per cognitionem, & cultum; & cum dixerit, *ſi forte* quæ eſt particula dubitantis, quaſi ſe ipſum corrigens addidit, *Quanvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum*. Cum igitur ex alia parte non poſſit Deus attrectari manibus, ſed ſolum cognitione, ibi non de loci præſentia Paulus ſermonem habuit, ſed de præſentia cognitionis.

62. Quidquid ſit de hac explicatione, quam non improbo, primam amplector tanquam magis conſonam probationibus meis. Unicum tantummodo obſtare videtur, quare ſcilicet, præſentia Dei in loco per operationem demonſtretur, ſeu per omnipotentiam, non vero per alia attributa,cum tamen, ſi loquamur connexive, æquali modo per quodvis aliud attributum potuiſset oſtendi. Huic occurro dicendo, ideo à Scripturis, & Patribus demonſtrari per operationem, & omnipotentiam, quia licet omnipotentia, ſicut quodvis aliud attributum connexive, & concomitanter ſe habeant, attamen omnipotentia, & operatio ſe habent tanquam cauſa efficiens rei, cui Deus eſt præſens, non vero tanquam cauſa formalis præſentiæ, quam requirit immenſitas; atque hoc quidem videtur innuere authoritas Anſelmi; dum enim dicit. *Quia aliquid ſine Deo nec unquam, nec uſquam eſt* ſignificatur cauſa efficiens, ideſt omnipotentia, dum vero dicit, *neceſſe eſt, eum eſſe ubique, & ſemper*, ſignificatur immenſitas tanquam cauſa formalis, nequit enim Deus aliquid operari, quin ſtatim illi ſit præſens propter immenſitatem ſuam, per quam, tamquam per attributum ab omnipotentia diſtinctum, divina eſſentia non libere, ſed neceſſario eſt ubique. Quod ſi velis laudatam authoritatem ſtricte intelligere, cogeris aſserere, omnipotentiam, & operationem non tantum eſse cauſam formalem immenſitatis, ſed etiam æternitatis, ut clare liquet, ſi verba perpendes.

63. Nunc ad rationes, quæ in oppoſitum poſsunt afferri. Primo ſic argumentantur. Quanvis, dum agitur de operatione creaturæ ſufficiat præſentia virtutis, dum tamen agitur de operatione Dei, requiritur præſentia ſuppoſiti, ergo ex operatione Dei habetur immenſitas Dei;Prob. ant. licet in creatura virtus operativa in actu ſecundo diſtinguatur à ſuppoſito, non tamen diſtinguitur in Deo, ergo quanvis &c.

Secundo contactus virtutis ſufficit quidem, ut agat cauſa, ſed non ut intime penetret, ac omnino pervadat effectum ſuum, ergo cum Deus non ſolum in rebus omnibus agat, ſed illas intime penetret, ut loquuntur Sancti Patres, ejus actio non ſolum inferet præſentiam virtutis, ſed etiam ſuppoſiti, ex ipſius igitur operatione habetur formaliter ipſius immenſitas, ratio autem eſt, quia Deus tribuit, & conſervat totum eſse rei, præſertim dum creat, debet itaque ex vi actionis eſse in toto eſſe rei, & ſicuti, ut agens operetur, debet eſse præſens ſaltem virtute, ita ut operetur perfectiſſimo modo, debet eſse præſens perfectiſſimo modo,ſed ſic debet eſse præſens per ſui ſubſtantiam, ergo.

64. Reſp. conc. ant. ne. conſ. argumentum enim probat, ex operatione Dei haberi immenſitatem, non quia eſt ope-

operatio præciſe, ut deberet probare, ſed ex quo actio De identitatem habeat cum ſubſtantia Dei, habet autem hanc identitatem titulo ſummæ ſimplicitatis, & infinitatis divinæ, proinde ex hac probabitur Dei immenſitas, non ex illa, niſi ad ſummum mediate, quod non facit ad rem. Præterea. Ex quo actio idem ſit cum ſubſtantia, probaretur ad divinam actionem requiri etiam præſentiam ſubſtantię quantum ad approximationem ſecundum partes extimas, quod tamen immenſitati ſervandæ non ſufficit.

Ad Secundum eadem utor doctrina, actio enim Dei intime penetrat omnia, non quia præciſe agit, & conſervat, ſed quia agit, & conſervat per infinitam perſectionem. Cœterum perpendamus rationem argumenti. Quia Deus tribuit totum eſſe rei, debet eſſe in toto eſſe rei, ego quod tribuit aliquid eſſe rei, debet eſſe intime in aliquo eſse rei, ergo quælibet actio requiret contactum majorem, quam approximationis, ſed hoc eſt manifeſte falſum, ergo. ratio autem eſt, quia ſive tribuatur totum eſse rei, ſive aliquid tantum, ſemper tribuitur in genere cauſæ efficientis, quæ cum extrinſeca ſit, rem intime penetrare ex ſua formali ratione ſibi non vindicat, niſi aliquid, cujus cauſa ſic intime penetret, ſuperaddatur. Parum deinde probat, actionem Dei eſſe creativam, etenim in primis non eſt ſemper hujuſmodi, deinde per me etiam actio creaturæ poteſt eſse creativa, nec tamen deberet intime penetrare, & pervadere totam rem; immo, ut verum fatear; melius ſententia mea modum ſervat, quo Deus eſt in rebus, per eſsentiam, & ſubſtantiam ſuam, ſiquidem oppoſita illam declarat per operationem tranſeuntem, ſed hæc non eſt eſsentia, & ſubſtantia ſua formaliter, ergo. Sicuti quanvis Rex per ſui potentiam ſit in toto regno, non eſt tamen per ſui ſubſtantiam; & quod dicitur de actione creante, potius probat, ad agendum neque requiri præſentiam virtutis, neque ſuppoſiti, ut in phyſicis declaravi. Poſtremo jam reſponſum eſt, non enim negamus, Deum eſse præſentem perfectiſſimo modo, & per ſui ſubſtantiam, ſed hoc dicimus non contingere propter actionem, ſed propter ſui infinitatem, ex qua ipſa immenſitas oritur immediate. Alia plura opponunt, ſed juxta dicta rejiciuntur.

ARTICULUS VIII.

De Dei æternitate.

65. Plura dicta ſunt de iis, quæ pertinent ad æternitatem in libris Phyſic., non tamen ſatis, ut ea declarentur, quæ ſibi peculiariter Theologus vindicat, illa vero recolere non erit abs re. Pluribus autem modis hoc nomen æterni accipi ſolet, quemadmodum pluribus rebus aptari. Id aliquando appellatur æternum, quod ſecundum ſui ſubſtantiam nunquam eſt deſiturum, ita æterni ſunt Angeli, & anima rationalis, immo ipſa terra, de qua dictum fuit Eccleſiaſt. 1. *Terra in æternum ſtat*. Id aliquando, quod licet deſiturum ſit, attamen diuturnam admodum permanentiam habet, in quo ſenſu Deuteron. 33. colles dicuntur æterni, & pſ. 75. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*. Id aliquando, quod humana non poteſt auctoritate mutari. Sic Exod. 12. legitur *Celebrabitis diem hanc cultu ſempiterno*. Sed quomodocumque ſumatur hujuſmodi æternitas, dicitur tantum per quamdam ſimilitudinem, & imitationem veræ æternitatis, quæ proprie ſoli Deo convenit, de quo dicit Fulgentius lib. de Fide ad Pet. cap. 6. *Firmiſſime tene, ſolum Deum verum, æternum, & incommutabilem*. & Hieronym. in epiſ. ad Damaſum. *Deus ſolus eſt æternus, quia ipſe ſolus non habet exordium*.

66. Eſt

66. Eſt autem hæc æternitas apud omnes Theologos, *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio* quam definitionem tradidit Boetius lib.5. de Philoſ. proſa 5. quodve prius expoſuit S. Auguſtin. in pſ.101. dicens. *Æternitas Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile, ibi nihil eſt præteritum, quaſi jam non ſit, nihil eſt futurum, quaſi nondum ſit, ſed non eſt ibi niſi eſt*. atque S. Dionyſ. de divinis nominib. cap 10. *Sæculi*, ideſt æternitatis, *proprietas eſt, antiquum & immutabile, & totum impartibiliter ſecundumque totum ſuum eſſe metiens*.

67. Dixi, eam eſſe æternitatis definitionem apud omnes Theologos acceptam, nec eam fas eſt explicemus per genus & differentiam, ſicut dialectici ſolent. Hoc tantummodo dicam juxta Sanctum Thomam hic art. 1., quod nempe, ſicut res ſimplices cognoſcimus, ac declaramus per res compoſitas, & ſpirituales per corporeas, oppoſito modo de iis ſentiendo, ita æternitatem aprehendimus per tempus. Sicut igitur in tempore datur principium, & finis, ordo prioris & poſterioris tam in motu, quam in mobili, ita e contra in æternitate non eſt principium, nec finis, nec prius, nec poſterius, & ideo eſt, ſicut fuit definita; conſulto autem eſt appoſita illa particula *interminabilis* ut non ſolum excluderetur terminus, ſed etiam poſſibilitas termini; Sed quare, inquies, dicitur *vitæ*, non vero *exiſtentiæ*? cum tamen, dum de Deo loquimur, potius hæc, utpote eſſentia Dei metaphiſica, quam illa, quæ hujuſmodi non eſt, fuiſſet exprimenda; Apte reſpondet Cacheran. primo, quia, cum vita præſupponat exiſtentiam, ſi illam exprimis, hanc apud intelligentes non omittis. Secundo, quia exiſtentia ſolet nobis per vitam innoſcere, ideſt per operationem, & ideo definitio tradita eſt per terminos magis notos, ſi non per terminos magis proprios.

68. Hic plures Doctores antiquí, nec inficior celebres, plurimas movent difficultates. 1. Quomodo differant æternitas, ævum, & tempus. 2. an æternitas poſſit communicari creaturæ. 3. an æternitati conveniat ratio durationis, & menſuræ. 4. quo pacto ſe habuerit Deus per reſpectum ad tempus imaginarium, 5. an duratio ſuperaddat aliquid rei. Verum ſine aliqua ipſorum injuria ab hiſce calamum meum removeo, nam ſi res hæc mentis poſtulat ſtudia, quod non arbitror, ſatis ſuperque, ſcripſerunt ipſi, & ſi quis vel neget, vel ſcire cupiat, ipſos conſulat.

69. Quod opportunius exiſtimo inquirendum eſt, quo pacto conſtet, Deum eſſe æternum.

Reſp. conſtare tam ex principiis fidei, quam naturalis rationis.

Primum quidem ſuadeo eo modo, quo poteſt, nimirum ex divina revelatione in Scripturis Sacris nobis expoſita. pſal.9. *Dominus in æternum permanet*. Eccleſ.8. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. ad Rom. 16. *Secundum præceptum æterni Dei*. In Symb. Athanaſii, *Æternus Pater, æternus Filius &c.* In Concil. Lateranen. cap. Firmiter. *Solus eſt verus Deus, æternus*. Adde Patres laudatos ſub initio articuli.

Ratio autem ab eo deſumitur, a quo reliqua deſumuntur attributa; ſiquidem Deus eſt immutabilis, & infinitus, ſi immutabilis nequit tranſire de non eſſe ad eſſe, habet ergo vitam interminabilem, nihil poteſt acquirere, nihil amittere, nulla igitur ipſi ſucceſſio, habet ergo totam ſimul, & perfectam poſſeſſionem. Si vero infinitus, habet infinitam durationem omni & infinito modo, proinde &c.

ARTICULUS IX.

Quomodo æternitas ſe habeat ad futura.

70. Difficultatem arduam explicandam aggredimur, atque eo majorem, quo Theologos omnes in hac re obſcuros, & involutos invenio. Dum autem inquirimus, quomodo æternitas ſe habeat ad futura; aliud non intendimus, niſi quod ſub aliis terminis ab aliis proponitur, quomodo nimirum futura ſint æternitati præſentia. Celeberrima Thomiſtarum Schola contendit, res omnes, ſive productas, ſive producendas per ſuum eſſe phyſicum & reale eſſe æternitati præſentes; atque ex hac phyſica, realique præſentia Deum certo omnia futura cognoſcere, immo, ſi per impoſſibile Deus non eſſet omniſcius, adhuc ab æterno ex vi æternitatis, eſſent futura phyſice Deo præſentia. Opinio hæc pluribus etiam ex S. Thomæ ſectatoribus ſatis ardua viſa eſt, & Sylveſter in Roſa aurea tract. 3. q. 45. aperte inquit, hanc eſſe non potuiſse mentem Doctoris, quod etiam fatetur Egidius ipſius diſcipulus in caſtigatorio ſuper hunc articulum, immo Cajetanus ipſe ſuper textum Angelici 1. p. q. 14. art. 13. quem infra proferemus, ait. *Iſte locus ab adverſantibus judicatur plenus contradictionis, & erroris, a ſequentibus autem doctrinam S. Thomæ, reputatur adeo obſcurus, ut neminem hactenus viderim ſive ſcripto, ſive verbo aſſertive tueri hoc dictum.* Deinde fatetur, ſe per quindecim annos hoc ignoraſſe, & demum nudius tertius ope, ut arbitratur, S. Thomæ facem aliquam ſibi eluxiſſe, ut veritatem plenam & indubitatam agnoſceret, concludens id, quod ſuperius dicebatur.

71. Scotiſtæ vero omnes cum ſuo Doctore in 1. diſ. 39. §. *Contra illum* fatentur quidem, futura eſſe objective Deo præſentia, ſive quia in ſe ipſis cognoſcibilia ſint, ſive in divino decreto, non autem phyſice & realiter, non quia hoc oriatur ex defectu æternitatis, ſed futurorum, nam licet hoc immutabile iſtius æternitatis ſit futurorum menſura, attamen expectare debet futurorum propriam exiſtentiam, ut hæc ipſi coexiſtant, ſicut eadem immutabilis & indiviſibilis immenſitas Dei omnia occupat loca, attamen ut occupet loca futura, expectare debet propriam futuri loci exiſtentiam. Hoc etiam docuerunt S. Bonavent. in 1. diſ. 39. art. 2. quæſt. 3. Durand. quæſt. 3. num. 11. Suarez; Vaſq. Valent. Cacheran. licet iſte videatur in utramque partem propendere per duo aſſerta, in quorum primo inquit, æternitatem ſumptam ſecundum ſuum eſſe phyſicum habere coexiſtentiam cum omnibus futuris, in ſecundo vero, æternitatem non habere ab æterno coexiſtentiam ad futura per realem, & phyſicam præſentiam omnium futurorum, in quo certe à Scoto non recedit.

72. Dicendum. Futura non eſſe phyſice, & re præſentia æternitati.

Probatur. Futura in æternitate non habent exiſtentiam phyſicam, & realem, ergo ſecundum hanc exiſtentiam nequeunt æternitati eſſe præſentia. Probatur ant. 1. Si futura in æternitate haberent exiſtentiam phyſicam, & realem, jam in æternitate eſſent producta, ſiquidem hujuſmodi exiſtentia eſt terminus phyſicæ productionis, ſed hoc eſt contra Patres, & ſcripturas, aſſerentes, nihil ab æterno productum eſſe, & omnia in tempore incæpiſſe, & etiam contra rationem naturalem, alioquin eadem res bis eſſet producta, ergo. Secundo; ſi futura in æternitate haberent exiſtentiam phyſicam, & realem, vel eſſent in menſura propria, & intrinſeca, vel tanquam in aliena, & extrinſeca, non primum, ut concedunt Thomiſtæ, non ſecundum, & probatur;

Re-

Repugnat, aliquam rem eſse phyſice in menſura aliena, & extrinſeca, & non eſse prius, ſaltem ratione, in menſura propria; & intrinſeca, ergo. Probatur ant. 1. quia ex terminis prius eſt eſse in ſe, & abſolute, quam ad aliud, & relative. Secundo; quia quantumvis æternitas ſit menſura ſuper excedens, tota ſimul, & indiviſibilis, nihilo tamen minus, ſi res non habeat in ſe ipſa exiſtentiam, nequaquam poterit ipſi phyſice coexiſtere; probo. Immenſitas eſt perfectiſſima menſura, indiviſibilis, & tota ſimul replens omnia loca, & nihilominus, ſi locus non habeat in ſe ipſo exiſtentiam, nunquam locus poteſt ipſi coexiſtere, & ab ipſa repleri, ergo a pari. Profecto illatio hæc tenet, nam ſicut æternitas Dei commenſuratur tempori, ita immenſitas loco, & mutabilitas ex utraque parte æquo modo repugnat, cum utraque ſit attributum divinum, & ſi dicant, immenſitatem eſse per operationem in loco, hoc in primis falſum eſt ex dictis in antec. deinde dicam, quod ſi immenſitas Dei eſt reſpectu loci per operationem, etiam æternitas Dei erit reſpectu temporis, per operationem, ſicut enim locus non eſt, niſi per hoc, quod à Deo producatur, & conſervetur, ita tempus non eſt, niſi per hoc, quod à Deo conſervetur, & producatur, pendet enim tempus à motu primi mobilis, cum ſit per prius, & poſterius, motus autem ille dependet a Deo.

73. Hoc igitur firmum eſse debet, quod æternitas eſt quidem tota ſimul, & perfecta poſseſſio, non quia omnia phyſice coexiſtant ipſi; ſed quia licet cætera fluant, ſibique ſuccedant, ipſa tamen non fluit, ſed immobilis perſeverans omnibus fluentibus eſt eadem, quemadmodum, ut aliquo utar exemplo, quod tamen in omnibus non tenet, ut in ceteris expertimur exemplis, arbor ſita in fluminis ripa, immobilis in ſuo loco coexiſtit omni fluxui aquarum, quando apud ipſam fluunt, & tota ſucceſſio eſt in aquis defluentibus, quod a priori demonſtratur paritate adducta immenſitatis, nam quod Deus actu non repleat omnia loca poſſibilia, vel futura, non infertur imperfectio, & ſucceſſio immenſitatis, ſed locorum, quæ, ſi eſsent in ſe ipſis, replerentur, ſed quia in ſe ipſis non ſunt, minime Dei immenſitate replentur, & quando ſunt, revera replentur ſine aliqua divinæ immenſitatis mutatione. Quare ſi immenſitas Dei virtute ſua ad omnia futura loca ſe extendit, iſta tamen non ſe extendunt ad ipſam, ita æternitas virtute ſua ad omnia ſe extendit futura, iſta tamen phyſice non ſe extendunt ad illam, & ſemper paritas redit.

74. Rationem principalem amplius confirmo. Ut detur præſentia obiectiva, debet prius res in ſe ipſa obiective exiſtere, ideſt eſse cognoſcibilis, ergo, ut detur præſentia phyſica, debet res in ſe ipſa prius phyſice exiſtere, ant. patet 1. ex terminis, quia facultas intellectiva non poteſt cognoſcere, quod cognoſci non poteſt, ſicuti virtus productiva non poteſt producere, quod produci non poteſt; 2. conſtat in Thomiſtarum ſententia, negantium, poſſibilia in ſe ipſis cognoſci, quia in ſe ipſis, ſicut nihil ſunt, ita nullam habent cognoſcibilitatem.

75. Plura alia momenta congerunt, qui noſtræ ſubſcribunt ſententiæ, omnia tamen me breviter complexum eſſe judico, niſi fortaſse eſset illud, quo probatur, data adverſariorum opinione, omnia futura coexiſtere etiam angelicæ durationi, ſeu ævuo, nam à parte poſt, etiam hæc eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio; & ſi dicerent, eſſe tali pacto ſolum participative, argumentarer, ergo ſaltem participative debent omnia futura ipſi coexiſtere. Verum argumentum hoc expoſui, non ut ex ipſo aliquod fulcimen adderem, ſed ne prorſus illud omitterem.

rem. Ex his argumenta omnia in oppoſitum rejecta eſsent, attamen ea exponemus.

76. Oppones 1. directe contra noſtram probationem. Prius eſt, res eſse phyſice in æternitate, quam in ſe ipſis, ego ita ſunt. Probatur ant. Prius eſt res eſse phyſice in æternitate, quam in tempore, quia menſura æternitatis eſt prior, & univerſalior, quam menſura temporis, immo hæc continetur in illa, ergo.

Præterea. Res eſse in tempore eſt, eſse tantummodo in menſura ſimpliciter, non tanquam in cauſa, eſse vero in æternitate eſt, eſse in menſura præhabente omnes temporaneas perfectiones, ergo prius eſt &c. Rurſus. Dato oppoſito æternitas in menſura rerum à tempore dependeret, quod non, ergo.

Reſp. negando duo prima antecedentia; ad probat. ſi loquamur de menſura intrinſeca, & de divina exiſtentia, antecedens eſt verum, ſi de menſura extrinſeca, & exiſtentia creaturarum, eſt falſum, neque refert, eſse menſuram univerſaliorem, in qua continetur tempus, nam eſt ſolum in virtute, non actu, ſicut de immenſitate dictum eſt per reſpectum ad locum.

Ad 2. quid intelligunt per illam menſuram præhabentem omnes res temporaneas? Si velint, præhabere tanquam cauſam efficientem, falſum dicunt, hoc enim ſpectat ad omnipotentiam, ſi tanquam cauſam exemplarem, & perfectiorem, hoc concedo, ſed non eſt ad rem, cum hic ſermo ſit non de majori perfectione, ſed de quantitate, & extenſione actuali ad omnia, & ſequeretur, idem dicendum fore de duratione Angelorum. Ad ſummum ergo præhabet æternitas omnes res in tempore extituras virtute, & actu primo, & ſic nihil evincitur, & redit argumentum ab immenſitate petitum, & aliud deſumi poteſt a divina omnipotentia, quæ quidem res omnes in ſua virtute, non tamen in actu ſecundo præcontinet.

Ad 2. negatur antec. quia, quod æternitas ad omnia futura non ſe extendat, non eſt ex defectu æternitatis, ſed ex defectu rerum, quæ non ſunt; dependent ergo res à tempore, non dependet æternitas, & idem ſemper de immenſitate dicendum eſset.

77. Opp. 2. Æternitas eſt *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*. atqui ex hiſce omnibus infertur, ſutura phyſice ipſi coexiſtere, ergo. Probatur antec. juxta particulas *interminabilis vitæ*, ſic enim æternitas eſt infinita, & perfectiſſima in linea durationis non ſolum eminenter, & virtualiter, ſed re & phyſice, quemadmodum ſcientia Dei non dicitur perfectiſſima ex quo contineat virtualiter, & eminenter omnes ſcientias, ſed requiritur, quod actu contineat omne, quod cognoſci poteſt, & immenſitas non eſt infinita, & perfectiſſima, ex quo eminenter, & virtualiter habeat omnem præſentiam ad locum, ſed debet actu ſe ad omnem locum extendere, ergo. Probat. idem primum ant. juxta illas particulas *tota ſimul*. Ex quo ſit tota ſimul, nullam in ſui menſura ſucceſſionem admittit, nec in ea datur duplex inſtans, unum coexiſtens uni tempori, alterum alteri, ſed eſt nunc ſemper permanens, & certe non eſt aliud diſcrimen inter æternitatem, & tempus, quantum pertinet ad rationem menſuræ, niſi hoc, quod tempus mobiliter & ſucceſſive, æternitas vero immobiliter & permanenter res omnes complectitur, ergo. prob. tandem primum antecedentia juxta illas particulas, *perfecta poſſeſſio*. Continere aliquam rem per poſſeſſionem perfectam non ſolum exigit exiſtentiam poſſidentis, ſed etiam rei poſſeſſæ, etenim perfecta poſſeſſio deſinit, ſive per hoc, quod deſinat poſſidens, ſive deſinat res poſſeſſa, ideo nemo habet jus in re, ſive dominus rem non apprehendat, ſive res ad dominum non veniat,

veniat, ut experimur, ergo. Hoc eſt argumentum potiſſimum, quod præter Bannez, Nazarium, Gonzalez, Gabreram, tam effuſe promovet Puteobonellus.

78. Reſp. advertendo, æternitatem conſiderari poſſe vel intrinſece per reſpectum ad Deum, vel extrinſece per reſpectum ad creaturas. In primo ſenſu definitio æternitatis eſt veriſſima, & ſic fuit a Boetio definita, in ſecundo vero ſenſu nego minorem; ad prob.paritates allatæ noſtræ favent aſſertioni, ut dictum eſt in probatione, jam de immenſitate notum eſt; Quantum vero ad ſcibile, dico, vel conſiderari ut ſcibile eſt, & ſic ſemper fuit, vel ut futurum eſt, & ſic non coexiſtit phyſice æternitati. Ad ſecundam partem probationis diſ. ant. nullam ex parte ſui ſucceſſionem admittit, nec datur duplex inſtans intrinſecum conc. ex parte rerum, & extrinſece ne. ant. & ſic aſſertur diſcrimen unicum, & ſufficiens inter æternitatem, & tempus. Ad tertiam probationem, jam patet, quomodo æternitas ſit perfecta poſſeſſio, ideſt intrinſece & in actu ſecundo per reſpectum ad Deum, per reſpectum vero ad creaturas ſolum virtute, & in actu primo, non defectu ſui, ſed alterius extremi, poſſeſſio enim infert relationem inter poſſidentem, & rem poſſeſſam, quare ſi res in ſe ipſa non eſt, jam non eſt poſseſſa, nec haberi poteſt hujuſmodi relatio, ut conſtat de immenſitate, & de omnipotentia, in quibus ſi admittant, ut revera admittunt, ſucceſſionem extrinſecam, & virtualem, non video, quare hanc reſpuant in æternitate. Ex his habes, quo pacto etiam in æternitate detur præteritum.

79. Opp. 3. Deus certo, & infallibiliter cognoſcit ab æterno futura contingentia, ergo hæc ſunt illi ab æterno præſentia phyſice. Prob. conſa. ſi Deus certo & infallibiliter cognoſcit futura contingentia, & hæc non ſunt illi præſentia phyſice, Deus illa bis cognoſceret, nimirum ſemel quando futura ſunt, & inde quando præſentia ſunt, ſed hoc non, alias cognitioni divinæ æternæ adderetur alia cognitio in tempore, ergo. Hac ratione SS. PP. negant præſcientiam in Deo,ut inferius oſtendam.

Præterea. Quando res cognita habet exiſtentiam in tempore, novo modo a Deo non cognoſcitur, ergo etiam ante cognoſcebatur ut præſens, ergo ut præſens æternitati.

Rurſus. Iſte diverſus cognoſcendi modus non ſolum eſset ex parte rei cognitæ, ſed etiam ex parte cognoſcentis, quia, quando res eſt, cognoſcit propter præſentiam, quando non eſt, cognoſcit propter futuritionem.

80. Reſp. conc. ant. ne. conſ. ad prob. neg. majo. nam futura in eſſe obiectivo ſunt æque præſentia,ac ſi phyſice eſſent in ſe ipſis, quod etiam patet in cognitione noſtra attingente diem craſtinam, ſicut ſi eſſet dies hodierna, quod præſertim de Deo dicendum eſt, cum in ipſius eſſentia à Deo comprehenſive cognita contineantur perfectiſſimo modo omnes res ſecundum omnes proprias formalitates, modos, & circumſtantias, quare optime à Patribus negatur præſcientia proprie in Deo; ſequeretur quidem in oppoſita ſententia, res bis produci ſecundum eſſe phyſicum, ſemel ſecundum id, per quod phyſice ſunt præſentes æternitati, deinde ſecundum id, per quod phyſice exiſtunt temporanee.

Idem ad 2.quod eſt verum depræſentia obiectiva, & diverſitas eſt ſolum extrinſeca, & ex parte rei cognitæ,quæ prius cognoſcebatur ut præſens phyſice ſecundum præſentiam, quam ſuo tempore habebit, non ſecundum illam, quam ab æterno habeat.

Ad ultimum, ſemper eſt eadem cognitio invariata in Deo, nam ſicut modo

modo cognoſcit, Antichriſtum futurum pro eo anno, quo erit, ita cognoſcit illum ut præſentem pro illo anno, & nunquam deſinit in Deo cognitio illius ut futuri pro hoc tempore, ut præſentis pro alio tempore, totaque variatio eſt ex parte obiecti. Hiſce tamen argumentis debent etiam reſpondere contrarii Doctores, nam Deus ab æterno cognovit futura, ut exiſtentia phyſice in æternitate, tanquam in aliena menſura, deinde cognoſcet illa, ut exiſtentia phyſice in tempore, tanquam in menſura propria. Quo pacto autem Deus infallibiliter cognoſcat futura, traditum eſt in ſecundo opuſculo noſtro.

81. Opp. 4. Ex Patribus, de quibus ſupra, negantibus præſcientiam in Deo. S. Auguſtin. lib. 2. ad ſimplician. *Quid eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum? Quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora? Si enim in ſcientia res ipſas habet, non ſunt ei futuræ, ſed præſentes.* Neque hoc dictum Auguſtini explicari poteſt de præſentia obiectiva, qua Deus futura faciat ſibi præſentia, etenim hoc pacto non recte probaretur, excludendam eſſe à Deo præſcientiam, ſiquidem etiam Prophetis res futuræ ſunt obiective præſentes, & tamen de ipſis habent Prophetæ præſcientiam, debet igitur explicari de præſentia phyſica. Idem, quod Auguſtinus, tradidit Boetius lib. 5. de conſolat. proſa ultima, ubi ait. *Omnia, quæ jam generantur, in ſua ſimplici conſideratione conſiderat, namque ſi præſentiam penſare velis, qua cuncta dignoſcit, non eſſe præſcientiam quaſi futuri, ſed ſcientiam nunquam dificientis inſtantis exiſtimabis.* Eodem modo loquitur S. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 23. & clarius S. Anſelmus in concordia liberi arbitrii, & prædeſtinat. cap. 1. ubi aſſerit, *quod nos per ſucceſſus dierum, & temporalium hinc ad mille annos expectamus, in conſpectu æternitatis jam factum eſt, & quod futurum eſt, jam factum eſt.* Quibus additur teſtimonium adductum ſub initio artic. præcedentis.

82. Reſp. Revera omnes iſtas, aliaſue ſimiles authoritates de præſentia obiectiva intelligendas eſſe; ſed ad hoc ſine aliqua controverſia dirimendum, adnotandum eſt, præſcientiam apud homines diverſam eſſe à præſcientia apud Deum. Illa enim eſt veluti præſenſio quædam, & propoſitio rei futuræ ita confuſa, ut quando res fit præſens clarius videatur, ideo eſt quædam immatura ſcientia, & hoc non tantum in rebus contingentibus, ſed etiam neceſſario futuris, quod patet in Aſtrologo aliter cognoſcente ecclipſim futuram, & aliter præſentem. In Deo autem res non ita ſe habet, ſed omnia cognoſcit ita clare, & perfecte, ac ſi præſentia forent, quia profecto ita ſunt vel in ſui eſſentia, vel in ſui decreto, quomodocumque ſit hujuſmodi decretum, de quo non eſt hic diſcutiendum. Totum hoc colligo ex doctrina Sancti Auguſtini 11. Confeſs. cap. 18. ubi ſic loquitur. *Cum ergo videri dicuntur futura, non ipſa, quæ nondum ſunt, ideſt quæ futura ſunt, ſed eorum cauſæ forte videntur, quæ jam ſunt. Deus autem, qui ſua eſt in intelligendo perſpicuitas, ita ad vivum intuetur res, quæ nobis futuræ ſunt, & judicat tali tempore eſſe futuras, tali vero eſſe præſentes, & tali eſſe præteritas, ut variatio rerum in ſe nihil addat, vel adimat perfectionis ſcientiæ Dei.* Clarius pro re noſtra præclariſſimus Doctor ſcribere non potuiſſet; excluditur ergo à Deo præſcientia eo modo, quo eſt in hominibus, & fuit in Prophetis, non vero quo à nobis admittitur, quæ à ſcientia non differt. Cœterum, præſcientiam in Deo abſolute admitti poſſe colligitur ex ſcriptura, ait enim Apoſt. ad Rom. 8. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit &c.* Et Petri 1. cap. 1. legitur, *ſecundum præſcientiam Dei Patris.* In præfato ſenſu nihil eſt futurum, nihil

in

in æternitate præteritum, & quæ facienda ſunt jam ſunt facta, non quidem phyſice, ſed ſolum in ſcientia, in voluntate, & in divino decreto; unde Auguſtinus ſerm. 11. de Verbis Domini inquit. *Habet Deus electos apud ſe ipſum non in natura ſed in præſcientia ſua.* Tandem S. Gregor. loco ab adverſariis citato poſt pauca inquit; *Quæcumque ſunt, non ab æterno ideo videntur, quia ſunt, ſed ſunt, quia videntur*, rem autem aliquam eſse, quia videtur ſeu cognoſcitur, eſt ſolum eſſe objective.

83. Afferri ſolent pro ſententia contraria non nulla exempla, quæ tamen à me omittuntur, cum facillime poſſint in ipſam retorqueri. Placet modo breviter inquirere, quid revera in hac re ſenſerit S. Thomas, cum ex dictis ſub initio articuli, ipſi Thomiſtæ inter ſe diſcrepent. Præcipuum vero S. Doctoris teſtimonium illud eſt, quod habetur hic, nimirum. *Omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolum ea ratione, qua habet rationes rerum apud ſe præſentes, ut quidam dicunt, ſed quia ejus intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate.* Si autem de ſola præſentia objectiva loqueretur, ratio, qua probat, à Deo infallibiliter futura cognoſci, eſſet manifeſta petitio principii, ſequeretur enim hoc, ideo cognoſci, quia ea hebet objective præſentia, quod idem eſt, ideo cognoſcit, quia cognoſcit.

83. Nihilominus tamen arbitror, Sanctum Doctorem nunquam præſentiam illam phyſicam futurorum docuiſſe, atque Egidius à me laudatus, in caſtigatorio contra corruptorem Thomæ, contendit ab hac ſententia, tanquam à calumnia, quam plures Doctores Pariſienſes ipſi ſuo tempore tribuebant, & ob eam illum erroris inſimulabant, Angelicum vendicare. Hoc conſtat in primis, ſi quæ docet in eo articulo perpendamus. Tria ſunt. Primum, Deum ſcire omnia futura; hoc autem non probat, ex quo ſint præſentia, ſed quia comprehendit omnia, quæ ſunt in ſua, & in creaturæ poteſtate. Secundum, Deum cognoſcere futura in ſe ipſis, & non in cauſis, & hoc probat, quia cauſæ ſunt ad utrumque indifferentes. Tertium Deum hæc omnia ab æterno cognoſcere ſimul, & probat, quia æternitas eſt tota ſimul; in textu itaque adducto non reddit rationem, quare Deus futura cognoſcat, ſed explicat modum, quo ipſa cognoſcit, & dicit, eſſe præſentia, quia ejus intuitus fertur in illa, quod non eſſet verum, ſi loqueretur de præſentia phyſica, ſed debuiſſet dicere, ipſius intuitum ferri in illa, quia ſunt ipſi præſentia. Moveor autem ad ſentiendum quod dixi duplici Sancti Thomæ teſtimonio 1. contra Gent. cap. 66. Primum eſt hoc. *Quidquid in quacumque parte temporis eſt, coexiſtit toti æterno quaſi præſens eidem, etsì reſpectu alterius partis temporis ſit præteritum, vel futurum.* Alterum eſt. *Quidquid agitur per totum temporis decurſum agitur, divinus intellectus in tota ſua æternitate intuetur, quaſi præſens, nec tamen, quod quadam partem temporis agitur, ſemper fuit exiſtens.* Quid expreſſius?

QUÆSTIO III.

De cognoſcibilitate Dei, ſeu de viſione.

POſt recenſita plura divina attributa, ampliorem ſibi parat quæſtionem divina veritas, ſeu cognoſcibilitas juxta modum, quo a creatura percipi poteſt, & de facto percipitur. Nulla autem ſit difficultas de cognoſcibilitate Dei abſtractiva, cum de ea ſatis dictum ſit in quæſtione prima, ſed tantum de illa, quam intuitivam appellant, cujus notitiam traditam eſſe ſuppono in philoſophicis quæſtionibus. Felix, qui illam aſſequitur in patria tanquam laborum ſuorum mercedem, omniumque certaminum victoriam. Hanc illius meritis, qui proprio ſanguine introivit ſemel in ſancta æterna redemptione inventa, ſperamus, hanc vero, quantum licet, nunc mente perſcrutemur, ut eadem cognita in ejus deſiderium accendamur.

ARTICULUS I.

Quomodo ſit poſſibilis Viſio Dei intuitiva.

1. CUm duplex facultas à Theologis omnibus diſtinguatur, una naturalis, quam Deus rebus omnibus tribuit juxta propriam innatamque earumdem exigentiam, alia ſupernaturalis, per quam Deus, faciens potentiam in brachio ſuo, efficit, ut etiam ſterilis pariat, virgo concipiat, & arbor arida proferat flores, & fructus; Videndum primo loco occurrit, utrum viſio intuitiva Dei poſſibilis ſit attentis ſolis viribus naturalibus. 2. An auxiliis Dei ſupernis poſſit homo eam ſibi comparare.

2. Atque, ut primum reſolvatur, ſatis notum ſuppono, fuiſſe in hac re errorem Beguardorum, & Beguinarum, hominem in hac vita poſſe eſſe beatum, ſicut in futura, ut colligitur ex Concilio Viennen. in Clement. *Ad noſtrum* de hæretic. immo tantam ipſi ſanctitatem jactitabant, ut terrenarum expertes cogitationum ita contemplationis beneficio ſupra ſe attollerentur, ut ipſis Deum perfecte videre datum eſſet. Error iſte apud Anomæos prius invaluit, qui dicere non trepidarunt, ſe in via ita poſſe Deum comprehendere, ſicut Deus ſe ipſum cognoſcit, ut referunt S. Baſilius epiſt. 168. contra Eunomium, & Theod. lib. 4. hæretic. fabular.

3. Hoc prorſus reiiciendum eſt tanquam fidei dogmati omnino contrarium, quod quidem ſatis manifeſte colligitur ex divinarum ſcripturarum oraculis: Exodi 33. *Non videbit me homo & vivet*, ideſt, ut cum reliquis Patribus exponit S. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 38. *Non videbit, quandiu vivet*. 1. ad Corint. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*. & 2. ad Corint. 5. *Dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino*; atque, ut omnia paucis complectar, ſatis eſt, Beguardos, & Beguinas in Concilio Viennenſi laudato damnatos fuiſſe. Quo pacto hominem in hac mortali vita beatum eſſe poſſe, contendunt, cum tamen dicat Job. cap. 14. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis?* & cap. 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. Paulus vero ad Rom. 8. *Ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes*. Futura hæc gloria eſt, præſens vero vita periculis

lis plena, quanquam *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* In hac vita certamen, poſt hanc corona, *nec coronabitur, niſi qui legitime certaverit.* Hanc legem ſtatuit, ſervatque Deus.

4. Dices, hæc omnia probare. Deum de facto naturæ viribus non videri, non tamen, non poſſe vderi, plura enim, quæ facta non ſunt, fieri poſſunt.

Si res ita eſt, jam ſuperior hæreſis eſt profligata. Amplius tamen in eam agendum eſt. Primo, eſt commune dictum apud Philoſophos, *Quod natura nunquam fecit, ſignum eſt, facere non poſſe.* Secundo theologica ratione ſic progredior. Naturæ viribus non poteſt quis habere actum, quo quis ſe ad viſionem intuitivam proxime diſponat, ſicut definitum eſt contra Pelagianos, & à nobis in libro de gratia probatum, ergo neque poteſt ipſam viſionem comparare.

5. Hinc non eſt, cur inquiramus rationem formalem, ob quam rationalis natura viribus propriis nequeat Deum intuitive videre, quamvis plures à Doctoribus afferantur, ut videri poteſt apud Sanctum Th. 1. par. q. 12. art. 4. Scot. in 4. diſ. 49. quæſt. 11. Durand. in 4. diſ. 49. quæſt. 12. nimirum, quia viſio Dei intuitiva eſt in ſe ipſa ſupernaturalis, ad ſupernaturale autem natura vires proprias non habet, ut de fide eſt, proinde &c. Quod ſi vellet quis ſermonem inſtituere de viſione intuitiva Dei, ut eſt author naturalis, tunc fortaſſe nullam quæſtionem promoverem, ſed non eſſet amplius diſputatio inter Theologos controverſa, atque ad illam, ut arbitror, reduceretur, utrum poſſit eſſe viſio intuitiva Dei, quæ ſit præciſiva, quæ nullo pacto ad dogma fidei pertinet, & utraque à Doctoribus Catholicis, magnique nominis propugnatur, ut ſuo loco declarabitur.

6. Oppoſitum vero eſt dicendum de natura rationali auxilio ſuperno roborata, ſic enim viſionem Dei intuitivam poſſibilem eſſe, tanquam fidei articulum acceptare debemus contra Armenos, qui, ut refert Alphonſus à Caſtro in ſumma de Hæreſibus, aſſerebant, Deum, non in ſe ipſo videri poſſe, ſed dumtaxat in quadam luce à ſe diffuſa, quam theophaniam appellabant, tum contra Petrum Abailardum teſte Bernardo de Luxemburgo in catal. hæreticorum. Colligitur hoc ex divina ſcriptura. 1. Joan. 3. *Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt.* Mat. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Apoc. 22. *Servi ejus ſervient illi, & videbunt faciem ejus.* Neque deſunt Sancti Patres, Epiph. hæreſi 70. ait, *Non datur ut viſibile videat inviſibile; At inviſibilis Deus in benignitate, & potentia ſua potens fecit, quod impotens erat, & dignatus eſt ſua potentia, ut creatura inviſibile videret*, & S. Auguſt. lib. 12. ſuper Geneſ. cap. 34. affirmat, & probat, videri à beatis in cœlo ipſam Dei ſubſtantiam, Verbumque Deum, per quod facta ſunt omnia. Tandem in Concilio Francoford. in epiſtol. ad epiſc. Hiſpan. habentur hæc verba. *Prædicamus eum Deum verum, & vivum, & vere filium Dei, ut ad ejus beatiſſimam viſionem pervenire mereamur.* Totum hoc magis confirmabitur in ſequenti, ubi reſolvetur, hanc claram Dei viſionem de facto concedi.

7. Plura tamen hic diluenda ſunt, quibus hujuſce viſionis intuitivæ probari videtur impoſſibilitas. Illud eſt ex ſcriptura Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam* & 1. ad Timot. 6. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*, quos textus perpendens S. Joan. Chryſoſtom. clariſſimis verbis ſentit cum Armenis & Abailardo, atque Chryſoſtomum ſequuti ſunt plures tum ex græcis, tum ex latinis.

8. Ut hæc clarius innoteſcant, nonnulla

nulla iſtorum afferam teſtimonia. Si de Chryſoſtomo ſermo ſit, hom. 14. in Joan. habet hæc verba. *Id, quod Deus eſt, non modo Prophetæ non viderunt, ſed neque Angeli neque Archangeli, ſed ſi eos percontaberis, nihil ab his de Dei ſubſtantia audies, ſed tantum referentes, Gloria in excelſis Deo.* & infra addit, Deum ante incarnationem fuiſſe Angelis inviſibilem, per carnem autem aſſumptam factum fuiſſe viſibilem; immo ſibi opponens illud Mat. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*, reſpondet, eamdem eſſe ſententiam cum illa Mat. 5. *Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt. cogitationem atque imaginationem, quam pro viribus noſtris capimus, eam viſionem appellat.*

Theodoretus in dialogo, *Immutabilis*, in quo Orthodoxus, & Eraniſtes ita loquentes introducuntur. Eraniſ. *Quomodo ergo intelligamus, quod Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* Orthod. *Sicut intelligere ſolemus ea, quæ dicuntur de hominibus, qui Deum vidiſſe exiſtimati ſunt.* deinde concludit. *non enim vident ſubſtantiam divinam, quæ nec circumſcribi, nec comprehendi, nec mente percipi poteſt, ſed quamdam gloriam, quæ eorum viribus correſpondens, ſitque eis commoderata.*

9. Horum Patrum mentem, & doctrinam in hac re nolo ex inſtituto declarare, ſi abſque aliquo ipſorum errore explicare potero, ſatis a me factum eſſe exiſtimabo. Id autem præſto dicendo, tam ſcripturas, quam Patres loqui de impoſſibilitate viſionis, quæ ſit vel ex viribus propriis, & naturalibus, vel quæ habeatur ab oculo corporeo, vel quæ ſit comprehenſiva ipſius Dei, has enim repugnare pro certiſſimo habemus, & ſuo loco demonſtrabimus. Si quis autem velit, Patres iſtos in errorem incidiſſe, illos defendendi curam non ſuſcipio.

10. Nunc ad rationes, & cum in fidei dogmate verſemur, ſatis nobis eſt, ſi contraria refellamus. Primo. Eſſentia Dei, ut eſt in ſe, excedit virtutem intellectus creati, utcumque adjumentum, & robur accipiat, ergo poſſibilis non eſt; prob. antec. eſſentia Angeli, ut eſt in ſe, excedit virtutem oculi corporei, utcumque adjumentum, & robur accipiat, ergo a fortiori &c. prob. conſa, nam eſſentia Dei comparatur intellectui noſtro, ſicut infinitum finito, eſſentia autem Angeli comparatur oculo corporeo, ſicut finitum finito, ergo ſi &c. Unde ſicuti nullum ſpirituale donum ita poteſt oculum afficere, ut Angelum in ſui eſsentia videat, ita nullum ſupernaturale donum poteſt ita afficere intellectum, ut Deum in ſui eſsentia intueatur. Huic rationi vim addit Boetius lib. 2. proſa 7. ubi ait, *Finitis ad ſe invicem fuerit quædam, infiniti vero, atque finiti nulla poterit eſſe collatio.*

Secundo. Viſio Dei, ſi poſſibilis foret, eſset infinita, ſed intellectui creato infinita viſio concedi non poteſt, ſicut nec voluntati amor infinitus, ergo. Min. oſtenditur, quia quo magis creſcit objectum viſionis, eo magis creſcit & viſio.

Tertio. Quæcunque facultas vitalis neque egredi poteſt a formali ratione ſui objecti, neque a modo connaturali, quo tendit in objectum, cum tam illa, quam iſta æqualiter ab ea reſpiciatur, ergo vel viſio intuitiva erit connaturalis intellectui, vel neque ad illam ullo pacto poterit elevari; & ſi facultati vitali concedamus objectum tum naturale, tum ſupernaturale, hoc erit cuilibet facultati concedendum.

11. Reſp. ad 1. non eſse ſpectandam proportionem juxta perfectionem majorem, vel minorem inter rem, & rem, ſed penes ordinem, & reſpectum, quem una res ſervat ad aliam, ita ut, ſi una habeat rationem formalem, & communem, ſub qua alia in ipſam tendat, & ſolum

ſolum excedat in mòdo excellentiori, vel etiam in ſubſtantia, nihil officiat; Hoc totum patet ex phyſicis diſputationibus, ubi de potentia obedientiali pertractatum eſt, Quare argumentum valet de proportione, quam dicunt entitativam, non de illa, quam ordinis appellant & habitudinis.

Ad 2. minor argumenti non eſt adeo certa, ut negari non poſſit, ſermo enim eſt de infinito accidentario, ſicut accidens eſt ipſa viſio, non de ſubſtantiali, eſt autem controverſia, utrum illud infinitum repugnet; dico tamen, Viſionem Dei intuitivam infinitam eſse extrinſece, & termitative, non intrinſece & formaliter, & ſi argumentum probaret, ſequeretur, neque poſſibilem eſse viſionem Dei abſtractivam, quia etiam hæc ex parte objecti eſt infinita, datur propterea inter actum & objectum proportio, non aritmetica, ita ut ejuſdem omnino dignitatis, in qua eſt objectum, ſit etiam actus, ſed geometrica tantum, & ſecundum capacitatem, quæ reperitur in actu.

Ad 3. diſtinguendus eſt duplex modus, quo facultas egrediatur a modo ſibi connaturali, vel ita, ut elevetur ad modum ſibi omnino extraneum, & convenientem eſsentialiter alteri facultati, vel ita, ut elevetur ad modum magis perfectum & extenſum, qui tamen contineatur intra ſui rationem formalem, in primo ſenſu major eſt vera, in ſecundo falſa, nec aliud requiritur, niſi quod ipſi concedatur principium ordinis ſuperioris, quod ipſam adjuvet, ac corroboret, & ſi hoc negetur, negabitur quilibet actus ſupernaturalis progrediens vel ab intellectu, vel a voluntate, quod non, niſi deſtruamus omnem catholicam Theologiam. Hoc autem concedimus cuicumque facultati, dummodo non agatur de objecto, quod ad ipſam formaliter non pertineat.

ARTICULUS II.

An viſio beata de facto conveniat intellectui creato.

12. EX hujuſce articuli reſolutione magis conſtabit veritas ſuperius ſtabilita, ſi enim probabitur, viſionem beatam de facto convenire intellectui creato, etiam ejuſdem poſſibilitas negari non poterit. Plures autem in hac materia fuerunt errores. In primis Vigilantius, & Millenarii ſtatuerunt mille annos regni Chriſti poſt reſurrectionem futuros, antequam Sancti beatam viſionem aſsequerentur. Lutherus & Calvinus voluerunt, ſolummodo animæ Chriſti conceſsam eſse, reliquos vero homines in atrio paradiſi manere. ut teſtatur Iſambertus 1.p. ad q.12. diſp.1. art.6. Græci Schiſmatici, ut colligitur ex Concil. Florentino ſeſs. 1. & prius ex Tertulliano lib. 4. contra Marcionem, cenſuerunt, non niſi poſt diem judicii juſtorum animas futuras eſse in cœlo beatas, interim vero concludi in quibuſdam receptaculis, vel recipi in ſinu Abrahæ, quod & tradidit Calvinus lib. 3. inſtitut. cap.25. ſec.6. ubi hæc habet. *Cum ſcriptura ubique jubeat, pendere ab expectatione adventus Chriſti, & gloriæ coronam conſequi differat, contenti ſimus his finibus divinitatis præſcriptis, animas piorum militiæ laboribus perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant, atque ita teneri omnia ſuſpenſa, donec Chriſtus appareat Redemptor.*

13. Quanvis tanquam hæretica rejicienda ſit hæc opinio, pluribus tamen videtur innixa momentis, & primo quidem in Sacris Scripturis nobis revelata. 2. ad Timot. 1. ait Paulus. *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt Deus depoſitum meum ſervare uſque in illum diem juſtus judex.* & cap.4.

cap.4. *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die juſtus judex, non ſolum autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Rurſus ad Hebr. 11. loquens de Patribus veteris teſtam: inquit. *Hi omnes teſtimonio fidei probati acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non ſine nobis conſummarentur* 1. Joan. 3. *Nunc non apparet, quid erimus, ſcimus autem, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt* atqui ante diem judicii non apparebit, quales erunt homines, neque etiam apparebit Chriſtus, ergo. Apocal. 6. *Vidi ſub altare Dei animas interfectorum, & dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conſervi illorum.* non complebuntur autem; niſi die judicii adveniente. Mat. 20. Paterfamilias jubet dari denarium operantibus ad *veſperam*, per denarium ſignificatur beatitudo, per veſperam hujus mundi finis; & Mat. 25. in extremo judicio dicetur electis. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt a conſtitutione mundi.* ergo ex Scripturis &c.

14. Sufragatur etiam non mediocriter Sanctorum Patrum auctoritas. Ex Græcis Juſtin. q.60. ad Gentes ait. *Neque enim ante reſurrectionem unicuique, ex iis, quæ in vita geſſit, præmium reddetur.* & quæſ. 76. fatetur, *animam boni latronis cuſtodiri in cœtu beatorum ad reſurrectionis, remunerationiſque diem.* Chryſoſt. hom. 39. in primam epiſt. ad Corint. *Animus ſine carne ipſa admirandis illis bonis non fruetur.* Ex Latinis. Sanctus Ambroſ. lib.2. de Cain & Abel cap.2. *Solvitur* inquit, *a corpore anima, & poſt finem vitæ hujus adhuc futuri judicii ambiguo ſuſpenditur.* Bernard.ſerm. 3. de Sanctis, *in illam beatiſſimam domum animæ nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis.* Quid plura? Ipſe Sanctus Auguſtinus in Enchir. cap. 108. & 12. de Civit. cap.9. ait, *contineri animas ante reſurrectionem in abditis receptaculis.* Hiſce omnibus, ac ſimilibus additur definitio Joan.22., qui etiam juſſit, ut hoc Doctores Pariſienſes docerent, nec aliquis ad Theologiæ gradum promoveretur, niſi tali ſententiæ ſubſcriberet, ut referunt Gerſon, Ocham, & Marſilius.

15. Tandem ratio ipſa non deeſt, nam ſi Chriſtus, caput prædeſtinatorum, non niſi poſt reſurrectionem beatitudinem in cœlo eſt aſſequutus, idem etiam dicendum de prædeſtinatis, de quibus dicitur ad Rom.8. *quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui.* & ſi in hac vita anima nec laboravit, nec meruit ſine corpore, juſtum eſt, poſt hanc vitam animam non gaudere, nec præmium recipere ſine corpore, ſicut enim ſocii paſſionum, ita & conſolationum; ergo.

16. Nihilominus tamen dogma fidei nunc eſt, animas, decedentes ſine aliquo reatu culpæ, & pœnæ, vel ab omni reatu in purgatorio defæcatas, ſtatim beatas fieri, & Deum intuitive videre. Dixi, *nunc*, nam ante annum 1336. ſententia oppoſita non erat hæretica, at eo anno Benedic.XII. in extravaganti, quæ incipit. *Benedictus Deus* ita decrevit. *Definimus, quod ſecundum Dei ordinationem animæ ſanctorum, quæ ex hoc mundo purgatæ diſcedunt, ante judicium generale videant eſſentiam Dei.* Idem ſtatuit Innoc. 3. in cap. *Majores* extra de baptiſmo, & ejus effectu, & in cap. *Apoſtolicum*. Idem definitum fuit in Concil. Florent. in decreto Eugenii ſeſ. ultima, Idem in Trident. ſeſ.5. in decreto de pecc.origin, & ſeſ.25. de invocatione Sanctorum.

17. Veritas hæc colligitur ex ſcriptura ſacra; 1. ex veteri teſtamento. Eccleſiaſt. 11. *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum*

dum vias ſuas. 2. & clarius ex novo teſtamento. Act.7. ait Stephanus, *Video cælos apertos, & Jeſum ſtantem a dextris virtutis Dei*; rurſus, *ſuſcipe ſpiritum meum*. 2. ad Rom. 5. *Quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur a domino &c.* prius autem dixerat. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvetur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum, non manufactam æternam in cælis*. ad Philip. 1. *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. ad Epheſ. 4. *aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem*. ideſt ex Hierony. in pſ. 67. & Ambroſ. in illa verba, animas Sanctorum Patrum, quæ in limbo detinebantur, adduxit ſecum in cælum. Tandem Apocal. 7. *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die, ac nocte in templo ejus*. jubentur autem cap. 6. expectare aliam ſtolam, ideſt gloriam corporis, & ita verum erit, quod legitur Iſaiæ 61. *In terra ſua duplicia poſſidebunt* ita exponunt Auguſt. ſerm. 4. de feſto Innocent. Gregor. in pſ. 4. pænitentialem, Ricchardus, & Beda.

18. Innumera autem in hac re Patrum teſtimonia poſſemus afferre. Eoſdem proferam, quos adverſarii protulerunt, Chryſoſt. hom. 10. in epiſt. 2. ad Corint. *Cogita, quantam lætitiam nobis allatura ſit manifeſta comprehenſio, Beati, & ter beati, qui illis bonis fruuntur*. nota, loquitur in præſenti, & homil. 4. in epiſt. ad Philipen. *Quis athleta cupiat amplius certare, cum jam liceat coronari*? Juſtin. quæſt. 75. ad Gen. *Ducuntur boni poſt animæ a corpore exceſſum in paradiſum, ubi eſt viſio conſervatoris Chriſti*. ibi autem eſt viſio etiam Dei; *qui enim videt me, videt & Patrem meum* dixit Chriſtus Joan. 14. S. Ambroſ. epiſt. 85. loquens de Protaſio, & Gervaſio dicit, *plenos eſſe luminis, & fulgoris æterni, eorumque corpora in terra, animas in cælo eſſe*. S. Bernardus in ſerm. de Sancto Malachia ait, *pari cum Angelis gloria, & felicitate lætari*. & differens de eodem in epiſt. ad fratres de Hibernia, inquit. *Nec jam fide ambulas, ſed in ſpecie regnas; ad fontem ipſum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cujus & ipſa prius ſtillicidia ſitiebas*. Auguſtinus lib. meditat. cap. 24. eandem habet ſententiam, quam Sanctus Maximus hom. in S. Euſeb. *Digne in memoria vertitur hominum, qui ad gaudium tranſiit Angelorum*. atque, ne infinitus ſim, finem Cyprianus imponat, qui in libro de exhortatione ad Martyrium ita ſcribit. *Quanta dignitas, claudere oculos, quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eos ſtatim, ut Deus videatur, & Chriſtus*.

19. Ratio tandem hoc idem ſuadet. Prima eſt hæc. Animabus impiorum ſtatim Deus pœnam damnationis infligit, nec diem judicii finalis expectat. Jobi enim 20. legitur, *in puncto ad inferna deſcendunt*, & Luc. 26. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno*. ergo quare animæ juſtorum ſtatim beatitudinis præmium non conſequentur. Secunda eſt iſta. Quid expectat juſtus Dominus in reddenda mercede? Nihil aliud, quam mercenarii completum laborem. Quid Rex in militi præmio conferendo? Nihil aliud quam certaminis exitum, & victoriæ, atqui poſt animæ à corpore ſeparationem completus eſt labor, completa victoria, ergo ſi nihil fuerit in labore, & certamine defectus, accipiat mercedem, accipiat anima præmium. Præceptum fuit à Domino Levitici 19. *Non morabitur opus mercenarii apud te uſque mane*, & morabitur ipſe Dominus uſque ad diem judicii? & ſi Proverb. 3. legitur, *Ne dicas amico tuo, vade, & revertere, & eras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare*, quare juſtis, qui ſunt amici Dei, dicet Deus, ite, & revertimini, in die judicii dabo, quod modo poſſum dare?

20. Jam vero opoſita diluamus. Primi duo textus Sancti Pauli intelligi poſsunt, vel de die finalis judicii, & tunc ſignificant gloriam conſummatam tam ex parte corporis, quam animæ, vel de die mortis, & judicii particularis, & tunc ſignificant gloriam eſsentialem ſolummodo ex parte animæ, potius autem in hoc ſecundo ſenſu accipiendos eſse conſtat ex contextu, præmiſerat enim. *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*. Tertius textus manifeſte loquitnr de gloria conſummata ſi attendatur illud verbum, *conſummarentur*, ſed dici poteſt, Patres veteris teſtamenti non fuiſse beatitudinem conſequtos ante tempus gratiæ, & ideo non ſine nobis, hoc eſt ſine gratia collata per mortem Chriſti, qui poſtea aſcendens cœli januas reſeravit. Quartus explicari poteſt, non de apparitione Chriſti; ſed de eo, quod erimus nos, dicitur enim, *nunc non apparet*, *quod erımus*, & inde additur, *cum apparuerit* ſubintellige, *quod erimus*, & hoc certe non eveniet, niſi die finalis judicii, cum omnes ſimul reſurgemus. Si autem velis explicare de apparitione Chriſti, hæc alia eſt publica, quæ erit illa, & tunc apparebit ſingulis, quales ſint omnes futuri, alia eſt particularis, quæ tempore mortis uniuſcujuſque contingit. Quintus textus nobis favet, cum ipſis datæ ſint albæ ſtolæ, & juſſi ſint aliam ſtolam expectare, ſicuti dictum fuit; ſed revera ibi eſt ſermo de vindicta, quam poſtulabant à Deo per illa verba, *vindica ſanguinem noſtrum Deus noſter*, & reſponſum fuit, ut expectarent, patet autem, tunc maxime Deum, ultionum dominum, in hoſtes ſuos futurum eſſe judicem juſtum; quod ſi ibi legitur, *vidi ſub altare Dei animas interfectorum* verbum illud *ſub altare Dei* intelligunt aliqui non de loco extra cœlum ſed de teſtificatione nominis Chriſtiani, & pro interfectis accipiendos eſſe interficiendos, Prophetæ enim quod futurum eſt vident, tanquam ſi elapſum eſſet. Ad ſextum, non eſt neceſſe per illud ad veſperam ſumatur dies finalis judicii, ſed intelligi poteſt dies ultima uniuſcujuſque, qua deſinit laborare, & qua dicere poteſt, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Quod ſi velint explicari veſperam per illam diem, dicam, largitionem denarii eſſe illam publicam retributionem conſummatæ mercedis. Eodem modo ad ultimum.

21. Nunc ad Patres, quos generatim loquendo, debemus explicare, vel de Patribus veteris teſtamenti, vel de gloria perfecta animæ, & corporis, non de gloria eſſentiali ipſius animæ, & ita dicunt, animam eſſe fruituram cum corpore, ut tamen non negent, modo frui ſine corpore. Utrumque autem eſt verum, & debuit ita dici ad ſervandam corporum reſurrectionem, in qua animabus propriis unientur; cum autem dicitur anima poſt finem hujus vitæ adhuc futuri judicii ambiguo ſuſpendi, innuitur, animabus etiam beatis diem judicii ignotam eſſe, quod non negamus, de die enim illa nemo novit, neque Angeli in cœlo. De Mente Sancti Auguſtini aliqui dubitarunt; ut tamen colligitur ex lib. I. retractat. cap. 14. & lib. 9. confeſſ. cap. 3. non dubitavit, utrum animæ de facto eſſent beatæ, ſed de loco, in quo beatitudine fruerentur, dum vero dicit, contineri in abditis receptaculis, intelligi poteſt de ſedibus mortali naturæ abſconditis, & inacceſſis, quas animæ in ipſo cœlo jam poſſident. Quod additur circa mentem Joannis 22. parum probat, nam licet aliquando ita fuerit opinatus, nunquam tamen definivit, ut aperte teſtatur Benedictus XII. in extravaganti citata; ut refert vero Joan. Villanus lib. 11. de rebus Florentinorum, opinionem ſuam ante mortem retractavit. De hac re nolo quæſtionem inſtituere, cum ad illam revo-

vocetur, utrum Pontifex poſſit errare.

Quomodo tamen res ſe habuerit paucis liceat declarare; atque in primis Pontificem iſtum plus æquo in illam ſententiam inclinaſſe, in dubium revocare non poſſumus. Maximo ſtudio ſcripturarum authoritates, ac Patrum monumenta, ut ipſam confirmaret, conquiſiviſſe, refert Rainaldus ad an. Chriſti 1331. immo inter publicam concionem plura argumenta pro eadem adduxiſſe, colligimus ex Guilielmo Nangio ad an. 1333. & Nicolao Gillio in Chronicon. ad an. 1232.

Idem amplius ſuadet epiſtola, quam Joannes ſcripſit ad Philippum Valeſium Francorum Regem apud Rainal. ad an. 1333. In ea enixe poſtulat, ut velit Rex, liberam in hac re ſentiendi, ac diſputandi unicuique concedere facultatem, quam tamen, audita in ſaltu Vincennarum Pariſienſum Theologorum ſententia, non ſolum negavit, ſed indicta mortis pœna prohibuit, ne quis eam docere auderet.

Id etiam confirmant beneficia plurima, quibus eos cumulavit, qui eam ſententiam docebant, ut fuit Gerardus Minoritarum Generalis, e contra alios dure excipiebat, vel etiam pœnis mulctabat, ut fuit Thomas Valleſius in carcerem conjectus, quod eam opinionem publice confutaverit.

Tandem id aperte oſtendunt verba Benedicti XII. qui Joannis 22. immediatus ſucceſſor fuit, dixit enim in publica concione habita die Purificationis; *Sanctos nunc clare videre eſſentiam Dei contra opinionem deceſſoris ſui.*

Ex his tamen non eſt adhærendum Ochamo Cæſennæ, aliiſque Joannis hoſtibus, ac ſchiſmaticis, qui Ludovico Bavaro, a quo Joannes depoſitus fuerat, adulantes, ita Pontificis famam depreſſerunt, ut dixerint, decretorie definiſſe, Sanctos non niſi poſt generalem reſurrectionem Deum fore intuitive viſuros, etenim id tantummodo ab ipſo diſputando, recitando, ac ad ſummum opinando dictum eſſe, firmiſſime tenendum eſt.

Quod clariſſime evincitur ex reſponſione facta à Doctoribus Pariſienſibus apud Bullæum tom. 4. hiſtoriæ univerſalis Philippo Francorum Regi, qua hiſce verbis reſolvitur, *Quidquid in hac materia Sanctitas Sua dixit, non aſſerendo, ſeu opinando protulerit, ſed ſolummodo recitando.* Hoc juſtiſſime dictum eſſe, ex nullo capite certius probare poſſumus, quam illa verba proferendo, quæ ipſemet Joannes in publico Conſiſtorio habito die 3. Januarii ann. 1334. fecit. Sunt autem iſta. *Ne quis ſiniſtre interpretari poſſit, nos ſenſiſſe aliquid, aut ſentire, quod Sacræ Scripturæ obviet, aut fidei orthodoxæ, dicimus, & proteſtamur expreſſe, quidquid in quæſtione, ſeu materia viſionis animarum, ſeu quacumque alia materia ſermonibus, & collationibus noſtris diximus, allegavimus, ſeu propoſuimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere, ſeu credere &c. Et ſi forſan in prædictis ſermonibus, ſeu collationibus, aliqua, quæ vel Scripturæ Sacræ, ſeu fidei orthodoxæ quovis modo eſſent, vel viderentur obvia, ipſa præter intentionem a nobis fuiſſe prolata dicimus, & aſſerimus, eaque revocamus expreſſe, non intedentes illis adhærere, nec ea in præſenti defendere, nec etiam in futurum.*

Hæc Joannis proteſtatio adeo certa eſt, ut non ſolum illius meminerit Rainald. ad ann. 1334. ſed etiam ipſi ejuſdem æmuli ac hoſtes, nimirum Bonagratia in ſuo commentario, & Ptolomæus Lucenſis in ſua hiſtoria, & Ulricus Doctor Germanus l.4.c.ult. inquit, *Si ſermo Papalis pie, ac ſane intelligitur, non proprie ſermo, nec definitio, nec determinatio, ſeu prædicatio, ſed magis quaſi quædam ſcholaſtica diſputantium collatio aptius eſſe perpenditur.*

Quidquid tamen de hac re ſit, ſaltem morti proximus quidquid dixerat, ac ſcripſerat diſſertiſſime retractavit, ſi verum eſt, quod exponit Rainal. ad an. 1334. n. 37. Verba Pontificis afferamus. *Fatemur, & credimus, quod animæ purgatæ ſeparatæ a corporibus ſunt in cœlo; & vident Deum, ac divinam eſſentiam facie ad faciem clare. Si vero alia, vel aliter circa materiam hujuſmodi per nos dicta, prædicata, ſeu ſcripta fuerunt, quoquo modo illa diximus, prædicavimus ſeu ſcripſimus recitando dicta Sacræ Scripturæ, & Sanctorum, non determinando, nec etiam tenendo, & ſic & non aliter illa volumus eſſe dicta*. Ex quibus apparet &c.

22. Ad primam rationem, non idem judicium ferendum eſt de Chriſto, quod de reliquis Sanctis, habuit ſiquidem Chriſtus viſionem beatam toto tempore vitæ ſuæ. Satis eſt, ſi juſti ſint ipſi conformes in virtutum imitatione. Quod vero prius ad inferos deſcenderit, hoc ad exemplum noſtrum non fecit, ſed ut munus perfecti Redemptoris impleret, illaſque animas, quæ ibi detinebantur, ſui triumphi comites ad cœlum perduceret, ſuæ Reſurrectionis inde fidem attolleret, ſuaque præſentia confirmaret.

Ad 2. jam per noſtram probationem reſponſum eſt; laboravit in hac vita anima, laboravit corpus, meritum tamen tanquam cauſæ tribuitur animæ, corpori tanquam inſtrumento. Illa, cum immortalis ſit, ſtatim eſt capax præmii, corpus, quod in cinerem revertitur, capax non eſt, niſi quando in reſurrectione mortale hoc induerit immortalitatem.

23. Solent etiam plura opponere, quæ ex nonnullis liturgiis leguntur, quorum aliqua, etſi referri poſſint ad eas animas, quæ quidem in Chriſto quieverunt, ſed adhuc ipſis aliquid luendum ſupereſt, attamen alia etiam ad eos ſpectant, quos nos ſanctos dicimus, & veneramur. Celebre illud eſt, quod dicitur in Liturgia Sancti Marci. *Animabus Patrum, & Fratrum noſtrorum, qui antea in Chriſti fide dormierunt, dona requiem, Domine Deus noſter memor majorum noſtrorum, qui in ſæculo ſunt Patrum, Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Horum omnium animabus dona requiem in Sanctis tuis tabernaculis, in regno tuo*. Idem habetur ex liturgia Sancti Gregorii Nazianzeni; immo adduntur hæc verba. *Dignare Domine recordari... præcipue ſanctæ, glorioſæ, ſemperque Virginis Mariæ*, quod etiam exprimit in ſua S. Joannes Chryſoſt.

Neque deeſt Eccleſiæ conſenſio, ſiquidem in veteri liturgia, teſte Innocent. 3. cap. cum *Marthæ*. Extra. *De Celebrat. Miſſar.* in feſto S. Leonis legebatur. *Annue quæſumus, Domine, ut animæ beati Leonis hæc proſit oblatio*, & quanvis hujuſmodi oratio fuerit mutata, alia tamen ferme ejuſdem expreſſionis ſubſtituta eſt, nimirum. *Sancti Leonis Confeſſoris tui atque Pontificis, annua ſolemnitas nos tibi reddat acceptos, ut per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur &c.* Præterea, orat Eccleſia pro fidelibus Defunctis hoc pacto, ut Deus *liberet eos de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli movendi ſunt, & terra.... de pœnis inferni, & de profundo lacu, de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus &c.* Itaque uſque ad judicii diem ſuſpenſa manet eorum deffinitiva ſententia.

Hiſce aliiſque ſimilibus reſpondemus, pro omnibus fidelibus Defunctis Eccleſiam piam matrem tanquam pro filiis ſuis ad Deum ſuas preces effundere, non tamen pro omnibus ad eundem finem, pro aliquibus ſiquidem, quos adhuc pœnæ purgatorii detinent, ut ipſis beatam viſionem elargiatur, pro aliquibus vero, quos nec culpa, nec pœnæ reatus detinet, ut ipſis ſuam gloriam

riam gratuletur, eorum triumphos, commemoret, atque nobis in hac mortali vita degentibus interceſſores obtineat ac advocatos, atque hoc pacto eorum, non eſſentialis gloria, ſed accidentalis accreſcat. Totum hoc quod dicimus aperte tradidit S. Auguſtinus pluribus in locis. Sermone 159. ita ſcribit. *Habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles nouerunt, cum martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria enim eſt pro Martyre orare cujus nos debemus orationibus commendari.* In Enchirid. cap. 110. ſic. *Cum Sacrificia ſive altaris, ſive quarumcumque eleemoſinarum pro baptizatis omnibus defunctis offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt, pro valde malis, etsi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt.* & tract. 84. in Joan. *Ad ipſam menſam non ſic eos commemorantes, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis ut ipſi pro nobis.* Ferme eadem proferunt Cyril. Jeroſolymit. cathech. Myſtag. 5. Epiphan. hæreſi 75. Chryſoſt. hom. 21. in acta Apoſt. Ita intellige id, quod de Sancto Leone dictum eſt, & merito illa prior oratio mutata eſt cujus loco appoſita eſt hæc alia. *Annue nobis Domine, ut interceſſione Sancti Leonis hæc nobis proſit oblatio.*

Poſtremo reſpondeo cum S. Auguſtino epiſt. nunc 97. ad Bonifacium, Eccleſiam in orationibus, quas pro defunctis longo jam tempore poſt obitum mittit, tempus præteritum ex ſui deſiderii ardore conſiderare, tamquam futurum; Hoc contingit, quotieſcumque aliquod noſtræ Religionis myſterium celebrat, de quo ita ſentit, tanquam ſi adhuc adimplendum eſset, quanvis ſciat jam eſſe adimpletum. Quot annis poſtulat adventum Domini, dicens, *rorate cœli deſuper*, & tamen firmiſſime tenet, eum adveniſſe. Ita &c.

Ceterum à nobis non liturgiæ ſolum, ſed Eccleſiæ, Pontificumque ſummorum definitiones adductæ ſunt, & ſi de liturgiis agatur, cæteras prætereundo, ſatis illa ſit, quæ in Eccleſia adhibetur in feſto Sancti Gregorii Magni; *Deus qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contuliſti &c.* Quod ſi expectanda dies judicii foret ad intuitivam Dei viſionem aſſequendam, preces Eccleſiæ ſuperfluæ forent.

Illud etiam advertendum, quod etſi aliqui Patres in oppoſita nobis ſententia fuiſſe deprehenderentur, ut revera de Juſtiao, Irenæo, Tertulliano, Theophilo Antiocheno, Severo Sulpitio, aliiſque, concedi poſſet, ij tamen hæretici nequaquam forent appellandi, cum nihil adhuc eſſet ab Eccleſia definitum, ſoloque indagandæ veritatis ſtudio, quam non invenerunt, agebatur, parati tamen corrigi, ſi quid contrarium ab Eccleſia ſtatueretur. De Sancto vero Bernardo, cujus mentem nos explicavimus, ampliuſque explicare potuiſſemus, hæc ſcribit Durandus Meldenſis Epiſcopus agens contra opinionem Joann. XXII. *Eſt notandum, quod licet Bernardus fuerit vir magnæ devotionis in oratione, & ſermonibus, non fuit tamen magnæ autoritatis in expoſitionibus, & ideo in talibus, qui vult, poteſt eum tenere, vel negare ſine reprehenſione.* & infra. *Putat, ſe habere ſenſum S. Joannis in Apocalypſi, & non habet.*

24. Hactenus ea argumenta propoſui, quæ apud Theologos ſcholaſticos promoveri non ſolent, nunc juvat etiam illa ſubijcere, quæ apud ipſos reperiuntur. Primum eſt illud, quod legitur 1. Pet. 2. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, ſi autem deſiderant, jam non proſpiciunt, cum deſiderium referatur ad rem abſentem. Secundum eſt,

bea-

beatitudinem perfecte animam ſatiare, juxta illud, *Satiabor; cum apparuerit gloria tua* nec tamen hoc in beatis contingit, & quia ſunt adhuc *de noſtra ſalute ſolliciti*, ut loquuntur Patres, & quia anima ſeparata adhuc deſiderat unionem ſui corporis ergo.

25. His tamen, quæ parum urgent, breviter reſpondeo, primo quidem textui, ſi tamen ita legendus eſt, nam Græci Patres legunt, *in quæ*, in quo caſu foret explicandus de pluribus miſteriis, quæ deſiderant Angeli proſpicere, quorum tamen notitia, cum indebita ſit, nullam in ipſis anxietatem cauſat per ſui privationem. Sed dato verbo, *in quem*, ut vulgata legit in emendat. Sixti V. ibi deſiderium proſpiciendi indicat, non faſtidium, ſed gaudium maximum in proſpiciendo, ita ut ſemper videant, & ſemper videre deſiderent, quia, ut ait Gregorius, hoc eſt inter delicias corporeas, ſpiritualeſque diſcrimen, quod illæ, dum habentur, nauſeam pariant, iſtæ vero deſiderium, omni tamen anxietate ſecluſa. Reliquis dico, animam in cœlis eſſe perfecte conformem voluntati divinæ, proinde noſtræ ſaluti ſtudere juxta divinum decretum, vel ad miſericordiam ſpectans, vel ad juſtitiam, & unionem deſiderare, ſtatuto tamen tempore à Deo.

ARTICULUS III.

Quid ſentiendum de oculo corporeo per reſpectum ad viſionem Dei.

26. IN hac re ſtatuenda paucis contentus ero, nam quod in phyſicis noſtris diſputationibus de potentia obedientiali dictum fuit, præſentem dirimit difficultatem. Hic operæ pretium tantum exiſtimo mentem Sanctorum Patrum exponere, & aliqua ſcripturæ loca declarare, quod à Theologis ſcholaſticis minus accurate prætermiſſum eſt. Ad hoc præſtandum me cogit in primis S. Auguſtinus, qui videtur tantam vim oculo corporeo concedere, ut viſionem Dei intuitivam ipſi non neget. En illius verba lib. ultimo de Civit. 29. *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum ſcilicet glorificatorum, non ut acutius videant, quam quidem perhibentur habere ſerpentes, & aquilæ, quantalibet enim acrimonia cernendi eadem animalia vigeant, nihil aliud poſſunt videre, quam corpora, ſed ut videant, & incorporalia*. Sed qui poteſt videre incorporalia, poteſt elevari ad videndum Deum, ergo. Cogunt ſecundo duo loca apud Jobum; cap. 19. legitur. *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*. Et cap. 22. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te*.

27. Quamvis tamen ita docuiſſet Auguſtinus, foret procul dubio ab ipſo recedendum cum contrarium omnino habeatur ex divina ſcriptura, dicente Exod. 33. *non poteris videre faciem meam*. Et 2. ad Timot. 6. *Quem nullus hominum vidit unquam, ſed nec videre poteſt*. Qui textus cum non ſint veri de intellectu hominis, ut ſupra dictum fuit, de oculo corporeo debent intelligi. Hoc docuerunt Ambroſ. Hierony. Nazianzen. alijque Patres, qui exponentes ſcripturæ teſtimonia, in quibus dicitur Deus aliquando viſus à Moyſe, alijſque Prophetis, explicant de viſione Dei non in ſua natura, ſed in aliqua ſpecie, & imagine corporea, *quam*, ſunt verba Ambroſii in cap. 1. Luc. de apparitione Angeli, *voluntas Dei elegit, non natura formavit*. Quod ſi etiam Deum fingere vellemus corporeum, ſicut neceſſum eſset, ut ab oculo corporeo videri poſset, adhuc nihil in re noſtra evinceretur. Apta eſt auctoritas Sancti Fulgentii in reſponſ. ad quæſt. 3. *Hoc habent oculi corporis, ut non ſolum corpora videant, ſed nec videre poſſint, niſi inter ipſos, & ea, quæ vident ſpatii*

tii cujuſquam media intervalla fuerint; *Inde eſt*, *quod cum alia plurima videant*, *ſe ipſos videre non poſſunt*, *nec vident in ſe*, *cum videant extra ſe. Quiſquis ergo putat*, *Deum poſſe oculis corporalibus cerni*, *prius eſt*, *ut eum dicat ab ipſis oculis corporali ſpatio ſeparari*.

28. Sed revera Sanctus Auguſtinus nunquam hoc docuit, ſed ad ſummum de facultate corporea viſiva diverſa ab ea, quæ nunc eſt, in ea quæſtione dubitavit. Hoc oſtendo ex pluribus locis ejuſdem. Primo; poſt adducta verba, in quibus dixiſſe videbatur, Deum oculo corporeo, habente tamen modum ſpiritualem, videri poſſe, cohibens quodammodo ſententiam ſuam, ſubdit. *Aut igitur per illos oculos ſic Deus videbitur*, *ut aliquid habeant in tanta excellentia menti ſimile*, *quo & incorporea natura cernatur*, *quod exemplis ſive ſcripturarum teſtimoniis divinarum*, *vel difficile*, *vel impoſſibile eſt oſtendere*, *aut*, *quod eſt ad intelligendum facilius*, *ita Deus erit notus*, *atque conſpicuus*, *ut videatur ſpiritu à ſingulis nobis in ſingulis nobis*. Rurſus cap. 29. lib. 22. de Civit. hæc habet. *Viſuri ſunt Sancti Deum in ipſo corpore*, *ſed utrum per ipſum non parva eſt quæſtio*. Et infra. *Longe alterius erunt potentiæ*, *ſi per eos*; *ideſt oculos*, *videbitur incorporea illa natura*, *quæ non continetur loco*, *ſed ubique tota eſt*. Et tandem. *Fortaſſe magna iſta virtus cernendi*, *data fuerit ad horam etiam in iſto mortali corpore oculis Sancti viri Job*, *quando ait ad Deum*, *nunc autem oculus meus videt te*. Ex his compertum, eſt, nihil à Sancto Auguſtino aſſertive concludi, immo omnino oppoſitum per plura ipſius dicta demonſtrare poſſem, ſed ſufficiant duo. Unum in epiſt. 92. ad Italicam ubi inquit. *Deus lux eſt mentium purgatarum non iſtorum corporis oculorum. Hunc autem oculus videre corporis*, *neque nunc poteſt*, *neque tunc poterit*. alterum in epiſtol. 147. ad Paulinum ubi approbat Ambroſium dicentem: *Nec corporalibus Deus oculis quæritur*, *nec circumſcribitur viſu*, *nec tactu tenetur*, *nec auditur effatu*.

29 Sed neque aliquid ex aliis duobus textibus ſcripturæ concluditur. atque primus multifariam explicatur à Patribus quibus ſubſcribendo dici poſſet, ibi ſermonem eſſe de Deo juxta aſſumptam humanitatem, cum habeantur illa verba, *Salvatorem meum*, quia tamen iſta non habentur in hebræo, neque in emendata per Sixtum V. ut obſervavit Vaſquez, ideo hac omiſſa, non tamen reprobata, reſponſione, eam amplector, quæ communis eſt cum S. Auguſtino, ſcilicet, viſurum ſe Deum in carne ſua, quia poſt reſurrectionem anima fiet unita corpori, ideo dicit *in carne* non tamen *per carnem*, & ſi additur, oculi mei conſpecturi ſunt, intellige oculos mentis, non corporis. Alius textus ita eſt exponendus. *Auditu auris audivi te*. ideſt plura audivi de providentia, ſapientiaque tua in cunctis rebus ſervata; *nunc autem oculus meus videt te*, nimirum, nunc experimento meo didici, & cognovi, qualis erga me providentia tua ſit. Hæc explicatio eruitur ex contextu, ſiquidem Job ſe reprehendit, quod ferme, quantumvis indeliberate, male de divina ſenſerit providentia, dicens. *Idcirco me reprehendo*, *& in favilla*, *& cinere pœnitentiam ago*. Nihil igitur ex his evinci poteſt, ut inde inferatur, ergo oculus corporeus poteſt videre Deum. Utrum vero hoc ex aliis argumentis inferri poſſit, ſicut in fronte articuli præmonui, videat unuſquiſque.

AR-

ARTICULUS IV.

An ſit poſſibilis ſpecies impreſſa, perquam videatur Deus.

30. Quæſtionem de facto non promoveo, etenim, Deum per ſe ipſum, & immediate a beatis videri, communior celebriorum Theologorum ſententia profert. Inquiro ſolum, utrum poſſibile ſit, Deum intuitive videri non immediate per ſe ipſum, ſed per ſpeciem ſui, quam vocant impreſſam, quæ qualis ſit, & quomodo ad obiecti aſſequtionem concurrat, traditur à Piloſophis in tractatu de Anima. Si quis vero ex recentioribus, & peripateticam philoſophiam reicijentibus tituli mei negaret ſuppoſitum, quatenus hujuſmodi ſpecies impreſſa nunquam detur; & ſit nomen a nobis inventum, cum iſto nullam quæſtionem inſtituo; ſed tantummodo inter Thomiſtas, alioſque lis noſtra præſens eſt dirimenda.

31. Concluſio eſt. Poſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam, per quam Deus videatur. Eſt contra Thomiſtas omnes, qui hanc perpetuam fuiſſe mentem Sancti Thomæ contendunt. Favent aſſertioni noſtræ præter Scotiſtas (qui tamen dividuntur in aſſignando, an hæc ſpecies eſſet abſtractiva, vel intuitiva) Vaſq. Cacheran. Valentia, Becanus, aliique, qui non ſolum poſſibilem, ſed actu dari defendunt.

Cum aſſertum negativum ſit, nihil ad ipſius probationem opus eſſet adducere, ſed ſatis eſſet argumenta contraria refellere, quidquid enim impoſſibile non probatur, tanquam poſſibile Deo eſt concedendum. Nihilo tamen minus.

Probatur à Scoto paritate deſumpta à ſpecie expreſſa, quæ producitur in viſione intuitiva, aut ſaltem eſt ipſa viſio intuitiva, & à Theologis dicitur Verbum. Poſſibilis eſt ſpecies expreſſa Dei, quæ ipſum repræſentat, ſicut eſt, ergo etiam eſt poſſibilis ſpecies impreſſa Dei; probat. conſ. ſpecies expreſſa actu, & formaliter Deum repræſentat ſpecies vero impreſſa non actu, & formaliter, ſed ſolum virtualiter, & effective Deum repreſentaret, ergo ſi illa poſſibilis eſt, etiam iſta. Quia tamen argumentum hoc ad plures reſponſiones Doctores adverſantes compellit, quas omnes referre, & diluere nimium diuturnum expoſceret calamum, ideo illud omitto legendum apud Maſtrium diſp. 6. quæſt. 1. art. 1. & Vaſq. 1. par. quæſt. 12. cap. 2.

32. Alio igitur modo ad rem meam magis apto, & Thomiſtarum præcipuo fundamento directe oppoſito ſic oſtenditur. Quando agitur de operatione libera Dei, ad quam Deus ſe habet tanquam cauſa particularis, Deus liber eſt, tam quo ad ſubſtantiam, quam quo ad modum, ideſt poteſt agere, vel non agere, agere immediate vel mediate, atqui in ſui viſione, quæ eſt actio libera Dei, Deus eſt cauſa particularis, ergo Deus liber eſt agendum, vel non agendum, ad agendum mediate, vel immediate minor eſt certa, cum ſit operatio Dei ad extra, major probatur in miraculo, quod cum ſit operatio libera Dei, ad quam ſe habet tanquam cauſa particularis, Deus poteſt illud operari ſive per ſe immediate, ſive per alium mediate, rurſus in divina revelatione, quæ poteſt haberi, vel per ipſum Deum, vel per ſui miniſtros, ergo; & quidem rationem hanc ita promoveo. Non minus Deus eſt omnipotens, & prima veritas eſſentialis, quam ſit primum intelligibile eſſentiale, ſed primum non impedit, Deum exercere ſuam omnipotentiam per creaturam, & per hanc ſuam veritatem proponere, ergo hoc ſecundum non impediet, exercere ſuam intelligibilitatem per aliud, & quamadmodum eſſet imperfectio ex parte Dei omnipotentis,

&

& primæ veritatis, ſi ad exercendam omnipotentiam ſuam, vel proponendo ſuam veritatem indigeret creatura, non ſic tamen quia libere utitur creatura, ita eſſet imperfectio ex parte Dei primi intelligibilis, ſi ad exercitium ſuæ intelligibilitatis indigeret ſpecie impreſſa, non ſic ſi ex abundantia, & libertate ſua velit intelligi, & videri per hujuſmodi ſpeciem.

Confirmatur. Non repugnat, aliquod creatum habere omnia ſua principia creata, ſed viſio beatifica eſt aliquod creatum, ergo haberi poteſt per principia creata. Præterea. Deus poteſt producere gratiam, & per ſe ipſum immediate, & per creaturas mediate, tanquam per ſui inſtrumenta, ergo etiam poterit concurrere ad viſionem, & per ſe ipſum immediate, & per ſpeciem creatam mediate. Solvamus tamen argumenta contraria, & hoc nobis ſufficiet.

33. Op. 1. Deus; quantumvis liber ſit in concurſu cum creatura ad operandum, vel non concurſu, attamen in ſuppoſitione, qua velit, creaturam operari, debet immediate concurrere, ergo licet Deus ſit liber in viſione intuitiva creaturæ, vel non viſione, attamen in ſuppoſitione, qua velit videri, debet immediate videri, & ſicut in concurſu phiſico non poteſt adinveniri aliquid creatum, per quod mediate tantum concurrat, ita in concurſu obiectivo. Paritas tenet, nam ſi Deus eſt prima cauſa phyſica, eſt etiam primum intelligibile, quod eſt eſſe primam cauſam obiectivam.

Item. Deus debet neceſſario eſſe ultimus finis reddens hominem beatum, hoc non eſſet, ſi daretur media ſpecies impreſſa, ergo.

34. Argumento propoſito in probatione noſtra reſponſum dedimus. Cum enim agitur de phyſico Dei concurſu, agitur de ipſo, tanquam cauſa univerſali, & hic indiſpenſabiliter, & neceſſario convenit Deo propter rationes, quæ afferuntur, ubi de tali concurſu quæſtio promovetur; at quando agitur de concurſu Dei, ut cauſæ particularis, argumentum non tenet, alioquin Deus nihil per cauſas creatas operari poſſet, quod tamen falſum eſſe, experientia conſtat, & à nobis demonſtratum eſt, niſi forte ſis in eorum ſententia, qui quamlibet efficientiam negant cauſis ſecundis, contra quos non eſt noſtra præſens diſputatio. Porro Deus, ut cauſa obiectiva viſionis, eſt tantum cauſa particularis, cum tantum ſe habeat ad ſpeciales, & determinatos effectus, proinde &c. Neque refert, eſſe primum intelligibile, primamque cauſam obiectivam, nam, ſicut per hoc non concurrit obiective, & intelligibiliter ad omnes intellectiones, ita nunquam fiet, ejuſdem concurſum obiectivum, & intelligibilem, eſſe concurſum adinſtar cauſæ univerſalis.

Ad additum. Adhuc ſervatur in Deo ratio ultimi finis reddentis hominem immediate beatum, nam iſta ſpecies concurreret tanquam medium incognitum, & utpote medium creatum, ad Deum ipſum, ut finem, dirigeretur, & eſſet tanquam id, quo haberetur viſio, & beatitudo, non tanquam id, quod videretur. Cæterum, etiam in cognitione Dei, quam habemus in via, vel per fidem, vel per ſcientiam abſtractivam, Deus eſt prima cauſa efficiens, & ultimus finis, & tamen habetur ſine concurſu immediato obiectivo Dei; argumentum igitur nullum eſt.

35. Op. 2. In viſiono Dei ſpecies intelligibilis proprium, & eſſentiale munus exercere non poſſet, ergo neque eſt poſſibilis. Probat. ant. Munus proprium, & eſſentiale ſpeciei intelligibilis eſt reddere ultimo, & complete obiectum intelligibile, ſed in viſione Dei hoc fieri non poteſt, ergo. Major admittitur ab omnibus Philoſophis qui ſpeciem impreſſam ſuſtinent, & declarant; Probat. min. Quod eſt per ſe ipſum

ſum ultimo, & complete intelligibile non poteſt fieri intelligibile per aliud, ſicut quod eſt per ſe immenſum, æternum, amabile, non poteſt fieri per aliud, immenſum &c. Sed Deus eſt per ſe ipſum ultimo, & complete intelligibilis, quia per ſe ipſum eſt maxime immaterialis, & eſſe hujuſmodi eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ergo.

Præterea. Deus non poteſt per aliud fieri intelligens, ergo neque per aliud intelligibilis. Rurſus. Quia Deus eſt ſumme ſimplex non poteſt operari per diſtinctas potentias, ergo quia eſt ſumme intelligibilis, non poteſt intelligi per ſpeciem diſtinctam, & ſi non poſſunt admitti habitus, per quos facile operetur, in potentia ex ſe infinite operativa, neque poterit admitti ſpecies, per quam videatur obiectum ex ſe infinite viſibile. Additur, quod ſi divina eſſentia fieri poteſt intelligibilis per aliquod creatum, poſſet etiam ab aliquo creato perfici, quod non, ergo.

36. Etiam huic principaliori argumento occurrimus in probatione noſtra, non enim minus Deus eſt omnipotens, & verax, quam ſit intelligibilis, & tamen &c. Quapropter nego majorem, ad probat. tranſ. indiſt. maj. neg. min. ad prob. diſ. maj. non poteſt fieri intelligibile in actu primo per aliud conc. in actu ſecundo, neg. maj. diſ. min. in actu primo conc. in actu ſecundo ſubdiſ. libere conc. neceſſario neg. min. & conſ. Deum eſſe primum intelligibile in actu primo neceſſario convenit Deo, & ita non poteſt fieri per aliud, eſſe autem in actu ſecundo libere convenit Deo, & poteſt fieri per aliud, ſicut omnipotentem eſſe in actu primo neceſſario convenit Deo, nec per aliud fieri poteſt, eſſe tamen in actu ſecundo libere convenit Deo, & per aliud fieri poteſt. Eodem pacto diſcurro de immaterialitate, quam dico eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem in actu primo, & ſecundum eſſe, non tamen in actu ſecundo, & ſecundum repræſentari, de quo in alio ſolvendo argumento.

37 Ex hiſce reijciuntur paritates adductæ deſumptæ ab immenſitate, & æternitate, nam Deus neceſſario eſt immenſus, æternus, & hujuſmodi, etiam in actu ſecundo, dummodo pro immenſitatis exercitio detur locus, qui profecto nullus eſt, qui a Deo non repleatur, e contra dantur plures intellectus, a quibus non videtur. Quod vero ſpectat ad amabilitatem neg. ant. ſi tamen adinveniri poteſt qualitas, per quam aliquod obiectum amari poſſit, reſpectu voluntatis, quæ tamen invenitur, per quam aliquod obiectum cognoſci poſſit, reſpectu intellectus, & de facto Thomiſtæ, contra quos modo ſermo noſter, in creatis reſpectu amoris non admittunt aliquod, medio quo tanquam principio amoris ametur obiectum bonum, admittunt tamen aliquod, medio quo cognoſcatur obiectum verum, & ſi adinveniunt in primo caſu, jam antecedens negatum eſt. Ex dictis habes diſparitatem pro ſecundo argumento; Deum enim eſſe in actu ſecundo intelligentem quantum ad omnia neceſſario convenit Deo, eſſe autem intelligibilem in actu ſecundo libere dicitur de Deo, & ſi argumentum probaret, ita deberet conſici; Deus debet omnia intelligere, ergo debet ab omnibus intelligi; vide experimento, conſequentiam eſſe falſam. Ad Tertium, antecedens eſt verum per diſtinctas potentias ad intra, ubi neceſſario ſemper agit, non per diſtinctas potentias ad extra, ut probavimus, & in potentia infinite operativa neceſſario non poſſunt dari habitus ex neceſſitate, poſſunt tamen dari in potentia infinite operativa libere. Quod poſtremo additur, probaret, ſi divina eſſentia fieri poſſet intelligibilis per aliud creatum ex propria indigentia, & neceſſario, non ita, ſi tantum libere, ut conſtat in exemplis à nobis adductis, & adverte, ſpeciem impreſſam non eſſe perfectionem

nem obiecti, ſed potentiæ, accidens eſt eſt perfectio illius in quo eſt, non a quo eſt, ſed ſpecies impreſsa eſt in potentia, cui inhæret, non eſt in obiecto, ergo.

38. Op. 3. Si poſſibilis eſſet iſta ſpecies impreſſa Dei, vel eſſet inferior Deo, vel eſſet Deo æqualis, hoc ſecundum dici non poteſt, primum vero non ſufficeret, ut videretur intuitive Deus, ergo. prob. prima pars min. ſi ſpecies impreſſa poſſet eſſe æqualis Deo, vel eſſet, ut inquiunt, in eſſendo, vel in repræſentando, ſed neutrum, ergo. prob. min. Si &c. eſſet ipſe Deus, eſſet actus puriſſimus, ipſique convenirent omnia prædicata Dei, ſed hoc non, ergo. Prima vero minor in ſecunda ſui parte demonſtratur, quia, ut ait Sanctus Dionyſius de divin. nominib. cap. 1. *Per ſimilitudines inferioris ordinis rerum, nullo modo ſuperiora poſſunt cognoſci, ſicut per ſpeciem corporis non poteſt cognoſci eſſentia rei incorporeæ, multo igitur minus per ſpeciem creatam quamcumque poteſt eſſentia Dei videri*. Hoc eſt argumentum S. Th. 1. p. q. 12. art. 2. in corp.

39. Reſp. ne. mi. ad prob. aſſero, ſpeciem impreſſam eſſe ipſum Deum in eſſe repræſentativo, & ſecundum ſimilitudinem virtualem, non in re & formaliter, atque idem argumentum fieri poſſe de ſpecie expreſſa, compertum eſt. Mirum autem nec adeo diſſonum videatur, ſi quod ſecundum eſſe inferius eſt alio, poſſit eſſe æquale in repræſentando; contingit hoc in quacunque cognitione, accidens ſecundum eſſe inferius eſt ſubſtantia, & tamen in repræſentando eſt ſubſtantia, poterit ergo etiam aliquod creatum in repræſentando eſſe Deus, præſertim quod hujuſmodi non eſt formaliter, ſed virtualiter, cui non repugnat inferioritas, ut manifeſtum eſt in ſemine reſpectu geniti, & ſi aliquid creatum, ut eſt lumen gloriæ, concurrere poteſt ad viſionem, quare concurrere non poteſt etiam ſpecies, quantumvis creata? Ex his habes, quomodo explices authoritatem Dionyſii, illam ſcilicet intelligendam eſſe de ſimilitudine inferiori tam ſecundum eſſe; quam ſecundum repræſentare, ut contingit in ſpecie corporis per reſpectum ad rem incorpoream. Quod ſi inſtes dicendo, non poteſt res corporea repræſentare rem incorpoream, ergo neque res reata rem increatam, diſparitas adeo manifeſta eſt, ut illam ſilentio prætercam.

40. Opponerent præterea, repugnare ſpeciem comprehenſivam Dei, ergo etiam ſpeciem intuitivam, cum hæc ſit indifferens, ut ſit comprehenſiva. Secundo, quia ſpecies objecti infiniti eſt infinita, exercet enim munera ipſius objecti. Sed leviſſimæ ſunt hujuſmodi, aliæque rationes, nam, ſicuti repugnat viſio comprehenſiva Dei, ut infra declarabitur, nec tamen repugnat viſio intuitiva, ita repugnabit ſpecies comprehenſiva, non tamen intuitiva, & hæc eſt quidem indifferens, ut ſit comprehenſiva, ſi uniatur potentiæ, quæ ſit apta ad comprehenſionem, non ſi e contra. Rurſus, ſpecies objecti infiniti eſt infinita in repræſentando tantum, ut dictum eſt, præſertim, cum limitetur a ſubjecto in quo recipitur, & limitari etiam poſſit ab objecto libere eam producente. Meminerint, cognitum eſſe in cognoſcente ad modum cognoſcentis, ut toties docet S. Th., & inde colligent, ſpeciem hanc nec debere eſſe comprehenſivam, nec infinitam, ſaltem infinitate repugnante.

ARTICULUS V.

An viſio intuitiva Dei eſſe poſſit comprehenſiva.

41. QUæſtio hæc multum, & parum habet difficultatis in ſui reſolutione, cum dependeat à modo explicandi comprehenſionem. Atque in primis comprehenſio, derivato nomine à rebus corporeis, & ad ſpiritualia traslato, ſumitur pro alicujus rei aſsequtione, & continentia, & ſic in primo ſenſu loquitur Apoſt. ad Philip. 3. *Sequor autem, ſi quo modo comprehendam*, & ad Corint. 9. *Sic currite, ut comprehendatis*. In ſecundo vero ſenſu dicitur v.g. vas comprehendere aquam. Hoc pacto improprie loquimur de compreheſione, & certum eſt, a beatis Deum comprehendi, quo circa etiam comprehenſores appellantur. Alias comprehenſionis diviſiones tradunt Nominales, quarum prima eſt, illum comprehendi, quod ita videtur ut nihil ejus lateat videntem, & hoc pacto beati Deum comprehendunt, quia totum Deum vident; Secunda, illud comprehendi, quod ita videtur, ut etiam ſingulæ ejus partes diſcernantur, & hoc pacto Deus comprehenſive videri non poteſt, quia in ipſo nulla pars eſt. Tertia; illud comprehendi, quod videtur ea majori cognitione, qua videri poteſt, & hoc pacto, non ſolum Deus non comprehenditur a beatis, ſed nec ulla creatura, niſi a Deo, qui ſe ipſum, & cætera quæcumque eo meliori modo cognoſcit, quo cognoſci poſſunt. Quarta; tunc illud comprehendi, quando cognitio eandem habet proportionem cum aliis cognitionibus, quam res cognita habet cum aliis rebus, & ita impoſſibilem eſse viſionem comprehenſionem Dei, quia nulla creata cognitio poteſt ita excedere alias cognitiones, ſicut Deus excedit alias quaſcumque res.

42. Vaſquez hæc omnia, quæ à Nominalibus exponuntur, expendit, atque eos tanta laude proſequitur, ut dicat. *Familiare eſt Nominalibus, cum alicujus rei difficultate premuntur, varias illius rei acceptiones explicare, ut difficultatem liberius effugere poſſint, quare & varias definitiones rerum comminiſci eis liberum eſt, id quod in hac controverſia ipſis accidit*. Utrum hoc verum ſit, nec ne, nolo judicem agere. Noſtra intereſt juxta Theologorum principes, quales, citra alicujus injuriam, recenſendi ſunt S. Th. Scot. Bonavent. Durandus, Ricard. alijque, rem definire.

43. Illud igitur tenendum eſt, quod de comprehenſione proprie dicta ſenſerunt Patres, & præſertim S. Auguſtinus epiſt. 212. cap. 7. ubi ait. *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumſpici poſſunt*. Tunc autem fines rei circumſpiciuntur, ut explicat S. Tho. hic ad 2. quando finis in modo illam cognoſcendi pertingitur, quare, aliud eſt, videri rem intuitive ut eſt in ſe, & aliud, illam comprehendi, quia ex eodem Auguſtiño ibidem, aliud eſt rem videre, & aliud videndo comprehendere. Hanc autem diverſitatem explicant Theologi in eo ſitam, quod ad viſionem intuitivam nihil amplius requiritur, quam quod obiectum videatur totum, ad comprehenſionem vero neceſſe eſt, videatur totaliter, primum appellat tantum extenſionem, & ſubſtantiam, ſecundum exigit intenſionem, & omnem modum, quo videri poteſt. Hoc patet exemplo obiecti demonſtrabilis, quod licet totum cognoſcatur ſive per medium demonſtratiuum, ſive per probabile, attamen per illud comprehenditur, non per iſtud. Idem tradit S. Auguſtin. lib. 12. de Civit. cap. 18. dicens. *Quidquid ſcientia comprehenditur, ſcientis cognitione finitur*, non quia omne, quod comprehenditur, ſit fini-

finitum, alioquin Deus ſe ipſum non comprehenderet, ſed quia tanta ſit cognitio ex parte potentiæ, quanta cognoſcibilitas ex parte obiecti, per conſequens, non tantum ſecundum omnem ſubſtantiam, ſed etiam omnem modum cognoſcibilitatis.

44. Sentiendum; repugnare viſionem comprehenſivam Dei. Aſſertum hoc eſt ab omnibus Theologis traditum; immo admittendum eſt tanquam dogma fidei.

Prob. ratione deſumpta ex prædictis. Ut ſit poſſibilis viſio Dei comprehenſiva, debet tanta eſſe cognitio potentiæ, quanta eſt cognoſcibilitas obiecti, ſed cognitio creaturæ tanta eſſe non poteſt, quanta eſt cognoſcibilitas Dei, ergo. Probatur min. ſi cognitio creaturæ tanta eſſe poſſet, quanta eſt cognoſcibilitas Dei, perfectio Dei non excederet perfectionem creaturæ, ſed hoc non, ergo. maj. oſtenditur, quia res tantum habet cognoſcibilitatis, quantum habet entis, tantum autem habet entis, quantum perfectionis, cum hæc progrediatur ab ente, & quamvis hoc non eſſet verum in genere rei, & materialiter, ut inquiunt, eſſet tamen verum formaliter, & per comparationem cognitionis creaturæ ad cognoſcibilitatem Dei. Ratio hæc clarior fiet in diluendis argumentis.

45. Oſtendo modo, punctum hoc admittendum eſse tanquam dogma fidei, ut contra Vaſquez fatentur omnes. Hoc primo colligitur ex ſcriptura. Jerem. 32. *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*. Job. 11. *Forſitan veſtigia Dei comprehendes?* Ad Rom. 11. *Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, quis cognovit ſenſum domini?* Secundo ex Patribus. Dionyſ. cap. 1. de divin. nominibus. *Deus ſuper omnes cæleſtes mentes incomprehenſibili virtute collocatur*. Auguſt. tom. 3. de Geneſ. ad lit. cap. 6. lib. 4. *Quanquam ſi Sanctis Angelis jam eſſemus æquales, non utique nobis nota eſſet divina ſubſtantia, ſicut ipſa ſibi*, Gregor. 10. Moral. 10. *In retributionis culmine reperiri omnipotens per contemplationis ſpeciem poteſt, ſed tamen ad perfectum non poteſt*. & infra. *Excelſior itaque eſt cælo, quia ipſi quoque electi ſpiritus viſionem tantæ celſitudinis perfecte non penetrant*, Tandem Beda in illud Joan. *Videbimus eum, ſicuti eſt*, inquit. *Promittitur nobis videre Deum, nam comprehendi concedi non poteſt*. Ex Conciliis vero ſufficiat Lateran. ſub Innoc. 3. cap. *Firmiter* de Sum. Trinit. *Firmiter credimus, quod unus ſolus ſit Deus, æternus immenſus, & incomprehenſibilis*, & idem definit cap. *Damnamus*.

46. Reſpondet Vaſquez, haſce, ſimileſque auctoritates intelligendas eſſe pro ſtatu viæ, & de creatura inſpecta ſecundum vires naturales, vel juxta potentiam ordinariam, non ita abſolute, nam in ſcripturis dicitur etiam ineffabilis, & inviſibilis, & tamen hoc abſolute, & pro quocumque ſtatu verum non eſt. Sed non ſatisfacit, etenim ſcriptura non eſt eum limitatione explicanda, niſi urgeat neceſſitas, & ita urget circa inviſibilitatem, cum aliunde habeamus, Deum viſibilem eſse, ut ſuperius probatum fuit, quantum vero ad incomprehenſibilitatem res ita non eſt, niſi ſumatur improprie. Idem dico de ineffabilitate, nam etiam non eſt effabilis, quantum eſſe poteſt, & ita neque viſibilis, quantum videri poteſt. Quod vero Patres non loquantur tantum pro ſtatu viæ, & modo à Vaſquez declarato, conſtat, ſi perpendantur dicta Gregorii, & Bedæ, quibus addo Tertullianum in Apologet. cap. 17. dicentem. *Incomprehenſibilis eſt, etſi per accidens repræſentetur*.

47. Op. 1. Vel ad comprehenſionem non requiritur, obiectum videri totum & totaliter, vel Deus à beatis ita videtur, ergo viſio comprehenſiva Dei poſſibilis eſt. Probat. prima pars antec.

antec. Ut ſupeficies concava corporis continentis comprehendat corpus contentum, ſatis eſt, ſi ſuperficies iſtius convexa contineatur in illa, quin contineatur omni modo, ergo ad comprehesionem non requiritur &c. Probatur ſecunda pars primi antec. & quod Deus videatur totus, certum eſt, quod vero videatur totaliter, oſtenditur. Vel iſte terminus totaliter, ſe tenet ex parte cognoſcentis, vel ex parte Dei cogniti, non primum, alioquin nulla cognitio creata aliam rem creatam comprehenſive cognoſcere poſset, cum cognitio divina, ipſam attingens, infinite excedat cognitionem creatam, non ſecundum, nullus enim eſt modus in Deo, qui à beatis non videatur, quia quilibet modus, exiſtens in Deo, eſt ipſa eſsentia Dei, aliter Deus non eſset omnino ſimplex.

48. Reſp. primum argumentum, quod promovetur à Vaſquez, in ſuum authorem militare; aſserit enim ipſe, ad comprehenſionem requiri, non ſolum cognoſci Deum ſed etiam omnes creaturas, quæ à Deo produci poſsunt, & propter hoc negat poſſibilem cognitionem Dei comprehenſivam; & ſi argumentum propoſitum valet, jam hoc neceſsarium non erit, quia comprehenſio corporalis alicujus habetur, quin tamen contineantur omnes effectus, qui à corpore contento poſsunt haberi; non eſt itaque par ratio inter comprehenſionem corpoream, & intellectualem, ſed tantum quædam inter utramque analogia, & certe in illa ſufficit continentia, & contactus tantum ſuperficiei, non vero penetratio partium etiam intimarum, quæ tamen penetratio in comprehenſione intellectuali neceſsaria eſt. Si tamen velit rem æqua lance perpendere, dicam ſic. Ut ſuperficies concava comprehendat convexam, debet eſse, vel huic æqualis, vel iſta major, ergo ut cognitio comprehendat obiectum, vel debet eſse huic æqualis, vel iſta major, ſed neutrum dici poteſt de cognitione creata per reſpectum ad Deum, ergo.

49. Ad ſecundam partem argumenti dico, ly totaliter præciſe nec ſe tenere ex parte cognoſcentis; nec ex parte Dei cogniti, ſed haberi per comparationem unius ad alium, & tranſmitto, videri in Deo etiam omnem modum, ſed nego videri totaliter, quia ipſe modus infinite viſibilis eſt, & ita revera videtur à Deo ſe ipſum comprehendente. Neque nimirum adeo videri debet, rem perſpici poſse totam, ſed non totaliter, quod laudatus Doctor ſe intelligere non poſse fatetur. Nonne tota perſona divina terminat totam humanitatem? Nec tamen totaliter exercet totam ſuam vim terminandi, alioquin tanta eſset terminabilitas in humanitate, quanta virtus terminativa in Verbo. Nonne tota ſubſtantia divina eſt in hoc loco? Nec tamen totaliter eſt, alioquin à loco circumſcriberetur, ergo à pari poterit idem obiectum videri totum, non tamen totaliter. Neque hoc pacto pars videretur, & pars minime videretur, quod S. Th. probat exemplo duorum, quorum unus perfecte ſciat aliquam concluſionem, alius imperfecte; hoc non contingit, quia ille ſciat totam, hic tantum partem, ſed quia licet ambo totam ſciant, unus tamen per medium efficacius, alius per medium infirmius. Plura dicerem, ſi mathematice loqui placeret. Punctum in angulo trianguli totum attingitur à qualibet linea, nec tamen totaliter attingitur. Quod igitur intelligibile exiſtimatur, clariſſime oſtenditur.

50. Op. 2. & ſimul inſtabis. Deus, non tantum ſecundum ſe totum, ſed etiam totaliter, eſt intra lineam obiecti formalis facultatis intellectivæ, ergo hæc elevari poteſt ad Deum comprehenſive videndum. ant. patet, quia quocumque modo eſt intra lineam veri. Probatur conſ. quælibet facultas ſaltem per elevationem poteſt ſe extendere ad omne

omne id, quod non excedit ſuum obiectum formale, & propterea dicimus, intellectum elevari poſse ad videndum Deum. quod oculo corporeo negamus.

51. Reſp. eſse intra lineam obiecti formalis quo ad rem, non quo ad omnem modum, & quamlibet facultatem extendere ſe poſse ad id, quon non excedit ſuum obiectum formale ſecundum rem, & ſecundum omnem modum; non enim in potentia, tendente in aliquod obiectum, ſolum conſiderari debet ratio formalis ſub qua in illud tendit, ſed etiam modus, quo tendit, ſi modus, quo tendit ſe tenet ex parte potentiæ, non obiecti, quare ſi modus iſte inferat in potentia infinitatem, & quidem in quacunque linea, prorſus potentiæ, etiam per elevabilitatem repugnabit, niſi velimus, creaturam non amplius eſse creaturam. Ita res in caſu noſtro ſe habet. Deus quidem etiam ut incomprehenſibilis, eſt obiectum facultatis intellectivæ, & revera illum cognoſcit, ut incomprehenſibilem, modus tamen, quo ipſum comprehenderet, eſset extra virtutem etiam elevatam ipſius, quia eſſet infinitus. & quidem in omni linea, ut probatum fuit; & iſte modus ſe non teneret ex parte obiecti, ſed potentiæ, qui proinde non ſolum in obiecto, ſed etiam in potentia infinitatem inferret. dixi, *in omnia linea*, quia etiamſi poſſibile foret lumen infinite intenſum, quod tamen per me falſum eſt, adhuc non ſufficeret, ut Deus comprehenſive videretur.

52. Op. 3. ex Patribus. S. Fulgen. in reſponſ. 8. ad Ferran. Diaconum docet. *Animam Chriſti cognoſcere deitatem, quantum Deitas cognoſcit ſe ipſam.* Euſeb. in epiſt. de morte Hierony. ad Damaſum refert, hæc verba, antequam moreretur, habuiſse. *Tua anima ſtatim ac inſeparabiliter fuit unita divinitati, omnia ſcivit, & potuit, quæ ſcit, & poteſt ipſa divinitas*. Tandem Nazian. orat. 34. inquit, *comprehenſionem divinæ eſſentiæ eſſe præmium beatorum.* ergo.

53. Reſp. Sanctos Patres, qui beatis comprehenſionem concedunt, loqui de comprehenſione modo a nobis explicato ſub initio articuli. Quod vero dicunt Fulgentius, & Hierony. de anima Chriſti, eſt verum ſecundum aliquam accomodam diſtributionem, non proprie & ſtricte, cum damnata ſit hæc propoſitio. *Quam cito anima Chriſti fuit unita divinitati, ſtatim ſcivit omnia, quæ Deus ſcit*. atque ſi valeret in omni ſenſu authoritas adducta, deberet etiam dici, animam Chriſti fuiſse omnipotentem, immenſam, & hujuſmodi, quod admittit nemo.

ARTICULUS VI.

An ex cognitione omnium creaturarum ſequeretur comprehenſio Dei.

54. Quæſtio promovetur præſertim de creaturis poſſibilibus, non quidem inſpectis juxta ſuum eſſe formale, quod habere dicimus in ſe ipſis, ſed ſecundum illud, quod habent in omnipotentia divina, ita ut hæc ſit ratio cognoſcendi omnia poſſibilia, non in confuſo, & ſub ratione communi, ſed clare & diſtincte ſecundum omnes circumſtantias, reſpectus, combinationes, ſubſtantiam, & modum. Cognitionem hanc omnium creaturarum, tanquam poſſibilem docuit Magiſter in 3. Diſ. 14. §. *Quibus reſpondetur* Alber. Magnus ibidem av. 1. cap. 3. ferme omnes Scotiſtæ, quos ſequuntur ex recentioribus Cacheran. Mader. Valent. Lugus, Arriaga &c. Contrarium docent omnes Thomiſtæ adhærentes S. Th. 1. p. q. 12. art. 8. quos ſequuntur in opinionis ſubſtantia Suarez, Amicus, Sylvius, Puteobonel., dixi, *in opinionis ſubſtantia*, quia idem docentes diverſis tamen inituntur fundamentis. Hæc

Hæc omnia ad examen vocare non contendo, ſed ſolum illud, quod in Scholis proponitur, & a Thomiſtis ſuſtinetur, nempe, repugnare cognitionem omnium poſſibilium in divina omnipotentia, quia hæc comprehenderetur, proinde comprehenderetur ipſe Deus, juxta id, quod ait S. Th. loco citato, ubi ſic. *Ille intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui cauſam totaliter comprehendit.*

55. Dicendum. ex cognitione omnium creaturarum poſſibilium non ſequi cognitionem comprehenſivam Dei.

Prob. Ut detur cognitio comprehenſiva Dei, debet Deus cognoſci omni modo, quo cognoſcibilis eſt, ut dictum fuit in anteced. & ab omnibus conceditur, ſed licet cognoſcerentur omnes creaturæ poſſibiles ſecundum omnes combinationes, reſpectus &c. Deus non cognoſceretur omni modo, quo cognoſcibilis eſt, ergo. prob. mi. Quando cauſa eſt æquivoca, non cognoſcitur omni modo, quo cognoſcibilis eſt, licet cognoſcantur omnes effectus ab ipſa producibiles, atqui Deus eſt cauſa æquivoca omnium poſſibilium, ergo. prob. maj. Cauſa æquivoca per reſpectum ad omnes ſuos effectus ſemper perfectior eſt, ergo quando cauſa eſt æquivoca &c. Ratio hujus eſt, quia adhuc remanet cognoſcenda illa perfectio, per quam cauſa ſuos excedit effectus. exemplum ſit in ſole, qui nequaquam comprehenderetur, quamvis quis cognoſceret omnes effectus ab ipſo producibiles, quia ſupereſſet cognoſcenda entitas, & perfectio abſoluta ipſius ſolis. Hoc magis confirmo. Quamvis Deus ſecundum ſe nullum ordinem haberet ad creaturas poſſibiles, aut ſaltem præſcinderetur a tali ordine, & connexione, adhuc Deus eſſet incomprehenſibilis, quia adhuc eſſet ens infinitum & perfectiſſimum ſumme cognoſcibile, ergo non eſt incomprehenſibilis, quia omnes creaturæ nequeunt in ipſo videri, ergo, quamvis viderentur, adhuc non comprehenderetur. Addo in oppoſita ſententia committi circulum. Si enim petas, quare Deus non poſſit comprehendi, reſpondent, quia in eo non poſſunt videri omnes creaturæ, & ſi petas, quare in ipſo non poſſint videri omnes creaturæ, reſpondent, quia Deus eſt incomprehenſibilis.

56. Dices. Viſis omnibus creaturis poſſibilibus, jam videntur omnia, quæ virtualiter continentur in Deo, ex alia parte videntur omnia, quæ ſunt in ipſo formaliter, ut eſſentia, attributa, & perſonalitates, ergo quid ultra requiritur, ut comprehendatur?

Requiritur ultra, ut videatur omni modo, quo videri poteſt in ſe ipſo præter modum poſſibilem ex parte creaturarum. non reprobo propterea reſponſionem datam, ſed ita argumentor. Si creatura videret omnia virtualia, quæ ſunt in Deo, & non videret, quæ formalia ſunt, vel ſi videret iſta, & non illa, Deum non comprehenderet, ergo neque ſi videret utraque ſimul, prob. conſa: ideo primum, quia utraque cognitio ſeorſim ſumpta non eſſet infinita, nec omnino proportionata objecto intelligibili, nempe Deo, ſed neque utraque ſimul eſſet infinita, aut proportionata, ergo. prob. min. duæ cognitiones finitæ ſimul conjunctæ non reddunt cognitionem infinitam, ſicut duæ quantitates finitæ non reddunt unam infinitam quantitatem, ergo. Hac ratione cognitio illa tam eorum, quæ ſunt virtualia, quam eorum, quæ ſunt formalia, non eſſet Deo proportionata, quia ejus intelligibilitas exigit cognoſci cognitione infinita, & per eſſentiam, non ſolum extenſive, ſed etiam intenſive.

57. Inſtabis. atqui cognitio omnium poſſibilium eſſet infinita, ergo comprehenſiva. prob. ſub. min. Omnes creaturæ poſſibiles aut ſunt actu & catego-

tegorematice infinitæ, aut ſaltem potentia & syncategorematice, ergo cognitio omnium poſſibilium eſſet infinita, & ſicuti, ſi daretur virtus omnium produ ctiva, eſſet virtus infinita, ita, ſi daretur cognitio omnium, eſſet cognitio infinita. Præterea. Eo perfectior eſt cognitio, quo plures creaturæ videntur in Deo, ergo erit infinita cognitio, ſi infinitæ creaturæ videntur, præſertim quod hæc cognitio æquivaleret infinitis cognitionibus reſpondentibus ſingulis creaturis.

58. Sed contra. ne. ſub. min. ad prob. conc. ant. ne. conſ. non enim ex quo cognitio feratur in objectum infinitum, debet eſſe infinita, aliter etiam cognitio, qua videtur Deus in ſe ipſo, foret infinita, quod tamen affirmat nemo, atque hoc dici debet potiori ratione, ſiquidem objectum increatum magis eſt infinitum, quam quodcumque objectum creatum, & creabile; Hac de re paritas deſumpta a virtute productiva non tenet, quia, ſi per impoſſibile daretur virtus productiva increati, hæc eſſet infinita, nec tamen virtus, increati cognoſcitiva, eſt infinita; Ratio eſt, quia virtus productiva continere debet omnem perfectionem effectuum, non ſic virtus cognoſcitiva omnem perfectionem objectorum, alioquin repugnaret viſio intuitiva Dei. Satis eſt ergo, ſi in facultate cognoſcente detur habitudo, ſeu tendentia in objectum, ex qua infinitas inferri non poteſt. Conſtat hoc, ſi enim poſſibiles eſſent infiniti parietes, & eſſet in re unus paries, iſte haberet infinitos reſpectus ſimilitudinis, nec tamen eſſet infinitus.

59. Neque dicas, ergo creatura plus poteſt cognoſcere, quam Deus producere, etenim admiſſo ſubſumpto, non ſequitur major perfectio in facultate cognoſcitiva creaturæ, quam in virtute productiva Dei, non enim major vel minor perfectio potentiæ ſumitur ex majore, vel minore latitudine objecti, ſed ex perfectiore modo ſe habendi ad illud; virtus autem productiva ſe habet ad poſſibilia ipſa præcontinendo, cognoſcitiva vero præciſe attingendo. Quod ſi intellectus intelligendo ſit omnia, hoc tantum eſt verum terminative, & extrinſece, non formaliter & intrinſece, intentionaliter, non phyſice, & ſemper redit retorſio deſumpta a cognitione intuitiva Dei.

60. Per hoc patet ad 2. Si enim valet illud argumentum, eo perfectior eſt cognitio, quo plura attingit, ergo, ſi attingit infinita, erit infinita, valet etiam hoc aliud, ergo, ſi objectum eſt infinitum, erit infinita, ergo huiuſmodi erit viſio intuitiva Dei. perfectio igitur cognitionis deſumitur ab objecto geometrice, & terminative, non aritmetice, & formaliter, & ſi cognitio poſſibilium æquivalet infinitis cognitionibus, hoc non obſtat, quia etiam cognitio intuitiva Dei æquivalet infinitis cognitionibus, quæ eſſe poſſunt de objectis infra Deum. Huic argumento amplius reſponſum datur, negando infinitum categorematicum, qua in re unuſquiſque conſulat ſua principia.

61. Reliqua, quæ opponuntur, non ſunt attendenda, aliud enim non continent præ dictis niſi phraſes, & verba, ut expreſſe indicat Cacheranus hic num. 54. Teſtimonium autem S. Th. ante concluſionem productum poteſt in hoc ſenſu explicari, quod qui comprehendit cauſam, videat omnes effectus, non tamen qui videt omnes effectus, comprehendat cauſam.

ARTICULUS VII.

Quid Beati de facto videant.

62. IN hoc puncto ſtrictiorem calamum me ſervaturum exiſtimo, cum communia, & aliqua incerta dicenda ſint. Loquendo in primis de objecto increato, beati de facto vident omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, ſive

ſive ſpectent ad Deum Unum, ſive ad Trinum, quod mihi videtur ſatis definitum in Concil. Florent. in lit. unionis ſeſ. ultima per illa verba. *Animæ, quibus nihil purgandum ſupereſt, intuentur clare Deum Trinum, & Unum, ſicut eſt*; & colligitur ex prima ad Corint. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*.

63. Quantum vero ſpectat ad creaturas; primo videndum eſt de noſtræ fidei myſteriis, & de iſtis, præſertim inſignioribus, ſentiendum eſt cum communiori Theologorum opinione, videri a beatis, excepto tamen judicii die. Illud ſuadetur ex pſal.47. *Sicut audivimus, ſic vidimus*. & ex ſuperius laudato textu Pauli; Unde Auguſtin. 14. de Trinit. cap.2.loquens de ſtatu patriæ inquit; *Neque enim fides jam erit, qua credantur, quæ non videntur, ſed ſpecies, qua videntur quæ credebantur*. Hoc autem intelligendum eſt de cognitione correſpondente fidei vel in actu, vel in habitu, alioquin parvuli, qui deceſſerunt ante uſum rationis, nihil viderent, quia in ſtatu viæ nihil crediderunt; Ratio autem aſſerti eſſe poteſt, quia per fidem habetur obſcura notitia, hæc excitat deſiderium cognitionis claræ, & merito unuſquiſque videre cupit, quod credit; cum igitur juſtum ſit, quodlibet deſiderium beati expleri, infertur &c. Hinc S. Th. 1. 2. q.4. art.3. in corp. inquit. *Perfecta cognitio finis correſpondet imperfectæ*. dixi, *præſertim inſignioribus*, ut ſunt myſteria unionis hypoſtaticæ, gratiæ, habituum infuſorum, ſacramentorum &c. nam, utrum beati videant objecta fidei minus præcipua, v. g. omnes figuras, & prophetias, omnes Eccleſiæ definitiones, & traditiones, nihil certi a Doctoribus ſtabilitur.

64. Quod vero judicii dies lateat beatos, colligitur ex illo Mat. 24. *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli &c.* qui textus licet ab aliquibus intelligatur cum reſtrictione, ideſt, nemo ſcit ad dicendum, non vero abſolute, ſicut revera intelligitur de Filio, licet dicatur, *neque Filius*. attamen hujuſmodi explicatio de Filio eſt neceſſaria, cum ex aliis ſcripturis colligatur, ipſi non deeſſe hujuſmodi cognitionem, ſicut dictum eſt in tract. de Incarnat., de beatis autem abſque aliqua neceſſitate proponitur, ſcriptura vero intelligi debet in ſenſu abſoluto, niſi ſenſus alius aliunde eruatur.

65. Circa objecta naturalia cenſeo, beatos de facto videre ſpecies rerum omnium, quæ hoc univerſum conſtituunt; ratio eſt, quia ſicut nos credimus, imo abſtractive cognoſcimus Deum, rerum omnium creatorem, ita ipſi ſub hac conſideratione illum intuentur, viſo autem creatore excitatur rationabile deſiderium videndi ſpecies, imo & aliqua præclariora individua. Verum hoc magis oſtenditur Sanctorum Patrum ſententiis inhærendo; ait autem Bern. de Triplici bonorum genere. *O Sapientia, qua tunc omnia, quæ in cælo, & quæ in terra ſunt, perfectiſſime cognoſcemus, in ipſo fonte ſapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes*. Origen. lib.2. de principiis cap.12. *Cum ad cæleſtia loca pervenerint Sancti, tunc eam rationem aſtrorum per ſingula pervidebunt, ſive animantia ſint, ſive quidquid illud eſt, comprehendent*.

66. Magis in dubium verti poſſet, utrum etiam videant futura contigentia, cordiumque ſecreta. Hæc diſtinguenda ſunt in duplici claſſe, alia enim ſunt, quæ pertinent ad proprium ſtatum beati, alia, quæ diſparate ſe habent. Rurſus, rem aliquam videri, bifariam contingere poteſt, vel in ſe ipſa, vel in Deo; tunc videtur in ſe ipſa, quando videtur per ſpeciem ſui propriam, qui modus non conſideratur a beato, cum ſit communis etiam nobis viatoribus, videtur autem in Deo, vel formaliter, & ex virtute viſionis, vel cauſaliter.

ſaliter.

ſaliter. tunc formaliter, quando eodem actu, quo videtur Deus, in ipſo Deo viſo videntur creaturæ, tunc cauſaliter, quando diverſo actu, conſequente tamen viſionem Dei, non quidem per propriam ſpeciem, ſed per quaſdam ſpecies, ac illuſtrationes, quas Deus beatis elargitur. Hoc poſito.

67. Sive loquamur de futuris contingentibus &. cordium ſecretis, ſive de rebus aliis, quæ ſpectant ad proprium ſtatum beati, hæc ab ipſo videntur in Deo ex vi viſionis formaliter. Ratio eſt, quia convenit beatis ex vi viſionis formaliter ea in Deo videre, per quæ ſunt beati, & ea ſcire, quæ juxta rectitudinem ſcire deſiderant, hoc enim poſtulat ſtatus beatitudinis, ad quam ſpectat omne rationabile deſiderium explere, atqui ita ſe habent futura contingentia, & ſecreta cordium, nec non alia ad ſtatum beati pertinentia, ergo. prob. mi. quia in illis, quæ ad proprium ſtatum pertinent, præbent beati auxilium ac præſidium ſuum, quod fieri non poſſet, niſi ipſis nota eſſent; Hoc totum indicat S. Th. in 4. diſ. 45. q. 3. art. 1. ubi ait. *Unuſquiſque de aliis rebus neceſſe eſt in ea*, (ideſt eſſentia divina) *videat, quantum perfectio beatitudinis requirit, ut ſcilicet homo habeat quidquid velit, ne aliquid inordinate velit. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea, quæ ad ipſum pertinent, cognoſcat, unde cum nulla rectitudo ſanctis deſit, volunt cognoſcere ea, quæ ad ipſos pertinent, & ideo oportet, quod illa in verbo cognoſcant.* Atque in Concilio Senonenſi quod maximi faciendum eſt propter Patres, qui interfuerunt, in decreto fidei ita ſtatuitur. *Beatis pervium eſt omnis ferme divinitatis ſpeculum, in quo, quidquid eorum interſit, illuceſcat.* Juxta hæc eſt authoritas illa Hugonis a S. Vict. lib. 2. de Sacram. p. 16. cap. 11. *Animæ Sanctorum eorum, quæ foris aguntur, tantum ſciunt, quantum vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodeſſe conſtat.*

68. Neque ex hoc ſequeretur, aliquem Sanctum inferioris ordinis, & meriti plura videre, quam videat Sanctus meriti Superioris, quia ad illius ſtatum poſſunt plura pertinere, atque ideo magis beatum illum eſſe quam iſtum, etenim in primis hoc poſtremum verum non eſt, ſive loquamur de gloria eſſentiali, ſive accidentali; non ſi de illa, quæ non habetur ex cognitione creaturarum, dicente Auguſt. 5. Conf. cap. 4. *Qui te, & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt.* Non ſi de iſta, quia ſanctus meriti ſuperioris plura alia videret, ſive de poſſibilibus, ſive de exiſtentibus, quæ non videret ſanctus meriti inferioris. Secundo dum aſſerimus, videri a beatis in verbo quæ pertinent ad proprium ſtatum, non excludimus videri etiam plura alia quæ minime pertinent.

69. Ea vero, quæ ab initio ſuæ beatitudinis non conveniunt beato, videntur ab ipſo ſucceſſu temporis ex vi viſionis ſolummodo cauſaliter; hoc ſuadetur, quia ex una parte beatus plura videbit, quæ ab initio ſuæ beatitudinis non vidit; ex alia ex vi viſionis formaliter non poteſt plura videre, quam videt, quia viſio hæc, utpote eſsentialis, eadem invariabilis perſeverat, & ſi foret capax incrementi, vel decrementi non eſset eſsentialis, quæ mutari non poteſt, nec quantum ad obiectum primarium, nec quantum ad ſecundarium, cum conſiſtat in actu ſecundo viſionis, non mere in actu primo, qui non mutatur, ſive plura, ſive pauciora pertingat, ut conſtat in ſpecie impreſsa univerſali, quæ poteſt modo plura, modo pauciora repræſentare; quod autem beatus plura viſurus ſit, facile declaratur, alioquin quilibet beatus videret omnes preces ad ſe mittendas, & ſic pertingeret uſque ad diem judicii, quam diximus ignotam; Quilibet Summus Pontifex agnoſceret totum

totum decurſum militantis Eccleſiæ, & fundator alicujus religionis omnes ſui ordinis prædeſtinatos à reprobis diſtingueret, quod non videtur admittendum. Hæc igitur ab ipſo videntur, ſed ſolummodo per novas illuſtrationes, ac revelationes, nimirum ex vi viſionis cauſaliter. Sed de hac re, ut ſervetur quod ab initio dixi, ſatis.

ARTICULUS VIII.

An viſio intuitiva Dei eſſe poſſit præciſiva.

70. AD id, quod nunquam erit, diſputationem noſtram perducimus. Si culpa hæc noſtra eſt, celebrioribus Theologorum Principibus tribuatur, qui ingenii aciem, ſtudiique ſui labores impendere non fruſtra cogitarunt, ut etiam quod fieri poſset, vel non poſset, multoties explicare, & acriter ſuſtinere contenderent.

Viſionem iutuitivam Dei eſse poſse præciſivam nihil aliud ſignificat, quam poſse videri eſsentiam, quin videantur attributa, unum ex his ſine alio, & ita loquendo de perſonis divinis. Negativam partem ſuſtinent Thomiſtæ omnes, afferentes Doctorem ſuum pluribus in locis, præſertim vero 3. par. quæſt. 3. art. 3. in corp. Hos ſequuntur Suarez lib. 2. de attribut. cap. 22. Becan. Vaſq. Lezana, Puteobonel. aliique. Affirmativam vero docent Scotiſtæ omnes cum ſuo Doct. in 1. diſt. 1. quæſt. 2. art. 2. quos ſequuntur plures Neoterici, Cacher. Averſa, Granad. Salas, Lugus, aliique. Cum iſtis.

71. Dicendum. Poſſibilem eſse viſionem intuitivam Dei, quæ ſit præciſiva?

Probatur. viſionem Dei intuitivam præciſivam eſse nec repugnat ex parte viſionis intuitivæ, nec ex parte obiecti, nec ex parte videntis, ergo ex nullo capite; probat. prima pars antec. viſio præciſiva indifferens eſt, ut ſit intuitiva, vel abſtractiva, ergo non repugnat ex parte viſionis intuitivæ; prob. ant. viſio præciſiva indifferens eſt vel ad obiectum in ſe ipſo, & in propria ſpecie, vel ad illud in ſpecie aliena attingendum, ſi primo modo, habetur viſio intuitiva, ſi ſecundo; habetur viſio abſtractiva, ergo.

Qua in re adnotandum eſt, viſionem intuitivam ferri in obiectum ut eſt in ſe, dupliciter intelligi poſſe, vel ut eſt in ſe adæquate, vel inadæquate; in primo ſenſu ferri debet in omnem formalitatem, quæ reperitur in obiecto; in ſecundo, ſatis eſt, ſi feratur in aliquam formalitatem obiecti, quæ attingatur per ſemetipſam, vel per ſui ſpeciem. Prima eſt viſio intuitiva adæquata, ſecunda inadæquata, atque in caſu noſtro ſi videretur eſſentia ſine attributis, & relationibus, videretur eſſentia ut eſt in ſe, ut inquiunt quiditative licet non qualitative. Probatur ſecunda pars primi anteced. primo divina eſſentia per nos formaliter ex natura rei diſtinguitur ab attributis, & per adverſarios, ſaltem virtualiter, ſed hoc ſufficit, ut ipſa poſſit videri, quin videantur attributa, & relationes, ergo. probatur min. Si divina eſſentia, vel formaliter, vel virtualiter diſtinguitur ab attributis, ejus viſibilitas eſt vel formaliter, vel virtualiter extra viſibilitatem attributorum, & relationum, ergo hoc ſufficit &c. Secundo; Divina eſſentia eſt obiectum, quod libere repræſentat tam ſe, quam attributa, ergo poteſt ſe ipſam repræſentare, quin repræſentet attributa, ergo etiam poteſt videri, quin attributa videantur, nec enim intellectus id cognoſcere poteſt, quod ſibi non repræſentatur, aliter daretur aliqua cognitio, ad quam obiectum nullo pacto concurreret. ant. patet, quia divinam eſſentiam fieri obiectum intellectus eſt operatio ad extra; conſa etiam, nam, ſicuti quia repræſentat

tat libere ſe ipſam, poteſt ſe repræſentare,& non repræſentare, ita, ex quo libere repræſentet attributa, poteſt iſta repræſentare, vel non repræſentare, & ecce quo pacto adhuc videretur ut eſt in ſe, ſi non entitative, ſaltem repræſentative, quod ſervat viſionem intuitivam. Ultima pars primi antecedentis declaratur, quia intellectus eſt facultas de ſe præciſiva, ut ſuppono ex traditis in Metaphiſ. Adverto tamen, ex diverſo capite oriri præciſionem intellectus in via, & præciſionem ipſius in patria; oritur in via ex imperfectione ipſius intellectus, vel etiam ex libera motione voluntatis applicantis intellectum, in patria vero oriretur ex libertate obiecti, quod vellet in ſe repræſentare, & non aliter, quare licet actus intellectus in patria ſit neceſſarius, nihil obſtat, quia neceſſarius eſt in attingendo quidquid ipſi in actu ſecundo proponitur, non in attingendo quidquid quomodocumque reperitur in obiecto.

72. Eisdem rationibus,quibus probatur, videri poſſe eſſentiam divinam non viſis attributis, probatur etiam, videri poſse unum attributum non viſo alio, nec officere identitatem realem, quæ reperitur inter illa; quod quidem amplius ſic oſtendo. Per contrarios Doctores videri poteſt, imo videtur quodlibet attributum divinum, quin videatur tota ejus intenſiva perfectio, ergo etiam videri poteſt unum attributum ſine alio; probatur conſa, eandem identitatem, imo majorem ſervat unum artributum cum propria ſui perfectione intenſiva, quam cum alio attributo, ego ſi &c. etiam &c.

73. A fortiori idem probatur de eſsentia non viſis perſonis, & de una perſona non viſa alia, in quibus argumentum non valet deſumpum ab identitate reali. Verum priorem partem contendunt oſtendere ſententiæ noſtræ propugnatores tali pacto. Poteſt communicari eſſentia non communicata perſona, hæc generari illa remanente ingenita, ergo etiam poteſt videri eſſentia non viſa perſona; & ſicuti realis identitas non impedit, unam, non aliam communicari, unam,non aliam generari, ita non impedit, unam, non aliam, videri.

74. Sed, ut verum fatear, argumentum hoc nimis probat, nam ſi valeret, ſequeretur, quod ſicuti ita communicatur natura, ut nullo pacto poſſit communicari perſona, ita videatur natura, ut nullo pacto poſſit videri perſona, quod tamen non eſt dicendum, cum de facto utraque videatur. Quidquid tamen ſit de hac ratione, noſtra ſuperius producta ulteriori non indiget explicatione, nec eſt ſub aliqua limitatione ſumenda.

75. Altera autem pars, pertinens ad perſonas, præter dicta poteſt ulterius ſic ſuaderi. Potuit una perſona terminare naturam humanam, quin terminaret alia perſona, cum incarnata ſit perſona Filii, non Patris, vel Spiritus Sancti, ergo etiam poterit una perſona videri, quin videatur alia. Conſa tenet, nam, ſicuti terminare naturam creatam eſt opus liberum Dei, ita eſt liberum opus Dei videri à creatura, & ſi mihi dicant, perſonas habere diverſam vim terminandi realiter, dicam ego in hac conſideratione habere etiam diverſam viſibilitatem realem, cum hæc ipſa vis terminandi viſibilis ſit. Sed jam dictum eſt, ad viſionem præciſivam non requiri diverſam re viſibilitatem, ſed ſufficere virtualem, multo magis diverſam formalem, ut in noſtra ſententia.

76. Sunt tamen plures Scotiſtæ, & aliqui recentiores, inter quos Lugus 1. part. lib. 1. diſp. 23. cap. 4. admittentes quidem viſionem præciſivam inter eſſentiam, attributa, & perſonas, non tamen inter perſonam, & perſonam, ſi iſtæ relative opponantur; quare dicunt, in viſione Patris ſimul videri Filium, cum *relativa ſint ſimul natura, &*

cogni-

cognitione, ut commune profert eloquium. Ad hoc dicendum non cogor, & punctum hoc ſic ſingillatim declaro.

77. Non repugnat primo videri Patrem, & Filium non viſo Spiritu Sancto. Probo. Poſſunt videri Pater, & Filius non viſa ſpiratione activa, ergo etiam non viſa ſpiratione paſſiva, ſed ita poſſunt videri, quin videatur Spiritus Sanctus, ergo. Probat. maj. Spiratio activa nec eſt ratio formalis conſtitutiva Patris, nec ratio formalis conſtitutiva Filii, Pater enim formaliter conſtituitur per Paternitatem, Filius per Filiationem, ut ſuppono ex tract. de Deo Trino, ergo. Colligi hoc aliquo modo poteſt etiam ex verbis Chriſti Domini Joan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum* non dixit autem, *videt & Spiritum Sanctum*, & revera dictum fuit Act. 19. *Neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus*. Ex quibus infertur, quod ſicuti haberi poteſt fides ſaltem explicita Patris, & Filii ſine fide Spiritus Sancti, ita poſſit haberi viſio, quæ fidei ſuccedit.

78. Sed quia major difficultas eſt de viſione Patris, ſine Filio, vel e contra, ideo dico, neque repugnare, videri intuitive Patrem ſine Filio intuitive viſo. Ratio eſt, quia principium illud, *relativa ſunt ſimul natura, & cognitione*, ſatis in re noſtra non probat, primo quia, licet eſſet verum de relativo, ſumpto reduplicative, non eſſet tamen, ſumpto ſpecificative, & tantum in conceptu perſonæ. Secundo quia, unum relativum poteſt intuitive cognoſci, correlativo tantum cognito abſtractive, cognoſcimus enim intuitive creaturam, quæ refertur neceſſario ad creatorem, nec tamen hunc, niſi abſtractive cognoſcimus, cognoſcimus intuitive Filium, nec tamen cognoſcimus Patrem, ut experientia compertum eſt, ergo. Atque in hac re argumentum ſuperius expoſitum redit, nimirum Filium terminare naturam, quam tamen non terminat Pater.

79. Vides ex ſuperiori ratione non poſſe cognoſci perſonam, niſi etiam cognoſcatur eſſentia, quia perſona non tantum perſonalitate conſtituitur, ſed etiam eſſentia. Sed hoc ſententiam noſtram non deſtruit, præſertim ſi loquamur de perſona inadæquate accepta, quæ adhuc videretur ut eſt in ſe. Qua in re ad notandum eſt, aliud eſſe, videri eſſentiam negando attributa, & perſonas, unamque perſonam negata alia; hocſecundum nunquam aſſerimus, & ita eſſet cognitio erronea, nec eſſet videre rem, ut eſt in ſe. Primum tantummodo ſuſtinemus, & ita valet illud. *Præſcindentium non eſt mendacium*. Qui enim videret juxta noſtrum aſſertum, nec affirmaret, nec negaret, imo neque de reliquis cogitaret.

80. Rationum noſtrarum vim perpenderunt plures ex contrarijs Doctoribus, & fatenter ſatis concludere, ſed repugnantiam eſſe dixerunt, quia viſio hæc intuitiva Dei nequaquam foret beatifica. Breviter me expedirem dicendo, hanc eſſe aliam quæſtionem. Ut tamen omnia reſolvam ex integro; dico, adhuc futuram eſſe beatificam, ſi tamen loquamur de viſione divinæ eſſentiæ non viſis attributis, & perſonis, non ſi vice verſa. Ratio primi eſt, quia ſi videretur eſſentia non viſis &c. videretur obiectum primarium viſionis beatificæ, ergo viſio eſſet beatifica. Prob. conſa, cum antecedens ſit verum præſertim per Patres Thomiſtas, Quotieſcumque habetur obiectum primarium alicujus actus, iſte non mutatur intrinſece, & ſpecifice, ſed ſolum per accidens, & ſecundario & extrinſece, & ratio eſt, quia ad eſſentiam actus ſpectat repræſentare ſuum obiectum primarium, ratione cujus cætera videntur, ergo ſi &c.

Præterea. ut optime probat Scotus in 1. diſt. 1. quæſt. 2. Pater æternus pro inſtanti originis, quo dicitur prior Filio, & Spiritu Sancto, eſt perfecte

ſecte beatus, alioquin ſi ipſius beatitudo ſuſpenſa maneret uſque ad ſecundum & Tertium ſignum, quo intelliguntur productæ aliæ duæ perſonæ, non eſset beatus à ſe, ergo viſio eſsentiæ, prout abſtrahit à relationibus, & perſonis eſt beatifica; & ratio eſt, quia eſsentia divina in ſe ipſa ſummum bonum eſt, à quo cætera progrediuntur tanquam proprietates, & per quam Deus eſsentialiter eſt Deus.

ARTICULUS IX.

Refelluntur argumenta contraria.

81. Quamvis ex probationibus meis rejecta ſint omnia, quæ opponi poſse videntur, nihilominus ea producere non erit abs re, præſertim cum ea diluendo, ſententia ſtatuta magis firmabitur. Illud in primis opponunt, quod dixit Chriſtus. *Qui videt me, videt & Patrem meum*, quod quidem valet etiam de potentia extrordinaria, in qua ſolum eſt præſens diſputatio, etenim ſui dicti rationem reddit per hæc verba, *quia ego in Patre, & Pater in me eſt* quod verum eſt in quacumque rerum providentia, & diſpoſitione.

Confirmant hoc argumentum Auguſtinus, & Nazianzenus. Primus in lib. quæſt. novi teſtamenti quæſt. 43. habet hæc verba. *Per id, quod unum in ſubſtantia ſunt, qui unum videt, ambos videt*, Secundus orat. 49. hæc alia. *Qui videt me, videt & Patrem; non immerito, quia unione ſubſtantiæ, & majeſtate divinitatis unum ſunt*. Ex quibus ſic licet inferre; atqui ſunt unum in ſubſtantia juxta quamcumque diſpoſitionem poſſibilem, ergo ſimul videri debent ſecundum quacumque &c.

82. Reſpondet huic argumento Scot. in 4. diſp. 49. quæſt. 4. ibi non eſse ſermonem de viſione Dei intuitiva, nec enim dici poteſt, Philippum petiiſſe claram Dei notitiàm, quæ in hac vita nunquam data fuit, ſed de illa, quæ per fidem obtinetur, & quam Philippus a Chriſto poſtulabat per illa verba, *oſtende nobis Patrem*. atque hoc evincitur ex contextu, ubi ſubdit Chriſtus, *non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* tanquam ſi diceret; ſi credis in me, facillime potes credere in Patrem, cum quo indiviſibiliter ſum Deus, & qui mecum indiviſibiliter operatur, imo cujus virtute ego loquor, ideo addit, *Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor, Pater autem in me manens ipſe facit opera*.

Neque inſtes; ego ſicuti qui credit in Filium, credit in Patrem, ita qui videt intuitive Filium videt intuitive Patrem, non enim ex illis verbis infertur, fidem filij haberi non poſse ſine fide Patris, immo ex interrogatione Philippi contrarium evincitur; ſed ſolum, fidem filij perducere etiam ad fidem Patris, *nemo enim venit ad Patrem, niſi per me*, inquiit Chriſtus de ſemetipſo. In eodem ſenſu intellige Patrum teſtimonia; & quod ex identitate ſubſtantiæ argumentum non teneat, jam demonſtratum eſt. Quod ſi velis, textus illos intelligendos eſse etiam de clara Dei viſione, permittam, ſed dicam, id verum eſſe de viſione ſecundum præſentem ordinem, non in alia providentia, in qua Deus aliter vellet diſponere, & ita etiam alios Patres explicabo, qui de hac quæſtione de poſſibili nunquam cogitarunt.

83. Dices. Ex quo eſſentia, attributa, & perſonæ ſunt unum, & idem, recte infertur, unum ſine alio videri non poſſe; probatur. ſi poſita illa identitate unum poſſet videri ſine alio, idem videretur, ut eſt in ſe, & non videretur, ut eſt in ſe, primum ſupponitur. Secundum demonſtratur, quia non videretur id, quod eſt idem cum illo. Sed contra, licet ſint unum, & idem in re, non ſunt tamen formaliter, aut virtute, ideo adhuc

huc videretur ut eſt in ſe ſecundum propriam formalitatem, & quidem ſic, adæquate, licet non videretur ut eſt in ſe realiter adæquate. Hanc autem diſtinctionem ſufficere ſervandæ contradictioni, quæ apparet in hoc, quod eſt videri, & non videri, jam demonſtratum eſt.

84. Inſtabis. Diſtinctio formalis, multo minus virtualis, non ſufficit ad ſervanda contradictoria, quæ ſunt inter exiſtere & non exiſtere, produci, & non produci, ergo neque ſufficiet pro ſervandis contradictoriis, quæ ſunt inter videri, & non videri. Sed contra; ſaltem negari non poſſet, videri poſſe unam perſonam non viſa alia, cum inter perſonas ſit diſtinctio abſolute realis; negatur tamen antecedens, quod in divinis apertiſſime eſt falſum, cum de facto producatur filiatio, & non producatur eſſentia, nec tamen ibi eſt niſi diſtinctio aut formalis per nos, aut virtualis per alios; ſed ſi velis diſparitatem, quæ etiam in creatis valet, adverte, alia eſſe prædicata contradictoria ſpectantia ad rem in eſſe phyſico, alia ad ipſam pertinentia in eſſe intentionali, licet illa non ſerventur niſi per diſtinctionem realem, ſervantur tamen iſta, pro qua re ea recolantur, quæ de præciſionibus obiectivis traduntur a Philoſophis. Quod ſi probaret argumentum, ſequeretur, neque per cognitionem abſtractivam unum ſine alio cognoſci poſſe. Hoc clarum eſt, etenim, ſicut contradictorie opponuntur exiſtere & non exiſtere, produci & non produci, ita opponuntur cognoſci abſtractive, & non cognoſci, & tamen fatentur, animalitatem non poſse exiſtere ſine rationalitate, unam ſine alia non poſse produci, unam vero ſine alia poſse cognoſci.

85. Neque urgeas, cognitionem intuitivam ferri in rem exiſtentem, proinde ſi &c. contra enim, ex dictis cognitio intuitiva adæquata fertur in rem exiſtentem adæquate, cognitio intuitiva inadæquata ad rem exiſtentem inadæquate; rurſus, cognitionem intuitivam ferri in rem exiſtentem, hoc eſt in aliquid, quod eſt præſens vel per ſe, vel per propriam ſpeciem, eſt verum, ſic enim diſtinguitur ab abſtractiva, ferri vero in rem exiſtentem in ſenſu adverſariorum, eſt falſum.

86. Op. 2. Licet non repugnat viſio intuitiva, quæ ſit præciſiva, loquendo in omni caſu, repugnat tamen viſio intuitiva beata, quæ ſit præciſiva, ergo in patria nequit eſſe &c. prob. ant. 1. Viſio intuitiva, quæ ſit beata, debet neceſſario ſatiare intellectum, ſed viſio intuitiva, quæ ſit præciſiva, non poteſt &c. ergo. prob. mi. intellectus videns naturam divinam ſine ſuppoſito, naturaliter inclinaretur ad cognoſcendum, quomodo ſit in ſuppoſito, ergo. 2. Objectum *quod* viſionis beatæ nequit eſſe præciſo ſuppoſito, nam ſicut actiones ſunt ſuppoſitorum, ita ſuppoſita ſunt termini actionum, ergo. 3. Eſſentia divina non poteſt beatifice videri, niſi videatur ut ſummum bonum, & radix omnium perfectionum, ut neceſſario ſæcunda, & communicabilis ad intra per intellectum, & voluntatem, ſed ita non poteſt videri, quin videantur attributa, & relationes, ergo.

87. Huic argumento reſpondent alii, ut ſupra dictum eſt, fieri tranſitum de quæſtione ad quæſtionem, nam aliud eſt, viſionem intuitivam eſſe poſſe præciſivam, & aliud eſſe poſſe beatificam, ſi foret præciſiva. attamen ſuſtinendo jam dicta, ne. ant. ad primam prob. conc. mai. ne. mi. ad prob. ex antecedente inſertur tantum conſequentia juxta præſentem ordinem, & loquendo naturaliter, non in alio ordine, & juxta potentiam Dei abſolutam. Si ergo loquamur de beatitudine eſsentiali, ſatis hæc habetur per viſionem divinæ eſsentiæ, ſicut probatum fuit, neque intellectus eſset inquietus, ſi non videret attributa, ac relationes, quia iſtæ

iſtæ pertinent ad beatitudinem ſolum de ſecundario. Hoc præſertim valet, ſi nullam notitiam haberet intellectus attributorum, ac relationum, quod fieri poſſe, quis prohibet? Nonne in via poſſet eſſe revelata eſſentia, quin eſſent revelatæ perſonæ, & reliqua, quæ divinitatem conſequuntur?

Ad 2. argumentum ad ſummum probaret, debere videri aliquod ſuppoſitum naturæ divinæ, non autem omnia. Sed revera ne. maj. quæ ad ſummum eſt vera, dum ſermo eſt de actionibus productivis, non de intentionalibus, quæ verſari poſſunt, immo ſolent circa univerſalia a quacumque ſingularitate præciſa, ex alia parte, licet natura divina ſecundum ſe non ſit in ſuppoſito relativo, eſt tamen in abſoluto per ſui ſubſiſtentiam abſolutam, & eſſentialiter eſt hæc, & ſingularis natura, ut frequens eſt Sancti Thomæ doctrina.

Ad 3. conc. primam partem majoris, tranſmitto alias, ne. min. ſicuti cognoſcitur omnipotentia, ut cauſa omnium creaturarum, nec tamen clare videntur omnes creaturæ; & quantum ad fæcunditatem, & communicabilitatem, jam ſuperius dictum eſt ſatis. Præterea, hæc omnia conveniunt eſſentiæ divinæ de ſecundario, & concomitanter, & cognoſcerentur a beato ad ſummum illative, & per diſcurſum, non intuitive, & per eumdem actum.

88. Plura alia opponunt Suarez, & Amicus, ſed vel jam ex dictis reſolvuntur, vel non ſunt ad rem; nam ſi a nobis inquiratur, utrum hæc viſio eſſet ejuſdem ſpeciei cum ea, quæ de facto datur, vel eadem numero, non teneremur ad reſpondendum, & dummodo poſſibilis a nobis ſuſtineatur, parum intereſt, utrum ſit eadem, vel diverſa. Dicerem tamen, eſſe eamdem in ſpecie, quia ſervaretur obiectum primarium, ſi videretur eſſentia, non eſſe eamdem, ſi tantum viderentur attributa.

ARTICULUS X.

De Lumine gloriæ.

89. Nullam creaturam virtute ſibi propria Deum videre poſſe, dictum eſt art. 1. hujus quæſtionis; indiget ergo aliquo ſuperno auxilio, quo roboretur, & fiat apta. Hoc eſſe lumen gloriæ, concors eſt omnium Teologorum ſententia, & manifeſte traditum an. 1311. in Concil. Vien. ſub Clem. V. in quo damnata fuit hæc propoſito. *Anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.*

90. Ex hac Concilii definitione, quidquid antea docuerint Doctores, aliqua difficultas eſt, an hoc lumen gloriæ ſe habeat ad inſtar qualitatis habitualis & permanentis, vel actualis, & tranſeuntis. Quæ in re dicunt aliqui, definitum eſſe in concilio tanquam de fide, lumen gloriæ eſſe qualitatem habitualem & permanentem infuſam intellectui, ut viſionem beatam producat. ita Cajet. 1. p. q. 12. art. 5. ad 4. Capreol. in 4. diſ. 49. q. 4. art. 3. Ferrarienſ. 3. contra Gent. cap. 54. Aliqui vero, licet tanquam dogma fidei hoc non affirment, attamen id negare, vel periculo obnoxium, vel temerarium, vel erroneum proponunt. Ita Suarez lib. 2. de attribut. negat. cap. 12. Valentia Molina &c. Aliqui tandem utrumque negant, cum ibi Concilium decreverit tantum contra Beguardos & Beguinas, docueritque, viribus naturæ Dei intuitivam viſionem haberi non poſſe. an vero eſſet habitus, vel actus indeciſum reliquerit. Hoc communiter Scotiſtæ, & poſtea Vaſq. diſp. 42. Ariaga diſp. 7. Amicus, & alii.

91. Non deſunt, qui in hac re velint Scoti mentem in partem deteriorem detorquere, ac ſi luminis neceſſitatem prorſus denegaret. Ad hoc dicendum moventur præcipue ex iis,

quæ habet in 4. diſ.49. q.11. lit.H., ubi aſſerens, neceſſariam eſſe charitatem ex parte voluntatis, ait; *lumen autem gloriæ ad viſionem non videtur mihi neceſſe poni*. & in 3. diſ.31. q. unica, &c. *Reſpondeo*, inquit; *non eſt neceſſarium ponere aliquem habitum in patria creatum in ipſa anima, qui ſit principium videndi, vel tendendi in obiectum, ſaltem alium, niſi charitatem*.

Verum, qui ita de Scoto ſentiunt, parum accurate Scotum legerunt, vel minime omnino legerunt. Etenim in 1.diſ. 17.q.2.§. *ad Primum* dicit. *Nullus negat communiter in patria habitum luminis gloriæ in intellectu, & iſte ex parte intellectus poteſt poni correſpondere charitati ex parte voluntatis* quod etiam frequenter alibi repetit. Sed de hac re cogitent Scotiſtæ pro ſuo Doctore, illum tamen explico, ſic eſſe loquutum in locis ſuperius adductis, aliiſque, vel in ſuppoſitione, in qua intellectus mere paſſive ſe haberet ad viſionem, ut erat multorum opinio, vel in eorum ſententia, qui dicebant, lumen eſſe ita neceſſarium, ut eſſet tota ratio videndi, de qua re infra, aut juxta eos qui, aſſerebant, lumen ſe tenere ex parte obiecti, ita ut per illud fieret viſibile, in quibus certe caſibus prorſus ejus neceſſitas neganda foret, ſicuti, ſi loquamur de potentia Dei abſoluta, de quo pariter infra.

92. Admitto itaque lumen gloriæ neceſſarium de facto ad viſionem Dei, & quidem tanquam qualitatem habitualem, ac permanentem, non tamen tanquam de fide definitum propter rationem ſuperius allatam, ſed quia id magis eſt conſonum rationi, & magis acceptum apud Doctores. De iſtis non eſt cur loquar, ne ipſorum nominibus paginam impleam, de illa vero diſſerendo, ea præ omnibus placet, quam affert Scotus, nimirum, actum ſecundum præſupponere ſuum principium undequaque diſpoſitum, & ideo actum ſecundum ſupernaturalem ſuum ſupernaturale principium, & quamvis haberi poſſet per ſolum actum, attamen connaturalius haberi per habitum, qui complet non ſolum tranſeunter, ſed permanenter potentiam, præſertim quod viſio beata permanens eſt.

Præterea id oſtenditur, quia ſi in via dantur habitus infuſi fidei, ſpei, & charitatis, quare etiam in patria non erit habitus infuſus luminis gloriæ? præſertim quod juxta Patres & Theologos lumen gloriæ ſuccedit lumini fidei. Eſt igitur lumen hoc, *habitus ſupernaturalis particeps divini intellectus infuſus intellectui creato, per quem clare, & intuitive Deum videt*. De hoc lumine quæritur 1. an ſit tota ratio agendi per reſpectum ad viſionem.

93. Satis celebris eſt propoſita difficultas, in qua totis viribus laborant Scholæ præcipuæ Thomiſtarum, & Scotiſtarum, quibus deinde diviſim adhærent alii Neoterici, quanquam Madernus hic art. 9. *inſipientiam* ſuam præ modeſtia arguens, eam non niſi de nomine fateatur, quod, ut arbitror, accepit ab Oviedo in p. 2. controverſiar. Docent itaque Thomiſtæ omnes, lumen ita ſe habere ad viſionem, ut ſit tota ratio agendi. Negat vero Scot. in 4. diſ.49. q.11. & quod dicitur de lumine gloriæ per reſpectum ad viſionem, dicendum eſt etiam de aliis habitibus infuſis per reſpectum ad actus ſibi correſpondentes. Cacheranus vero exiſtimans utramque ſententiam conciliare, duplicem ordinem in lumine diſtinguit; Primo illud conſiderat; ut afficit intellectum elevatum, & ita ſentit, non eſſe totam agendi rationem; Secundo ut reſpicit intellectum præciſe ſecundum ſe, & ita arbitratur, dici poſſe totam rationem agendi. Ego vero alium dicendi modum proponerem, & dicerem, lumen eſſe totam rationem elevandi potentiam ad viſionem, non eſſe tamen totam rationem productivam viſionis. Quare de re. AR-

ARTICULUS XI.

Reſolvitur propoſita difficultas.

94. Dicendum niſi velimus in Theologia nugari, lumen gloriæ non eſſe totam rationem agendi. Ita præter Scotiſtas Suarez lib.2. de attribut. cap.9. Vaſq. 1.p. q.45. cap.4. Averſa q.12. ſec.20. Luſitan.lib.10. q.3. & iſtis in re Cacheran. adhæret.

Prob. Intellectus una ſimul cum lumine aliquid, quod eſt in viſione, producit, ergo tota agendi ratio lumen non eſt; antec: concedi debet, aliter intellectus tantum paſſive ſe haberet, quod eſt contra omnes Theologos, & Concilium Trident. ſeſ.6. can.4. ubi definitur, liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum mere paſſive ſe habere, anathema eſse, qui dixerit, quod autem probat de ceteris habitibus infuſis, probat etiam de lumine gloriæ; conſa vero probatur, quia ſi intellectus aliquid in viſione producit, jam in intellectu debet eſse virtus productiva, nemo enim dat quod non habet, & ſi eſt virtus productiva, jam ſequitur, totam virtutem non eſse a lumine repetendam.

95. Hoc magis confirmo. Quia in aqua calefaciente tota virtus calefaciendi eſt a calore, aqua ad calefactionem mere paſſive ſe habet, recipiendo prius in ſe ipſa calorem, ergo ſi in intellectu Deum vidente tota virtus eſset a lumine, intellectus mere paſſive ſe haberet, recipiendo lumen. Non inficior, intellectum per ſemetipſum non poſse viſionem producere, & indigere lumine adjuvante, quia viſio ſupernaturalis eſt, intellectus autem eſt facultas naturalis, ſed ex hoc non recte infertur, ergo lumen eſt tota ratio agendi, nam in ipſa viſione non reperitur tantum ſupernaturalitas, ſed etiam vitalitas intellectiva, illa correſpondet lumini, hæc intellectui, qui per lumen elevatus conſtituit cum iſto unum integrum viſionis principium; ex alia parte non obſtat, aliquod naturale conjunctum principio ſupernaturali, aliquid ſupernaturale producere, ſicut non obſtat, aliquod non vitale, conjunctum principio vitali, aliquod vitale proferre; Conſtat hoc in quacumque intellectione, ſiquidem certum eſt per doctores, contra quos nunc agimus, objectum concurrere ad intellectionem vitalem, nec tamen objectum vivit. Quare hoc? quia in intellectione non ſolum eſt vitalitas intellectiva correſpondens intellectui, & eſt ſimilitudo objecti correſpondens ipſi objecto, & ſi velint ipſi, vitalitatem viſionis Dei eſſe indiviſim ſupernaturalem, eadem ratione dicam vitalitatem intellectionis eſſe indiviſim ſimilem objecto, nec tamen hoc ſufficit ad dicendum, ergo objectum, vel ſpecies objecti eſt tota ratio agendi in intellectione: Ex qua doctrina validiſſimum argumentum contra ipſos conficio; erit ergo in noſtro caſu indiviſibilitas ex parte effectus, non ex parte cauſæ, ſicut in exemplo adducto.

96. Hinc corruit communis, immo unica reſponſio, dicentium, lumen ſe habere *ut quo* intellectum autem ut *quod*, ratio vero agendi reſidet in principio quo; etenim, eodem pacto dicere poſſem, ſpeciem objecti ſe habere *ut quo* ad intellectionem, intellectum, ut quod, & ſic ſpecies eſſet tota ratio producendi intellectionem. Sed magis in examen revocando hanc reſponſionem, & retinendo a me expoſitam probationem, peto, quo pacto ſe habeat hoc principium quo, forte ſicut ſe habet forma in materia, & natura in ſuppoſito? Si hoc dicant, ergo intellectus erit tantum principium paſſivum, ſicut eſt materia in compoſito, aut actio viſionis tribuetur tantum denominative intellectui, ſicut actiones tribuuntur ſuppoſitis; ſi autem ita non ſe habet, jam tota ratio agendi non erit.

97. Dices; intellectum eſſe quidem cauſam viſionis remotam, & radicalem, non tamen proximam, & formalem, ideo non tantum reciperet lumen ad inſtar principii paſſivi, ſed etiam viſionem efficeret, quod ſufficit, ut ſervetur mens concilii definientis, mere paſſive, & tanquam inanime inſtrumentum non ſe habere.

Sed contra, quid intelligunt per hanc cauſam remotam, & radicalem? vel intellectum eſſe cauſam cauſæ proximæ influentis in viſionem, eo modo quo dicitur, quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, & hoc non, quia intellectus non eſt cauſa luminis gloriæ, quod per ipſos eſt tota ratio efficiendi viſionem, vel hæc remota cauſalitas tribuitur intellectui, quia lumen, quod eſt cauſa proxima recipitur in intellectu, & ſic non plus concederetur intellectui, quam munus principii paſſivi, vel dicitur principium remotum, quia indiget elevatione, & adjutorio ſupernaturali, ut poſſit influere, & hoc, quod concedo, non ſufficit ad negandam efficientiam proximam poſita hujuſmodi elevatione. Quod Beatiſſima Virgo permanente Virginitate non conciperet, niſi adumbrante Spiritu Sancto, abſtulit ne proximum ipſius influxum in Chriſti humanitatem? minime; ergo a pari; ideo verum eſt, quod ſuperius dicebam, lumen eſſe totam rationem elevandi, non tamen agendi; & ſi fieret hoc argumentum, intellectus non agit, niſi ut elevatus, non eſt elevatus niſi per lumen, ergo non agit niſi per lumen, a me fieret hoc aliud, intellectus non intelligit niſi habens ſimilitudinem objecti, non habet niſi per ſpeciem, ergo non intelligit niſi per ſpeciem, ergo ſpecies eſt tota ratio intelligendi. conſa hæc eſſet falſa, ergo & illa. Illud ergo contingit, quia effectus non poteſt produci niſi per cauſam adæquatam, nec ſufficit virtus partialis, quæ reperitur in cauſa.

98. Quia vero controverſia præſens tota procedit de habitibus infuſis, tanquam ſi iſti ſint tota vis agendi, nihil vero facultati naturali elevatæ tribuatur, niſi remota, & radicalis ratio, qua da re litem tantum de nomine cenſuerunt authores à nobis laudati, ideo liceat in hac re magis ſermonem protrahere. Negabit nemo, ita loquendum eſſe de lumine gloriæ ad videndum Deum in patria, ſicut de habitu charitatis ad diligendum Deum in via; at rogo; eſt ne habitus charitatis in via tota ratio diligendi Deum? Si hoc dicatur, unde ergo habebitur libertas, quæ dubio procul requiritur, ut actus charitatis ſit meritorius, ſi tantum ab habitu charitatis, ergo nullum meritum erit à voluntate procedens, & voluntas habitum charitatis ſolum recipiet, quod eſt ſuperius rejectum, & neque poterit remote influere in actum charitatis, quia quod non eſt cauſa cauſæ, ſicut in re noſtra, non enim voluntas producit habitum charitatis, non eſt cauſa cauſati. Dicamus ergo, facultatem vitalem, & liberam ſuam vitalitatem, & libertatem producere in actus, qui ſunt vitales, & liberi, nec alio indigere, ut agat, ſed tantum ut ad agendum elevetur, & ſic ejus virtus, quæ prius erat remota, fiat proxima, & vere actuum productiva. Ita profecte loquemur juxta ſenſum ſacrarum ſcripturarum, præſertim Pauli 1. ad Corint. 15. dicentis. *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. ſuper quæ verba bene Bernardus de gratia, & libero arbitrio in fine dixit; *non fuiſſe ſolum miniſtrum perfectum, ſed operantis quodammodo ſocium per conſenſum*. Et melius Auguſtin. de grat. & libero arbitrio cap. 5. *Non ego autem, ſed gratia Dei meum, ac per hoc nec gratia ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo*.

99. Op. 1. Si lumen non eſset tota ratio agendi, intellectus eſset cauſa partialis viſionis, ſed hoc eſt falſum, ergo.

Pro-

Probatur min. Illa non eſt cauſa partialis alicujus effectus, quæ non habet virtutem inadæquate proportionatam ad illum producendum, ſed intellectus non habet virtutem &c. ergo. Probatur min. Primo quia ſi intellectus haberet &c. hæc virtus inadæquata eſset proxima, & naturalis, non remota, inchoata, & obedientialis. Secundo quia, hoc eſt proprium cauſæ partialis, ut ſi ipſi addatur virtus ejusdem rationis, fiat totalis, ut patet in duobus trahentibus currum, ſi enim uni addatur virtus, iſte fiet cauſa totalis. Tertio quia, viſio ſecundum vitalitatem correſpõderet intellectui, ſecundum ſupernaturalitatem correſponderet lumini, & ita non eſset indiviſim ſupernaturalis.

100. Reſp. conc. maj. neg. min. ed prob. tranſ. maj. diſt. min. Intellectus non elevatus non habet &c. conc. mi. elevatus neg. min. & ita infertur, lumen eſse totam rationem elevandi, non vero agendi, ſicut virtus Spiritus Sancti fuit tota ratio elevandi Virginem ad concipiendum, non tamen tota ratio agendi in genitam humanitatem. Hinc ad primam probationem minoris diſtinguo, ſi intellectus non elevatus habetet &c. hæc virtus eſſet proxima, & naturalis conc. ſi elevatus nego, & ita fit, ut virtus illa, quæ ante luminis receptionem erat tantum remota, recepto lumine fiat proxima, & ſimul cum lumine ſit productiva viſionis. Lumen itaque non præbet intellectui totam vim agendi, ſed vim intellectus adjuvat & corroborat, ſuperadendo ſupernaturalitatem, qua caret intellectus, & per quam vitalitas, quæ in intellectu reſidet, redditur apta & proxima ad viſionem producendam.

101. Neque enim verum eſt, quod contrarii Doctores dicunt, ideſt, lumen eſſe ſupernaturale *ut quo* vitale *ut quo*, ita ut ſit ratio integra, per quam intellectus vivat ſupernaturaliter *ut quod*. Nam ſi res ita eſſet; primo eadem ratione lumen eſſet etiam intellectivum ut quo, ergo ſi infunderetur facultati non intellectivæ, ipſam redderet intellectivam, & oculus corporeus una ſimul cum lumine recepto fieret intellectivus, ſicut paries prius niger recepta albedine fit albus. Secundo percipi nequit, aliquid eſſe vitale ut quo, niſi prius ſit vitale ut quod, ſicut nihil eſt ſupernaturale, ut quo, niſi etiam ſit ſupernaturale ut quod, & revera de lumine hoc debet concedi. Oſtendo magis quod dixi. Anima, quæ eſt id, quo corpus vivit, vivit etiam ut quod, lux, quæ eſt id, quo obiecta videntur, videtur etiam ut quod; & per adverſarios ſi intellectus, qui eſt id, quo anima intelligit, ab anima ſepararetur, eſſet intelligens ut quod. Cum igitur ſit omnino falſum, lumen eſſe vitale, & intellectivum ut quod, falſum eſt etiam, eſſe hujuſmodi ut quo; quia vero eſt ſupernaturale, ut quod, eſt etiam ſupernaturale ut quo, & ſic receptum in intellectu reddit vitalitatem intellectus, quę prius erat naturalis, ſupernaturalem, & de remota fit proxima.

102. Ad 2. Dico, propoſitionem illam eſſe veram, quando effectus ſit adæquate in eodem ordine, in quo eſt utraque cauſa, ut in exemplo adducto, non vero, ſi in diverſo ſit ordine, ut contingit in noſtro caſu.

Ad 3. patet retorſio, quia ſi vitalitas eſt indiviſim ſupernaturalis, etiam ſupernaturalitas eſt indiviſim vitalis, ergo ſi propter primam non poteſt correſpondere intellectui, propter ſecundam non poteſt correſpondere lumini; eſt igitur indiviſim vitalis ſupernaturalis, & ideo nec eſſe poteſt à lumine ſolo, nec à ſolo intellectu, & in hoc ſenſu dicimus, lumen & intellectum eſſe cauſas partiales, quia poſtea vitalitatem, & ſupernaturalitatem conſideramus veluti duas viſionis formalitates, dicimus, viſionem, ut vitalem, correſpondere intellectui, ut ſupernaturalem lumini, ſed

ſed revera correſpondet utrique, cum ex utroque conſtituatur unum integrum principium, ita ut lumen, ut agat, indigeat intellectu, intellectus indigeat lumine; qua de re eo pacto quo dicunt, lumen eſſe totam rationem agendi reſpectu intellectus, dicam ego, intellectum eſſe totam rationem agendi reſpectu luminis, nam ſicuti intellectus ſine lumine non poteſt producere vitalitatem viſionis, ita lumen ſine intellectu non poteſt producere ſupernaturalitatem ejusdem. Ex hiſce, aliiſque poſitis reliqua, quæ in contrarium afferri poſſent, facillime diluentur.

ARTICULUS XII.

An ſine lumine gloriæ haberi poſſit viſio Dei intuitiva.

103. Etſi ſuperius dictum ſit juxta definitionem Concilii Viennenſis admittendum eſſe lumen gloriæ, quod ad viſionem concurrat, vel tanquam qualitas habitualis, vel ſaltem tanquam auxilium actuale adjuvans intellectum ad videndum Deum, nihilominus à Theologis quæritur, utrum per potentiam abſolutam poſſit ſine lumine haberi hujuſmodi viſio, vel per ſolum auxilium Dei extrinſecum, vel per concurſum ſpecialem ipſius Dei ſupernaturaliter concurrentis, quæ difficultas extenditur etiam ad quoſcumque alios actus ſupernaturales, & quod de viſione reſolvetur, etiam de iſtis dicendum. Thomiſtæ omnes cum Cajet. Nazar. Joan. à S. Th. Salmantic. negativam partem defendunt, ita ut indiſpenſabiliter requiratur aut lumen, aut aliqua alia virtus ſupernaturalis intrinſeca recepta in intellectu, a qua elevetur, & in actu primo proximo conſtituatur. Scotiſtæ vero cum Scoto in 3. diſ. 14. q. 2. art. 2. negativam docent, quos ſequuntur communiter Recentiores, Cacher. Suarez, Vaſq. Salas, Averſa &c. cum quibus.

104. Dicendum . Lumen gloriæ non eſſe ita neceſſarium ad viſionem Dei, ut ſine ipſo, aut alia qualitate intrinſece recepta in intellectu nequeat videri Deus.

Probatur. Quidquid habetur a lumine gloriæ per reſpectum ad viſionem, haberi poteſt per auxilium Dei extrinſecum, aut per aliquod diſtinctum ab habitu, vel actu in intellectu receptum, ergo. Probat. ant. Quæ habentur à lumine ad ſummum tria ſunt; Unum diſponere intellectum, aliud intellectum elevare, tertium eſſe conprincipium productiuum viſionis, ſed hæc omnia haberi poſſunt per auxilium Dei extrinſecum, aut per aliquod &c. ergo. Dixi *ad ſummum*, ſiquidem lumen intellectum diſponere negatur à Scoto in 4. diſt. 49. quæſt. 11. Laurea, Vaſq. Amico, Ariaga, De Quiros, aliiſque; Sed quidquid de facto ſit, poteſt Deus introducere quamcumque formam in ſubiectum indiſpoſitum, unde data hujuſmodi neceſſitate de facto, attamen non eſt neceſſe, lumen gloriæ ſemper ſe habeat ad inſtar materialis diſpoſitionis, & quamvis hoc eſſet neceſſe, adhuc à Deo ſuppleri poteſt; Quare probatur prima pars minoris. Poteſt Deus ſupplere quod præſtaret cauſa materialis, ut conſtat in Sacramento Euchariſtico, ergo etiam poteſt ſupplere quod præſtaret diſpoſitio materialis, cum æquali modo utramque contineat, nec plus ſit materialiter diſponere, quam materialiter cauſare. Probatur ſecunda, intellectum elevari ad videndum Deum non exigit indiſpenſabiliter principium elevans intrinſecus recipi, ergo. Probatur ant. Sacramenta elevantur ad producendam gratiam nec tamen principium eorum elevativum intrinſece recipitur, etenim hoc eſt divina voluntas, & efficiens cauſa eſt ipſe Deus, ergo etiam &c. Neque obſtat, Sacramenta elevari tanquam inſtrumenta, intellectum vero ad viſionem tanquam cauſam principalem, etenim

nim intellectus non eſt hujuſmodi cauſa quia principium elevans in ipſo recipiatur, ſed quia virtus elevata, ideſt ejus vitalitas, eſt ipſi intrinſeca, quod non contingit in cauſa inſtrumentali, cum hæc indifferentur ſe habeat, & ſicut elevatur una res ad inſtrumentaliter operandum, ita poteſt elevari quæcumque alia. Probatur tertia pars, quia, dum ſermo eſt de cauſa efficiente, quidquid Deus facit per cauſam ſecundam, poteſt vel per ſe ipſum, vel per aliud facere, ut expreſſe docet S. Th. 1. par. q. 105. exceptis tamen actibus vitalibus, qui neceſſario poſtulant ſuum creatum principium, cum in ipſo debeant recipi, in quo non eſt imperfectio ex parte Dei, quia aliquem actum non poſſe eſſe à Deo, eſt imperfectio ipſius actus.

Quia tamen concluſio noſtra verſatur in potentia Dei abſoluta, cui concedendum eſt quidquid non repugnat, aptius demonſtrabitur ſolvendo argumenta, quibus hujuſmodi repugnantiam adverſarii demonſtrare contendunt.

105. Op. 1. Intellectus, ut videat Deum, non ſolum indiget lumine, tanquam principio effectivo, ſed etiam tanquam principio ipſum informante, ſed hoc à Deo ſuppleri non poteſt ergo. Probat. maj. lumen non ſolum concurrit ad viſionem, ſed etiam ita afficit intellectum, ut ipſum de ſtatu naturali elevet ad ſtatum ſupernaturalem, & quidem ut fiat intrinſece ſupernaturalis, ergo intellectus, ut videat Deum, non ſolum indiget lumine tanquam principio effectivo, ſed etiam &c. atque hoc conſonum eſt Dionyſio de divinis nominibus cap. 7. dicenti, *Nos divina quidem intelligere, ſed extra nos, & totos deificatos*, quod evenire non poteſt, niſi aliquid in nobis recipiatur, per quod tales efficiamur.

106. Reſp. indigentiam hanc intellectus non eſſe inſupplebilem, atque indiſpenſabilem, ſed de facto ita contingere, quia, cum lumen ſit accidens quodam, exigit inhærere alicui ſubſtantiæ, nam ſi lumen eſſet ſubſtantia, non eſſet forma in intellectu recepta, & tamen eſſet ſufficiens principium viſionis una ſimul cum intellectu, ut optime hic notat A verſa; qua propter diſtinguitur major. Quod ſi ita concurrit ad viſionem, ut elevet intellectum à ſtatu naturali ad ſtatum ſupernaturalem, hoc parum refert, cum ſi habeatur principium ſupernaturale, ſive ſit intrinſecum, ſive extrinſecum, habeatur quidquid ad viſionem requiritur, & vitalitas intellectus ſatis reddatur apta ad viſionem ſupernaturalem, neque enim neceſſe eſt, fiat talis intrinſece, ſed ſufficit, ſi ipſa ſit intrinſeca elevata poſtea ab extrinſeco, præſertim quod unita huic extrinſeco principio, conſtituit unum intrinſecum viſionis principium, quantum requiritur ad viſionis efficientiam, & quamvis intellectus, ſeu ejus vitalitas non mutetur intrinſece recipiendo aliquid in ſe, mutatur tamen propter unionem cum eo, quæ unio habetur per relationem realem fundatam in intellectu, & ad illud terminatam, tanquam ad aliam concauſam, in quo ſenſu quælibet cauſa partialis dicitur immutari, quando unitur alteri cauſæ ad producendum effectum. Juxta hanc doctrinam explico teſtimonium Dionyſii, nimirum nos intelligere extra nos, & totos deificatos, vel per aliquod intrinſecum, vel per aliquod extrinſecum, nec unquam probabitur oppoſitum, niſi afferendo id, quod eſt in quæſtione.

107. Dices. Intellectus nequit intelligere niſi per virtutem intelligendi intrinſecam, ergo non poteſt intelligere ſupernaturaliter, niſi per ſupernaturalitatem intrinſecam. Sed contra. Argumentum nimis probat, quia pari modo ſic fieri poſſet. Intellectus nequit intelligere niſi per virtutem intelligendi ſibi eſſentialem, & identicam, ergo non poteſt intelligere ſupernaturaliter, niſi

niſi per ſupernaturalitatem ſibi eſſentialem, & identicam; hoc eſt falſum, ergo & illud. Antecedens igitur eſt verum, ſed conſequentia falſa, quia dum de cauſis partialibus agimus, unaquæque debet habere virtutem ſibi intrinſecam modo ſibi conveniente, & quidem ab intrinſeco, ſaltem incomplete, & remote, ut in noſtro caſu. Demus itaque intellectui vitalitatem intellectivam intrinſecam, alteri vero principio, licet extrinſece unito intellectui, ſupernaturalitatem intrinſecam, & ita fiet ab utroque modo ſibi proprio produci viſionem vitalem ſupernaturalem, & ex alia parte virtus illa, quæ prius erat in intellectu remota, proxima fiet, non quidem ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, quod ſufficit, ut habeantur omnia prædicata, quæ in viſione beata reperiuntur, & quod dico de elevatione, dico de proportione tribuenda vitalitati per reſpectum ad viſionem. Virtus igitur elevata debet eſſe intrinſeca, & ab intrinſeco conveniens, virtus tamen elevans non debet eſſe intrinſeca, nec ab intrinſeco conveniens, quod poſtremum debent omnes fateri, ex quo novum argumentum contra adverſarios.

108. Inſtabis. Non ſufficit ſupernaturalitas ſolum ab extrinſeco, ergo debet aliquid intrinſece recipi in intellectu, quod ſit ſupernaturale aut ad inſtar habitus, & permanenter, aut adinſtar actus & tranſeunter. Probatur ant. Viſio eſt ſupernaturalis ab intrinſeco, ergo non ſufficit ſola ſupernaturalitas ab extrinſeco.

Sed contra; etiam hujuſmodi inſtantia nimis probat, nam pari ratione fieri poſſet hoc argumentum. Viſio eſt ſupernaturalis eſſentialiter, & identice, ergo debet aliquid intrinſece eſſe in intellectu, quod ſit ſupernaturale, & identicum eſſentialiter cum intellectu; neg. igitur antec. ad prob. conc. ant. diſ. conſ. ergo non ſufficit ſupernaturalitas ſolum ab extrinſeco in utroque principio viſionis conc. conſ. in intellectu neg. conſ. Non eſt neceſſe, omnia prædicata viſionis correſpondeant intellectui, ſed ſatis eſt, ſi omnia correſpondeant toti principio. Ita autem res ſe habet in caſu noſtro, viſio eſt vitalis & ſupernaturalis ab intrinſeco, & etiam complexum illud ex intellectu, & auxilio Dei ſupplente lumen gloriæ eſſet vitale, & ſupernaturale ab intrinſeco, licet intellectus non eſſet elevatus ab intrinſeco, proinde &c. Addo, quod, cum auxilium hoc ſupplens lumen gloriæ eſset lumen gloriæ æquivalenter, poſſet dici intellectus non formaliter, ſed æquivalenter ab intrinſeco elevatus, & ideo ab ipſo haberi poſſe effective, quidquid haberetur, ſi foret elevatus ab intrinſeco, & per lumen.

109. Op. 2. & ſimul eſt inſtantia præcedentibus. Ad actus ſupernaturales dari debet facultas intrinſece completa, ergo dari debet principium elevans, quod intrinſece recipiatur. Probat. antec. ad actus naturales dari debet facultas intrinſece completa, ergo etiam ad actus ſupernaturales. Confirmatur hoc, quia ſi facultas nihil intrinſece recipit, eadem manet, ſed idem non poteſt producere aliquid ſupra ſe, ſicuti eſt viſio intuitiua Dei, ergo.

Reſp. neg. ant. ad prob. tranſ. ant. quod eſt falſum de cauſis partialibus, ut conſtat, & quidem in re noſtra ita eſt dicendum, etenim ad viſionem concurrit intellectus & Deus, nec tamen Deus quantumvis uniatur intellectui, in intellectu recipitur, neg. conſ. ratio diſparitatis eſt, quia facultas naturalis, quantum ad ipſam pertinet, per reſpectum ad actus naturales eſt ſecundum ſe completa, & exigit ita eſſe, non ſic per reſpectum ad actus ſupernaturales, & ideo debet ipſi advenire conprincipium ſupernaturale quod nullo modo ab ipſa exigitur, quod inde adveniat tanquam aliquid intrinſece receptum, vel extrinſecum, hoc eſt prorſus liberum Deo.

Fa-

Fateor quidem, hoc eſſe diſcrimen inter cauſas partiales ad effectus naturales, & inter easdem ad effectus ſupernaturales, quod in primo caſu utraque cauſa debet eſſe partialiter proxima, in ſecundo vero una remota & alia proxima, ſed hoc tantum probat, ad effectus naturales utramque æquali modo concurrere, ita ut non detur major dignitas in una, quam in alia, ad effectus autem ſupernaturales una ſit excellentior alia, & ita in re noſtra principium ſupernaturale cum quo concurreret intellectus ab extrinſeco elevatus, eſſet principium dignius, quam ipſe intellectus, quemadmodum in ipſa viſione ſupernaturalitas dignor eſt vitalitate. Sed hoc mirum eſſe non debet, nam etiam in præſenti providentia lumen gloriç dignius eſt intellectu, ſicut etiam dictum fuit in libro de gratia per reſpectum ad actus ſupernaturales, quos cum ipſa producit voluntas.

Hinc ad argumenti confirmationem dico facultatem remanere eamdem ab intrinſeco abſolute, non relative ut dictum eſt num. 106. mutari tamen ab extrinſeco, quod ſufficit ex toties repetitis. Neque iniellectus concurrit, ut naturalis eſt, ſed ut vivens intellectivum, quod aſſero, ne inferant adverſarii, ergo viſio ſecundum quid eſt naturalis, ſecundum quid ſupernaturalis, præſertim quod etiam in hypotheſi, in qua lumen gloriæ eſſet neceſſarium in eorum ſenſu, adhuc intellectus in ſe ipſo non ſit ſupernaturalis, cum mutetur quidem ab intrinſeco, non tamen intrinſece, & in ſe ipſo, quod fieri non poteſt. Hæc, quæ dicta ſunt, omnibus arbitratu meo ſatisfaciunt, quæ ſimili modo opponi poſſunt. Addo tamen inſtantiam iſtam.

110. Hoc ipſum auxilium majus, quod præberet Deus, tanquam æquivalens lumini, deberet recipi in intellectu, ergo ſemper requiritur aliquid intrinſece receptum. Probatur; hoc ipſum auxilium æquivalens eſſet ſupernaturale in linea accidentis, cum repugnet in communi Theologorum ſententia ſubſtantia ſupernaturalis, ergo deberet recipi intrinſece, ſicut de facto recipitur lumen.

Verum dico, in primis ipſum Deum, ſeu divinam omnipotentiam poſſe ſupplere lumen gloriæ, in quo caſu non eſſet auxilium adinſtar accidentis. Secundo dico, accidens debere recipi in ſubiecto, loquendo juxta præſentem rerum ordinem, non juxta potentiam abſolutam, ut tradunt Philoſophi admittentes accidentia, quamobrem ſi Deus nollet lumen gloriæ recipi in intellectu, adhuc ab intellectu haberetur viſio; denominatur autem intellectus videns, non vero lumen, quia ad hujuſmodi denominationem, non ſufficit eſſe principium productivum ſed requiritur receptivum, recipitur autem ſemper in principio vitali, non ſupernaturali. Si autem dicatur, ad viſionem ſupernaturalem ſemper requiri lumen ſupernaturale ſicut ad viſionem corpoream requiritur lumen corporeum reſpondeo in primis, ita probari lumen ſupernaturale ſe tenere ex parte obiecti ut ſupernaturaliter videatur, ſicut lumen corporeum ſe tenet ex parte obiecti, ut à facultate corporea videatur; Secundo diſparitatem eſſe, quia ideo in viſione corporea lumen eſt neceſſarium, quia obiectum non eſt de ſe lucidum, quod non valet de Deo, qui ipſa lux eſt, & tandem, etiam loquendo de viſione corporea, lumen non eſt forma perficiens oculum, ſed tantum eſt medium, ant cauſa efficiens viſionis.

ARTICULUS XIII.

Unde ſit deſumenda inæqualitas viſionis.

111. SUpponendum eſt primo tanquam certum, aliquas viſiones in patria æqualitatem ſervare, ut communiſſime docent Theologi contra Paludanum, qui ſicut voluit per hominum animas reparari ſedes malorum Angelorum, ita docuit, eamdem gloriam illis concedi, quæ ipſis conceſſa fuiſſet, ipſis autem omnibus inæqualis conceſſa fuiſſet, quia omnes fuiſſent in propria ſpecie inæquales. Hæc doctrina falſa eſt in ſuppoſito, nam in ſententia mea Angeli non ſunt omnes in ſpecie diverſa, falſa in fundamento, ſiquidem gloria non debet correſpondere diverſa propter diverſitatem naturæ, ſed gratiæ, & meritorum.

112. Eadem ratione tanquam certum exiſtimandum eſt, aliquas viſiones in patria eſſe inæquales, quod manifeſte traditum habetur in divinis ſcripturis. Mat. 5. legitur. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines minimus vocabitur in regno cælorum, qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* 2. ad Corint. 15. *Stella differt à ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Quare Concilium Tridentinum ſeſ. 6. can. 32. anathema dicit illi, qui negat, hominem juſtificatum per opera bona augumentum gloriæ promereri, quod prius ſtatuerat Florentinum in lit. unionis, ubi legitur. *Beati intuentur clare ipſum Deum, pro meritorum tamen diverſitate unus alio perfectius videt.* Et quemadmodum in damnatis non quæcumque pœna æqualis eſt, unde dicitur Apocalyp. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date ille tormentum, & luctum*, ita in beatis non quæcumque gloria eſt æqualis. Ex quibus inferes, cauſam remotam, & moralem hujus inæqualitatis deſumendam eſſe ab inæqualitate meritorum, *reddet* enim *Deus unicuique ſecundum opera ſua* ad Rom. 2. *Unuſquiſque propriam mercedem recipiet ſecundum ſuum laborem* ad Corint. 5. *Qui parce ſeminat, parce & metet.* ad Corint. 9.

113. Fuit in hac re prius error Joviniani, deinde Lutheri, qui diverſis tamen principiis contenderunt, omnes beatos æqualiter Deum intueri, & eſſe beatos. Primus ſiquidem ſenſit, omnia merita in via æqualia eſſe, proinde etiam æqualem gloriam ipſis in patria fore rependendam, & bona opera conferre quidem ad continuandum, non vero ad augendum jus ad gloriam, ea ductus parabola Mat. 20. in qua eadem merces idemque denarius tribuitur tam illis, qui portaverunt onus diei, & æſtus, quam aliis, qui tantum ſero conducti, una tantum hora laboraverunt in vinea, quapropter & murmur excitatum eſt, quia pares effecti ſunt. Secundus vero idem opinatus eſt, quia nullum meritum, & nulla juſtitia per ipſum reperitur in hominibus, qui ſolummodo juſti ſunt extrinſece, nimirum per merita, & juſtitiam Chriſti ipſis imputata, quod quam falſum ſit, jam declaravi in libro de gratia, & quamvis etiam verum eſſet, quid prohibet, merita Chriſti uni imputari, non alteri?

114. Quod vero ſpectat ad illam parabolam, quæ Joviniano favere videtur, multifariam à Sanctis Patribus exponitur, quas omnes explicationes afferret placet, quamvis inſtituti noſtri ratio non poſtulat, nihilo tamen minus, quomodocumque explicetur, numquam Joviniani errori poteſt aptari. Explicant S. Chry. ho. 65. In Mat. & Naz. orat. 40. juſte noviſſimos primis in præmio comparari, quia etſi iſti longiori tempore laboraverint, attamen alii, quāvis una hora, operis intenſione, ſollicitudine, & diligentia laboraverunt ſicut illi, quare merito eandem mercedem receperūt, quod etiam evenire ſolet, aut debet apud nos.

Quod

Quod ſi murmur fuit in hac re, facile convinci potuiſſent, ſi dominus vineæ rationem reddidiſſet, non fuit autem neceſſarium reddere. Explicat Sanct. Auguſtin. ſerm. 59. de verbis Domini, eam parabolam veram eſſe juxta durationem mercedis, & præmii, quæ certe æqualis erit, addit vero, *ſed alio modo erit ibi caſtitas conjugalis*, *alio modo integritas virginalis*, *alio modo fructus boni operis*, *alio corona paſſionis*. Explicant S. Thom. 1. 2. quæſt. 5. art. 2. Scot. in 4. diſ. 49. quæſt. 3. art. 2. & cum ipſis communiter Theologi, pro mercede ac denario intelligi unam, & eamdem eſſentiam Dei, ſeu Deum, tanquam beatitudinis obiectum; & hoc quidem omnibus æquale eſſe, nemo Catholicus inficiatur, at inæqualitas viſionis non contingit ex diverſitate obiecti, ſed modi, quo obiectum percipitur; neque vero in parabolis neceſſe eſt, omnia conſiderentur. Quod ſi murmur factum eſt in operariis, quid mirum? Fieri etiam potuiſſet, ſi idem, quantum ad obiectum pertinet, conceſſum eſſet minus, & plus laborantibus. Tandem explicari poteſt, non eſſe intelligendam de præmio æternæ vitæ, ſed de gratiæ collatione, quæ confertur juxta divinum beneplacitum, & per quam fiunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi, atque hoc videtur ſatis conſentaneum, cum in hoc finem accipiat parabola; & hoc pacto, qui in hac vita videbantur primi, in alia ſint noviſſimi, quia in divina ſcientia reprobi, e contra qui videbantur noviſſimi, ſint primi, quia electi, quod quidem evenit in Judæis, ac gentilibus, juxta id, quod legitur Luc. 18. & 23. nimirum, Judæos expelli foras, venientes autem ab Oriente, Occidente, Aquilone, & Auſtro accumbere in regno Dei; inde concluditur, *Ecce ſunt noviſſimi primi*, *& primi noviſſimi*. En igitur quot modis explicetur parabola, quin Joviniani dementiæ ſuffragetur.

115. Verum ad rem noſtram redeamus, & reſolvendum ſuſcipimus, à quo, tanquam à cauſa proxima, & phyſica, inæqualitas proxima, & formalis viſionis repetenda ſit. Utrum nimirum a ſola luminis inæqualitate, an vero etiam ab intellectu agente cum lumine. Quæſtio hæc promovetur in ſuppoſitione, in qua dentur intellectus inæquales humani in perfectione individua, quod à me in quæſtionibus de anima negatum fuit, vel in perfectione ſpecifica, ut contingit inter intellectum humanum, & Angelicum, & quidem procedit de inæqualilate viſionis intenſiva ſeu in majore claritate, & penetratione obiecti, non extenſiva, ſeu quantum ad obiectum, quod videtur, etenim dictum fuit, ab omnibus beatis totum Deum videri. Nihil autem dicam de eo, quod contingere poſset, ſed tantum de eo, quod revera contingit.

116. Docent Thomiſtæ omnes, uno vel altero dempto, ex ſolo lumine gloriæ magis, vel minus intenſo oriri inæqualem viſionem, ideo, quamvis unus intellectus eſset perfectior alio, nihilominus, ſi foret æquale lumen conceſſum, utriuſque viſio foret æqualis, & cum Thomiſtis ſentiunt omnes ferme Neoterici, Cach. Suerez, Vaſq. Averſa, Amicus &c. In eamdem ſententiam, loquendo de facto, ſicut nos loquimur, devenerunt Scotiſtæ ſatis celebres Tataret. Aretin. Vulpes, quamvis de poſſibili aliter ſentiendum eſset, ut docet Scot. in 3. diſ. 13. quæſt. 3. & in 4. diſ. 50. quæſt. 6. quod & tradiderunt alii ex Neoteric. ut Molin. 1. p. quæſt. 12. artic. 6. diſp. 2. Ovied. controv. 4. puncto 2. Oppoſitum vero defendunt alii Scotiſtæ non ſolum de poſſibili, ſed etiam de facto, ut Maſtr. quæſt. 7. de viſ. art. 1. Fab. in 3. diſ. 32. cap. 2. Pont. Hiquæus, Luſitan. Ego vero quid ſtabiliam? Scotiſtæ diviſi ſunt, horum plures cum Thomiſtis, aliiſque ſentiunt. Ut Scotiſtas non deſeram,

ut ſimul Thomiſtis adhereąm, aliiſque.

117. Concluſio eſt. Cauſam proximam inæqualitatis viſionis non eſse repetendam ab inæqualitate intellectus, ſed luminis.

Probatur 1. Quamvis dentur duo intellectus inæquales in perfectione naturali, attamen per reſpectum ad viſionem cum æquali lumine ſunt æquales, ergo inæqualitas viſionis ab intellectuum inæqualitate oriri non poteſt. nec enim ab æquali oriri poteſt inæquale. Probatur antec. intellectus inſpecti juxta perfectionem naturalem nullum habent influxum ad viſionem, niſi remotum, & mediatum, quatenus illa perfectio elevabilis eſt, influunt vero proxime, & immediate, prout ſunt elevati, atqui cum æquali lumine ſunt æqualiter elevati, ergo quamvis dentur &c. Maj. patet, aliter aliquod naturale juxta propriam, innatamque virtutem attingeret aliquod ſupernaturale, quod ab omnibus Theologis tanquam falſum reijcitur, & in viſione ſupernaturali reperiretur ſupernaturale, & naturale, proinde non eſſet indiviſim ſupernaturalis. Minor etiam conſtat, quia cum lumen ſit principium elevans, ſi lumen eſt æquale, etiam intellectus debent eſſe æqualiter elevati. Ratio autem fundamentalis eſt, quia, dum intellectus ſit cauſa viſionis, ſit per ſuam potentiam obedientialem, quilibet autem intellectus, quantumvis in perfectione naturali excellentior, æqualis eſt in obedientiali potentia, cum quælibet creatura elevabilis æqualiter ſubdatur Deo, ut agenti ſupernaturali, & illa, cum conſiſtat in non repugnantia ad actum ſupernaturalem; utpote in negativo, indiviſibilis ſit. Quod ſi major perfectio naturalis remota inferret majorem elevabilitatem, ſequeretur, intellectum naturaliter imperfectiorem, etiam cum inæquali, & perfectiore lumine Deum perfectius non videre, quia à tali lumine elevari non poteſt, utpote incapax majoris elevabilitatis.

118. Hinc mihi non dices; virtus remota eſt elevabilis, ergo major virtus remota eſt magis elevabilis, ergo datur etiam diverſitas in potentia obedientiali; nam nego dari poſſe majorem virtutem remotam. Si enim vis intelligere per majorem virtutem remotam, majorem vim naturalem, hæc major eſt obiectis naturalibus comparata, non obiecto ſupernaturali, ſicut eſt Deus. Illa autem impertinenter, & de materiali ſe habet, ſi de viſione Dei ſermo contingat; neque elevabilitas habetur ex majore vitalitate, ſed præciſe ex vitalitate.

119. Sed etiamſi concederemus; intellectum perfectiorem habere majorem virtutem, nihilominus negaretur ab hujus inæqualitate deſumendam eſſe majorem viſionem, etenim major iſta perfectio, & virtus eſſet adinſtar cauſæ univerſalis, quia indifferens ad producendam hanc, vel illam, intenſiorem, & intenſiorem viſionem, quamobrem ſicut cauſa univerſalis à cauſis particularibus limitatur, & determinatur ad particulares effectus, ita intellectus determinabitur à lumine gloriæ ad talem viſionem, proinde inæqualitas viſionis à luminis inæqualitate progredietur.

120. Quod tamen magis me movet ad aſſertum meum præferendum, illud eſt, quod ſuperius dictum fuit, ideſt, inæqualem gloriam proficiſci tanquam a radice, ex meritorum inæqualitate; Si enim ab intellectus inæqualitate proflueret inæqualis viſio, qui haberet æquale meritum cum intellectu imperfectiore, gloria inæquali frueretur, & ita falſum eſſet, gloriam eſſe militiæ noſtræ coronam, laborumque mercedem contra Scripturas & Patres, ſed ſimul eſſet præmium doni naturalis, ſicut a Deo, ut auctore naturali, perfectior intellectus deſcendit. Ne vero Patres prorſus prætaeream; accipe Sanctum Polycarpum judicem ſupplicia intentantem ſic alloquentem. *Merita mea doloris æſtimatione penſabo. Quanto gra-*

graviora pertulero, tanto præmia majora percipiam. S. Iren. lib.4. adverſus hæreſ. cap. 12. *Plus Deum diligamus, quanto enim plus eum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus*. S. Cyprian. lib. de habitu Virginum in fine. *Cum habitationes multas apud Patrem ſuum dicat, melioris habitaculi hoſpitia demonſtrat, habitacula iſta meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrantes majoris gratiæ præmium in cæleſtibus obtinetis*. Idem tradunt Ambroſ. in pſ. 38. Hilar. in pſ. 64. Auguſt. tract. 67. in Joan. &c.

121. Superiori argumento, quod ſatis Scotiſtas adverſantes premit, multifariam reſpondere contendunt; & primo dicunt, cum pari meritorum menſura extituram æqualem viſionem, quamvis intellectus eſſet perfectior, vel quia tantum luminis non dabitur intellectui perfectiori, vel quia intellectus perfectior cum æquali lumine toto ſuo conatu non aget, vel quia intellectus imperfectior majori Dei auxilio extrinſeco roborabitur. Secundo dicunt, viſionem non tantum eſſe mercedem & meritorum coronam, ſed etiam beneficium Dei nobis collatum ex meritis ipſius Chriſti, ut de facto contingit in parvulis, quare aſſerunt majorem intellectus perfectionem nobis conferri ex meritis Chriſti, non quidem ut in ſe ipſa ſpectatam, ſed ut ordinatam a Deo ad ipſum videndum, in quo ſenſu non amplius conſideratur natura, ſed gratia. Hæc ultima reſponſio eſt magis accepta, & communis apud recentiores Scotiſtas, & ea utitur Maſtrius diſp.6. q.7. art.1. per quam nititur vitare cenſuram a Suarez ipſis impoſitam, tanquam ſi vellent aliquid viribus naturæ concedere, ut erat error Beguardorum, Begvinarum, nec non Pelegianorum.

122. Nulla tamen ex hiſce reſponſionibus ſatisfacit; non prima, nam quod momentum habet, non tantum luminis dandum eſſe perfectiori intellectui, aut majus lumen dandum eſſe imperfectiori, ſi æquale fuerit meritum utriuſque? Ipſum lumen, ut eſt viſionis principium, eſt præmium meritorum, ſicuti præmium eſt ipſa viſio, nam ſicuti major charitatis habitus eſt meritorum præmium, nemo enim negat, charitatem ex meritis augeri, ita etiam intenſius lumen, ergo ſi merita inæqualia ſunt, etiam inæquale lumen erit, intellectui igitur perfectiori, habenti æqualia merita, æqualitas luminis concedetur, & tamen in ſententia oppoſita magis Deum videbit, non erit itaque viſio juxta meritorum menſuram. Non ſatisfacit Secunda. Quare enim intellectus non aget, quantum poteſt? an cohibebit ſe ipſum per ſemetipſum? Sed hoc non, cum ſit facultas neceſſaria, an quia Deus concurſum ſuum denegabit? Sed ita fiet perenne miraculum. Non tandem tertia, quia pro eo dicendo nulla ratio poteſt afferri, niſi afferendo id, quod eſt in quæſtione, & aliunde ratio probat oppoſitum, etenim vel iſte concurſus validior eſset ex meritis, vel gratis, non ex meritis, quia ſupponuntur æqualia, non gratis, aliter viſio non correſponderet meritis, ſed formaliter dono gratuito.

123. Quod ſecundo loco dicebatur, admitti non poſse videtur, nam parvulis concedi gloriam, tanquam beneficium ex meritis ſolius Chriſti per baptiſmum ipſis applicatis, eſt verum, ſed dico, parvulos æqualiter videre, concedi vero etiam adultis aliquo modo ut mercedem, aliquo modo ut beneficium gratuitum, omnibus ſcripturis, & Patribus contrarium eſt. Rurſus, novum cenſeri debet, perfectiorem intellectum concedi a Deo ex meritis Chriſti, cum in hac re operetur Deus, non ut author gratiæ, ſed naturæ; nec ſufficit, ita reſpici naturam, ut ordinatam a Deo ad ipſum videndum, proinde non ſpectari naturam, ſed gratiam, nam natura ſemper eſt ordinata ad Deum videndum juxta

juxta meritorum dignitatem, quare, vel perfectior intellectus cum hujuſmodi ordine habebit majora merita, vel æqualia, ſi primum, magis videbit, ſed majus dabitur lumen, ſi ſecundum, æquale dabitur lumen, & videbit æqualiter. Qua de re hæc poſtrema reſponſio a Joan. a S. Th. 1.p. q.12. diſp.15. art.6. num.16., & a Suarez hic cap.21. num.5. parum tuta, & principiis fidei parum conformis appellatur.

124. Op. tamen 1. Oculus corporeus perfectior cum æquali lumine corporeo magis videt objectum ſuum, quam alius oculus imperfectior, ergo etiam intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ magis videbit Deum, quam intellectus imperfectior. Rurſus. Intellectus perfectior cum æquali ſpecie magis percipit rem, quam intellectus imperfectior, ergo a pari. Horum autem ratio eſt, quia quo perfectior eſt una ex cauſis partialibus, eo perfectior eſt effectus, ſed intellectus eſt una ex cauſis partialibus viſionis, ergo quo perfectior eſt intellectus, perfectior erit & viſio; & profecto, quia lumen eſt hujuſmodi cauſa, ex perfectiori lumine perfectior viſio conſequitur, ergo a pari, quia intellectus hujuſmodi eſt, etiam ex perfectiori intellectu perfectior viſio progredietur.

Confirmatur. Ita potentia naturalis una ſimul cum auxilio ſupernaturali concurrit ad actus ſupernaturales, ſicuti cum auxilio naturali ad naturales, ſed ſi perfectior eſt, cum æquali auxilio naturali perfectius operatur in ordine naturali, ergo ſi perfectior eſt, cum æquali auxilio ſupernaturali perfectius operabitur in ordine ſupernaturali.

125. Reſpon. concedendo antec. utriuſque paritatis, conſequentia tamen eſt falſa, nam in primo caſu facultates comparantur effectibus naturalibus, reſpectu quorum majorem, vel minorem habere poſſunt virtutem naturalem per quam agunt, at in ſecundo comparantur effectui ſupernaturali, reſpectu cujus non habent niſi potentiam obedientialem, ſeu elevabilitatem, quæ in omnibus æqualis eſt, unde magis, & intenſius agunt, ſi magis, & intenſius eleventur. Hinc ad rationem. quæ valet, quando cauſa partialis habet ex ſe virtutem proximam ad effectum, non quando debet fieri proxima per aliam cauſam partialem, tunc enim agit juxta virtutem illam, per quam fit proxima. Ad aliam paritatem; antecedens ſequitur, quia lumen eſt cauſa partialis viſionis, & ſimul elevans Intellectum, ideo, cum ex majori lumine oriatur major elevatio, oritur etiam perfectior viſio.

Ad Confir. ne. maj. facultas enim naturalis cum auxilio ſupernaturali concurrit ad actus ſupernaturales, ut ab illo etiam elevetur, & virtus ejus fiat proxima, non ſic cum auxilio naturali ad actus naturales.

126. Op. 2. Perfectior intellectus cum æquali lumine, ſeu habitu, fidei perfectius penetrat noſtræ fidei myſteria, ut patet in ruſtico, & Theologo, ergo etiam perfectior intellectus cum æquali lumine gloriæ perfectius penetrat Deum, etenim pari modo agitur de re ſupernaturali in via in primo caſu, & de re ſupernaturali in patria in ſecundo. Idem etiam conſtat de lumine prophetico, quod in duobus æquale inæqualiter tamen ſe habet in prædicendis futuris, ſi inæquali intellectui concedatur.

Præterea. Non ſolum perfectior cauſa cum æquali inſtrumento perfectius operatur, ſed etiam æqualis cauſa cum perfectiori inſtrumento, ut experientia compertum eſt, ergo ſive dicamus, lumen eſſe inſtrumentum intellectus, ſive intellectum eſſe inſtrumentum luminis, ſemper perfectior intellectus cum æquali lumine perfectius operabitur.

Tandem. Intellectus noſter poteſt magis,

magis, vel minus uti habitu fidei, & voluntas habitu charitatis, ergo non eſt ſumenda perfectio major, vel minor, vel æqualitas actus ab habitu, ſed a facultate illo utente, proinde non a lumine gloriæ, ſed a perfectiori, vel imperfectiori intellectu, qui magis, vel minus eodem utitur lumine.

127. Reſp. circa myſteria noſtræ fidei duo eſſe diſtinguenda. Unum ſpectat ad fidei præambula, ut eſt aprehenſio, & notitia terminorum, tum etiam diſcurſus circa evidentiam credibilitatis eorumdem. Alterum vero ad formalem aſſenſum in divinæ authoritatis obſequium. Si de primo loquamur, antecedens propoſitum eſt verum, ſi de ſecundo falſum, ſed dicimus, quod, ſi in utroque æqualis ſit habitus fidei, & æqualia ſint dona ſupernaturalia tranſeuntia, æqualis etiam erit aſſenſus, & plerumque minus credit Theologus, quam rusticus, quia licet ſit potior in primo ſenſu, deterior eſt in ſecundo. In eo, quod attinet ad lumen propheticum idem ſentimus, & intellectus perfectior inæqualiter tantum ſe habebit, ad ſummum in rerum expoſitione, nequaquam in penetratione; Illa autem naturalis eſſe poteſt; dixi ad ſummum, nam plurium ſententia eſt, etiam minimos apices, & omnia verba ſpiritu ſancto inſpirante fuiſſe conſcripta.

Ad 2. conc. ant. ne. conſ. etenim dum agimus de inſtrumento per reſpectum ad opus, & de cauſa agente per inſtrumentum, in eodem effectu ſunt duo ſpecie diverſa; eſt nimirum ſciſſio, & modus artificioſus, Quare poteſt effectus perfici ex ea parte, qua ſciſſio eſt, licet non perficiatur ex ea, qua modus artificioſus eſt, & ideo cum aptiori inſtrumento æqualis ars perfectiorem effectum aſſequitur.

128. Dices. Si ſciſſio correſpondet inſtrumento, etiam vitalitas viſionis correſpondet intellectui, ſed æquale movens inſtrumentum magis ſcindit cum perfectiori inſtrumento, ergo æquale elevans intellectum cum perfectiori intellectu magis aget, & ideo æquale lumen &c.

Sed contra; diverſimode ſciſſio correſpondet inſtrumento moto, ac vitalitas viſionis correſpondeat intellectui elevato; nam illa correſpondet inſtrumento & ſecundum motum, & ſecundum perfectionem naturalem inſtrumenti, vitalitas antem non correſpondet intellectui ſecundum perfectionem ipſius naturalem, ſed ſolum obedientialem, quæ tantum agit juxta modum elevationis, proinde &c. Falſum tamen eſt, vel intellectum eſſe inſtrumentum luminis, vel lumen eſſe inſtrumentum intellectus.

129. Ad 3. in primis concedi poteſt ant. negari conſ. quia habitus in via noſtræ proxime ſubduntur libertati, non ita habitus in patria, nec poteſt intellectus magis, vel minus pro libito ſuo videre Deum, ſed neceſſario debet juxta luminis exigentiam, & elevationem; poteſt deinde etiam negari, nam in via utimur habitibus infuſis juxta motionem actualem gratiæ, quæ cum poſſit eſſe intenſior, vel remiſſior, ſit cum eodem habitu modo haberi perfectiorem actum, modo tenujorem; Hoc non contingit in patria.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Scientia Dei.

ARTICULUS I.

An, & quomodo detur Scientia in Deo.

1. SI quod primo quæritur, perpendatur, reprehendendus videtur qui inquirit, ita ut in dubium revocare, an in Deo detur Scientia, potius ridiculum, quam Theologicum debeat exiſtimari. Ita ſane res eſt, ſi vel ſcripturas, vel ipſam rationem, Deique dignitatem conſideremus. Si primas perpendamus, legitur Eſther 14. *Domine, qui habes omnium ſcientiam*. Eccleſiaſt. 42. *Cognovit dominus omnem ſcientiam*. Pſ. 138. *Mirabilis facta eſt Scientia tua ex me*. ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & Scientiæ Dei*. ad Coloſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*.

2. Neque eſt, cur iſtas, ſimileſve authoritates, aut in ſenſu tantummodo effectivo, vel metaphorico intelligamus; non in effectivo, nam in primis, quo pacto Deus eſſe poſſet in aliis ſcientiæ cauſa, niſi in ſe ipſo Scientiam haberet? an poteſt ignis ignem efficere, niſi in ſe ignis ſit? an poteſt quis doctrinam edocere niſi in ſe ipſo ſit doctus? deinde eſſe ſcientiæ cauſam eſt in aliis ſcientiam efficere, non autem in ſe habere, ſcripturæ autem hoc ſecundum apertiſſime innuunt, ut conſtat eorum verba conſideranti; Non in metaphorico, nam quod tali pacto alicui convenit, de eo dicitur tantum in ſenſu limitato, & reſtricto, ut v. g. dolor, & pænitentia, ſcientiam autem non ita affirmari de Deo ex iiſdem ſcripturis manifeſte colligitur.

3. Si vero rationem perquiramus, Deique dignitatem conſideremus, hoc unum ſufficeret perpendere, Deum nimirum eſſe illud ens ſummum, & perfectiſſimum, cui nulla poteſt deeſſe perfectio, proinde neque ſcientia, quam perfectionem eſſe refragabitur nemo, niſi velit perfectionis nomen ignorantiæ tribuere. Noverunt hoc etiam veteres Philoſophi, præſertim Ariſt., qui 12. Metaph. cap. 9. inquiit. *Si ſemper non eſt in actu intelligendi, quidnam erit præcellens, erit enim ut dormiens*. Verum, ne in hac re locus ambigendi relinquatur, unum ex his dicendum erit, aut Deum non eſſe malorum vindicem, bonorumque remuneratorem, mundum non condidiſſe, nec omnia aptiſſima diſpoſitione gubernare, aut Deum omni ſcientia præditum eſſe. Ita loquimur ea momenta prætereundo, quæ Doctores Theologi in hac veritate oſtendenda producunt. Præcipue eſt illud, quod affert S. Th. hic quæſt. 14. art. 1., & deſumitur ex ſumma Dei immaterialitate. Sic autem ait Sanctus Doctor. *Conſiderandum eſt, quod cognoſcentia a non cognoſcentibus in hoc diſtinguuntur, quia non cognoſcentia nihil habent, niſi formam ſuam, ſed cognoſcens natum eſt habere formam etiam rei alterius, nam ſpecies cogniti eſt in cognoſcente. Unde manifeſtum eſt, quod natura rei non cognoſcentis eſt magis coarctata, & limitata, natura autem rerum cognoſcentium habet majorem amplitudinem, propter quod dicit Phi-*

Digitized by Google

Philoſoph.3. de anima, quod anima eſt quodammodo omnia &c. Patet igitur, quod immaterialitas alicujus rei eſt ratio, quod ſit cognoſcitiva, & ſecundum modum immaterialitatis eſt modus cognitionis, Unde in 2. de anima dicitur, quod plantæ non cognoſcunt propter ſuam materialitatem &c. Unde cum Deus ſit in ſummo immaterialitatis, ſequitur, quod ſit in ſummo cognitionis. Hanc rationem efficaciſſimam eſſe contendunt omnes Thomiſtæ, oppoſitum tamen docent plures Recentiores, inter quos Pater Cacheran. lib. 3. §. V. Mihi vero, ne in re, quæ certiſſima eſt apud omnes, tempus proteram, nihil placet inquirere & ſtabilire.

4. Quemadmodum vero omnes perfectiones, quæ reperiuntur in creatura, ſunt in Deo ab omni perfectione deſecatæ, ita ſcientia, quæ dicitur de creatura, ſine imperfectione affirmatur de Deo, tanquam perfectio ſimpliciter ſimplex, & ideo non eminenter ſolum, ſed vere formaliter, & in ſenſu proprio. Quod enim ſcientia dicatur proceſſus a noto ad ignotum, quo pacto certe Deo convenire non poteſt, hoc non convenit ipſi juxta ſuum conceptum neceſſarium, ſed ſolummodo prout eſt in creatura, in qua prius ſupponitur alicujus rei ignoratio. Eſt igitur ſcientia, ut ſcientia eſt, cognitio rei per cauſam, atqui Deus cognoſcit rem per cauſam, ergo in Deo eſt ſcientia formaliter, & ſtricte dicta; prob. min. Deus cognoſcendo eſſentiam ſuam, cognoſcit illam tanquam radicem & cauſam metaphyſicam ſuorum attributorum, & cognoſcendo quaſcumque cauſas creatas uno ſimplici intuitu, non ſolum cognoſcit effectus quoſcumque, ſed unamquamque cauſam eſſe cauſam talis effectus, ergo cognoſcit rem per cauſam, non quidem diſcurſu formali, in quo notitia concluſionum oritur ex notitia primorum principiorum, ſed diſcurſu virtuali, quatenus Deus una ſimplici cognitione non ſolum videt principia & concluſiones, ſed in principiis ipſis intuetur concluſiones, tanquam effectus in ſua cauſa, & ideo eadem divina notitia, prout terminata ad principia, eſt lumen primorum principiorum, prout terminata ad concluſiones eſt lumen ſcientificum.

5. Neque vero cenſendum eſt, ſcientiam in Deo adinſtar habitus eſſe, ſicut contingit in nobis, ſpectat enim ad notionem habitus ita potentiam perficere, ut vel ipſi tribuat facilitatem ad operandum, vel abſolutam poteſtatem, illud habetur per habitus acquiſitos, iſtud per infuſos, & ſupernaturales, nihil autem horum tribui poteſt intellectui divino, cum ſit infinitus, cui nihil addi poteſt, ergo. Rurſus. Habitus vel potentiam complet, vel potentiam elevat, utrumque repugnat intellectui divino. Eſt itaque ſcientia Dei ipſa ſubſtantia Dei, ut probat hic S. Th. quæſt.14. art.4.

ARTICULUS II.

Quodnam ſit obiectum motivum divinæ ſcientiæ.

6. Cum probatum ſit, dari ſcientiam in Deo, Deum ſe ipſum cognoſcere procul dubio tenendum eſt; immo cognitione adeo perfecta, ut ſit ſui ipſius comprehenſiva; neque contra hanc veritatem aliquid promoveri poteſt, quod nugatorium non ſit, aut ex intellectus noſtri, humanis divina metientis, imbecillitate non proficiſcatur. Quæritur ergo, quodnam ſit obiectum primarium & motivum illius ſcientiæ. Non ſolum eſſe divinam eſſentiam, ſed etiam omnia divina prædicata, ſive abſoluta, ſive relativa, fuit ſententia Gonzalez, Dequiros, Ruitz, quos ſequitur Cacheranus. Oppoſitum docuerunt S.Th. hic & 1. contra Gen.cap. 48. Scot. in 1. diſ. 1. q. 2. & cum iſtis præ-

præter ſuos, Suarez, Vaſq., Puteobonel. ita ut ſola divina eſſentia ſit obiectum primarium & motivum divinæ ſcientiæ, & intellectionis.

7. Hanc poſteriorem ſententiam, quam amplector, probant Salmantic. ex doctrina S. Th. quia obiectum primarium divinæ intellectionis debet eſſe idem cum divina intellectione, ita ut neque interſit virtualis diſtinctio; cujus ratio eſt, quia, ſicuti ad intellectionem requiritur unio iſtius cum obiecto, ita ad intellectionem perfectiſſimam, qualis eſt divina, requiritur unio perfectiſſima, proinde per ſtrictiſſimam identitatem.

8. Quamvis juxta Thomiſtarum principia admittentium, eſſentiam Dei metaphyſicam in actuali intellectione conſiſtere, hujuſmodi argumentatio vim poſſit habere, in meo tamen ſiſtemate non poteſt admitti. Præterea, nullam eſſe debere diſtinctionem inter intellectionem & obiectum intellectum, ferme imperceptibile mihi videtur, & ad intellectionem perfectiſſimam requiritur quidem perfectiſſima unio cum re intellecta, ſed eo modo, quo dari poteſt, nimirum in ſenſu reali, non formali, aut ſaltem virtuali. Aliter igitur.

9. Prob. aſſertio propoſita. Illud eſt obiectum primarium, & motivum divinæ intellectionis, quod per ſe primo, & notione ſua attingitur ab intellectu divino, ſed eſſentia ſola, non attributa, & relationes, per ſe primo, & notione ſua attingitur ab intellectu divino, ergo. prob. min. ſola divina eſſentia, non attributa, & relationes, eſt primum intelligibile, & verum ratione ſui, ergo. prob. ant. ſola divina eſſentia, non attributa, & relationes, eſt primum ens rationi ſui, ergo. ant. oſtenditur, quia attributa, & relationes non intelliguntur, nec ſunt, niſi prout dimanant, ac profluunt ab eſſentia divina, tanquam a radice proinde &c. Hinc quemadmodum, quod primo intelligitur in homine, eſt conceptus eſſentiæ, non proprietatum, ita quod primo, & propter ſe intelligitur in Deo, eſt conceptus divinæ eſſentiæ, non ſic attributorum, & relationum.

10. Strictius ſic. Ita res ſe habet, quantum pertinet ad cognoſcibilitatem, ſicut ſe habet, quantum ſpectat ad eſſe, ſed attributa non ſunt per ſe primario in Deo, ergo neque cognoſcuntur per ſe, & primario a Deo. Ex hac ratione progreditur alia, quam ſolent ſententiæ noſtræ propugnatores promovere, ideſt, intellectionem divinam eſſe debere in primo, & ſummo gradu immaterialitatis, & actus puri, hoc autem non debet concedi attributis, & relationibus ratione propria, ſed propter divinam eſsentiam, quæ cum conſiſtat in conceptu entis a ſe, & in omni prorſus independentia in quocumque genere cauſæ, talem obtinet dignitatem, ut ipſa ſit omnino immaterialis & pura, nec non radix ſit immaterialitatis in omnibus, quæ ſunt in Deo. Hiſce poſitis facile reſponſum dabitur omnibus, quæ in oppoſitum afferri poſsunt; attamen afferantur.

11. Op. 1. Scientia, quæ eſt ſumme perfecta, debet habere pro obiecto primario, & motivo aliquid ſumme perfectum, obiectum enim motivum illud eſt, quod dat ſpeciem actui, atqui talis eſt eſsentia divina una ſimul cum attributis, & relationibus, ergo illa cum iſtis erit obiectum motivum ſcientiæ divinæ.

Tranſmiſsa indiſtincta propoſitione diſtinguenda eſt aſsumptio, ita ut attributa, & relationes non ſint primum intelligibile, nec ratione propria, conceditur, è contrario negatur, & recurrit probatio.

12. Op. 2. Attributa, & relationes habent quidquid requiritur; ut divina cognitio ſpeciem ſuam ab ipſis recipiat, ſunt ergo obiectum primarium, & mo-

& motivum ; prob. ant. Attributa, & relationes habent eandem immaterialitatem, quam habet eſsentia divina, & ſunt actus purus, ſicut iſta; ergo.

Reſp. eodem modo negando antec. ad prob. concedo attributis, & relationibus eandem immaterialitatem, ſed quodammodo ſecundariam, & profluentem ab eſsentia divina, non autem de primario &c.

13. Neque inſtantiæ, quæ contra hoc congeruntur a doctoribus noſtram ſententiam defendentibus, aliquid probant. ex. gr. immaterialitatem attributorum eſse diverſam ab illa eſsentiæ, hujus nimirum tanquam radicis, illorum, ut radicati; eſsentiam divinam abſorbere quidem in ſenſu reali omnem immaterialitatem, non tamen in ſenſu formali, cum unumquodque attributum in ſua linea perfectiſſimum ſit; etenim hæc omnia nos ultro concedimus, & quamvis diverſis reſponſionibus occurrant alii, nos tamen probationis noſtræ vim ſuſtinendo, dicimus, eſse quid divinum, & habere diverſam immaterialitatem formalem, omnemque perfectionem, ſed de ſecundario, & ſibi convenientem, proinde ſemper emanantem ab immaterialitate, & perfectione eſsentiæ.

14. Quod ſi urgeas; ergo attributa, & relationes ſunt tantum obiectum ſecundarium divinæ cognitionis; dico; ſi nomine obiecti primarii intelligatur obiectum *quod*, etiam attributa, & relationes eſse obiectum primarium, quia revera fieri non poteſt, intellectionem divinam, utpote comprehenſivam attingere poſse eſsentiam, quin attingat omnia, quæ ſunt in Deo, in quo ſenſu probaretur, etiam creaturas, quæ continentur in Deo, eſse obiectum primarium divinæ intellectionis; Si autem pro obiecto primario intelligatur obiectum motivum, & *quo*, ſicuti in præſenti quæſtione uſurpatur, admitto illatum, ut admittunt Salmantic. & Laurentius a Sancta Thereſia.

15. Sed iterum dices; Intellectio divina eſt eſsentialiter comprehenſiva, ergo ejus obiectum motivum debet eſse ſufficiens comprehenſioni, ſed hoc pacto nequit eſse ſola eſsentia, ergo. prob. mi. Si ejus obiectum motivum debet eſſe ſufficiens comprehenſioni, debet eſſe omne divinum, ergo.

Contra. argumentum nimis probat, nam ad habendam cognitionem comprehenſivam non ſolum requiritur attingi omne divinum, ſed etiam cognoſci omne creatum, & creabile contentum in divino, ergo etiam omne creatum, & creabile erunt obiectum motivum divinæ intellectionis, quod non admittunt doctores contrarii: nego itaque min. ad prob. ne. ant. ut enim cognitio ſit comprehenſiva, ſatis eſt, ſi omne divinum, & etiam creatum & creabile ſint obiectum quod & terminativum, non requiritur vero, eſse etiam obiectum motivum, ſed ſufficit, ſi eſsentia divina omnia, & omni modo repræſentet, hoc autem habetur, quia ſicut eſsentia omnia, & omni modo tanquam in radice continet, ita omnia, & omni modo repræſentat.

ARTICULUS III.

An Deus cognoſcat poſſibilia immediate in ſe ipſis, rurſus impoſſibilia, & mala.

16. Deum cognoſcere poſſibilia in ſe ipſo ſecundum illud eſse, quo continentur in divina omnipotentia, quodve a Theologis appellatur eminentiale, in controverſiam revocari non poteſt, niſi negemus, Deum ſe ipſum, ſuamque omnipotentiam comprehendere. Quæſtio eſt de cognitione poſſibilium ſecundum illud eſse, quod habent in ſe ipſis, quodve poſſibilibus con-

concedendum eſse, ſatis in mea metaphyſica demonſtravi.

Dicendum. Deum cognoſcere immediate poſſibilia in ſe ipſis.

17. Prob. 1. Deus ſuam omnipotentiam comprehenſive cognoſcit, ergo immediate debet cognoſcere poſſibilia in ſe ipſis. prob. conſa. Si Deus ſuam omnipotentiam comprehenſive cognoſcit, debet cognoſcere quemcumque terminum ipſius, ſed poſſibilia ſunt terminus omnipotentiæ divinæ, ergo; & quidem immediate, nam ſicut per reſpectum ad divinam omnipotentiam poſſibilia poſsunt immediate produci, ita per reſpectum ad divinam omniſcientiam poſsunt immediate cognoſci, ſi autem poſsunt, jam cognoſcuntur, cum ſcientia divina in actu ſecnndo ſit prædicatum neceſsarium in Deo, nec poſſit ab actu primo egredi in ſecundum, quia ſcientia eſt in ipſo Deo, e contra productio rerum ſit extra Deum. Unde ſit, Deum dici poſse de non producente producentem, non vero de non cognoſcente cognoſcentem.

18. Prob. 2. Poſſibilia ſunt immediate in ſe ipſis cognoſcibilia, ergo immediate a Deo cognoſcuntur, conſa. concedi debet, aliter daretur aliquid quod cognoſci poſset, ad quod ſe non extenderet divina cognitio, quæ proinde,ſaltem omni modo,infinita non eſset. prob. antec. poſſibilia habent in ſe ipſis veritatem, ſicut habent aliquod eſse juxta principia mea, ergo ſunt in ſe ipſis immediate cognoſcibilia; Quod ſi res ita non eſset, neque poſsent cognoſci ab Angelis,& ab intellectu Chriſti, quod tamen a Thomiſtis, qui ſunt in ſententia oppoſita, negatur.

19. Neque contra hoc dici poteſt, quod cum cognitio Dei debeat eſse perfectiſſima, ejus obiectum perfectiſſimum eſse debeat, proinde videat quidem poſſibilia in ſua eſsentia, vel omnipotentia, non autem in ſe ipſis; Hinc poſſibilia eſse quidem immediate cognoſcibilia ab intellectu creato, nequaquam a divino.

Contra enim primo; eodem argumento probaretur, quod cum vis terminandi, quæ eſt in ſubſiſtentia divina, ſit perfectiſſima, non poſſet terminare naturam creatam immediate, & ſic deſtrueretur myſterium incarnationis. Secundo aliquid immediate cognoſci ab intellectu creato, quod immediate non cognoſceretur ab intellectu divino, & ita dari aliquod verum, quod eſſet extra intellectionem divinam. Tertio; pari ratione deberet negari cognitio immediata etiam circa res actu exiſtentes, quia cum inter iſtas plurimæ viles ſint, immo reſpectu Dei omnes ſint hujuſmodi, vileſceret ex earumdem cognitione divina ſcientia, quod tamen dici non poteſt. Cognoſcit itaque Deus poſſibilia, & horum cognitio non officit perfectiſſimæ ejuſdem cognitioni, cum iſtius maxima perfectio habeatur a principaliori obiecto, quod eſt divina eſſentia, & ipſe Deus; atque hoc eſt maxime conſonum doctrinæ Sancti Thomæ, qui 2. contra Gent. cap. 70. hæc habet. *Quod Deus cognoſcat vilia, nobilitati ejus non repugnat.* & ibidem num. 4. *Vilitas cognitorum in cognoſcentem non redundat.* & ratio eſt, quia cognitum eſt in cognoſcente juxta modum cognoſcentis, ut toties Thomiſtæ docent. Si cognitio poſſibilium Deum averteret a cognitione ſui ipſius, & rerum vilium a cognitione nobiliorum, ut plerumque contingit in hominibus, utique argumentum valeret; at de Deo hoc dici non poteſt. Tandem; divina providentia etiam circa res minimas perfectiſſima eſt, ergo etiam divina ſcientia, quamvis de rebus minimis,perfectiſſima eſt; antec. ſuo loco oſtendetur,& quamvis etiam non oſtenderetur, a Doctoribus in hoc aſſerto nobis adverſantibus concedi debet.

20. Si autem mihi opponeres; in ea linea, in qua poſſibilia ſunt quid verum,

rum, & intelligibile, ſunt etiam quid bonum, & amabile, non tamen amantur a Deo, ergo neque a Deo cognoſcuntur; primo; conceſſo antecedente negari poſſet illatio, quia amor Dei liber eſt, cognitio autem eſt neceſſaria, & de facto peccatum non amat, nec amare poteſt, peccatum tamen cognoſcit, & ita, ut non poſſit non cognoſcere; deinde, utrum verum ſit antecedens, nec ne, reſponſum dabitur in alia quæſtione.

21. Ut vero paucioribus complectar, quæ contra præſentem aſſertionem noſtram reponi poſſent, tertiam probationem negativam exhibeo. Si Deus non cognoſcit poſſibilia in ſe ipſis, vel eſt, quia divina cognitio ſpeciem ſuam deſumeret ab ipſis poſſibilibus, vel quia, cum Deus videat illa in eſſentia ſua tanquam in obiecto cognito, & mediate, non poteſt ulterius illa immediate videre; vel quia poſsibilia nullum habent eſſe, proinde nullam cognoſcibilitatem, ſed nullum ex hiſce probat contra nos, ergo. Ad probandam primam partem minoris adnotandum eſt, obiectum ſpecificativum aliud eſſe intrinſecum, & eſſentiale, nec non ſtricte motivum, ita ut ab illo diſtinguatur perfectio unius cognitionis ab alia cognitione, & aliud extrinſecum, ſecundarium, & latius, ſive omne id, quod cognitionem terminat, licet perfectionem cognitionis non diſtinguat; eſto hoc poſteriori modo divina cognitio ſpeciem ſuam deſumat a poſsibilibus, non tamen priori, cum ejuſdem perfectio intrinſeca, & eſſentialis deſumatur a divina eſſentia, tanquam ab obiecto primario, & ſtricte motivo, ut dictum fuit, ſed quod illo modo ſpecificetur a poſsibilibus, non repugnat, alioquin Deus nullam creaturam etiam exiſtentem in ſe ipſa immediate videret, ergo. prob. Secunda pars primæ minoris. Non repugnat, eamdem rem cognoſci mediate, ſive in alio, & immediate, ſive in ſe, ut patet in eo, qui Petrum videt in ſpeculo, & in ipſo Petro, & hoc debent omnes concedere, cum non negetur, Deum cognoſcere immediate ſe ipſum, & etiam mediate in creaturis, ergo. Tertium nihil probat, nam licet nullum eſſe actuale, & participatum poſſibilibus tribuatur, tribuitur tamen eſſe nominale, diminutum, obiectivum, & eſſentiale, per quod eſſe poſſunt immediatus terminus divinæ cognitionis, & de facto Thomiſtæ concedunt, eſſe hujuſmodi terminum reſpectu intellectus creati Chriſti; ſed de hoc Tertio ſatis dictum in Metaphyſica.

22. Ex his habes, quo pacto ſint intelligendi aliqui Sancti Patres, aſſerentes, Deum nihil extra ſe ipſum cognoſcere, nimirum nihil cognoſcere, quod ſe habeat tanquam pimarium, & intrinſecū ſpecificativum, non vero e contra; vel divinam cognitionem non perfici per alia obiecta cognita extra ſe, ſicut ſubſiſtentia divina non perficitur per terminationem alicujus naturæ extra naturam divinam.

23. Cum hic de cognitione divina circa poſſibilia actum ſit, non incongruum erit, ſi de eadem circa impoſſibilia aliquid breviter reſolvatur. Quæritur autem, utrum Deus cognoſcat etiam impoſſibia, & quomodo.

Quod ad primum attinet, ſentiendum eſt affirmative. Quidquid enim aliquo modo cognoſcibile eſt, à Deo cognoſci debet, ſunt autem impoſſibilia aliquo modo cognoſcibilia, ergo. Probatur min. quia de facto cognoſcuntur ab intellectu creato, quod autem nullo modo cognoſcibile eſt, à nullo intellectu cognoſci poteſt, ſicut quod nullo modo producibile eſt, à nulla cauſa produci poteſt. Porro, ex quo ab intellectu creato cognoſcantur impoſſibillia, novum argumentum ad rem noſtram proponitur. Cum enim divina cognitio comprehendat intellectum noſtrum, debet etiam omnes ejus actus, & intellectio-

ctiones pertingere, igitur etiam intellectiones erga impoſſibilia, itaque, & ipſa impoſſibilia, cum fieri nequeat, pertingi aliquem actum circa aliquod obiectum, quin etiam aliquo modo pertingatur ipſum obiectum.

Quod vero pertinet ad ſecundum dico, impoſſibilia in ſe ipſis immediate non cognoſci à Deo, ſed in aliquo poſitivo, quod ſe habeat, vel adinſtar formę oppoſitæ, vel principii ejuſdem formæ, vel ſubiecti, ratio eſt, quia impoſſibilia non poſſunt cognoſci per ſpeciem propriam, neque per ſpeciem aliquam æquivalentem, non primo modo, quia impoſſibilia, utpote non entia, nequeunt eſſe activa, proinde nec productiva alicujus ſpeciei, non ſecundo modo propter eandē rationem, etenim non poteſt dari aliquid ęquivalens illi, quod nihil eſt, nec eſſe poteſt.

24. Huc revocatur alia quæſtio, utrum Deus cognoſcat mala; & concludendum affirmative. Vel enim aliquod eſt malum naturæ; & ſic dicitur Sapientiæ 8. *Signa, & monſtra ſcit, antequam fiant*. Vel eſt malum pœnæ; & ſic legitur Eccleſiaſt. 11. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honeſtas à Deo ſunt*. & Iſaiæ 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*. Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit dominus*. Quod quidem intelligi non poteſt, niſi de malo pœnæ juxta explicationem Sancti Auguſtini lib. contra Adimantum Manich. cap. 26. hæc habentis. *Malum hoc loco, non peccatum, ſed pæna intelligenda eſt; dupliciter enim appellatur malum, unum, quod homo facit, alterum, quod patitur, quod facit, peccatum eſt, quod patitur, pæna. De pænis ergo loquebatur Propheta, cum hoc diceret, divina enim providentia cuncta moderante, ita homo male facit, quod vult, ut mala patiatur, quod non vult*. Vel tandem eſt malum culpæ, & de hoc dicitur pſal. 78. *Delicta mea à te non ſunt abſcondita*, & Gen. 6. *Videns Deus, quod multa malitia hominum eſſet in terra*.

25. Diverſo tamen modo videntur hæc mala, nam ſi de primis ſit ſermo, videntur à Deo, & approbantur, ſi vero de malo culpæ, cognoſcitur à Deo, ut reprobetur, in quo ſenſu ait Abac. cap. 1. *Mundi ſunt oculi tui, & reſpicere ad iniquitatem non poterunt*, & pſ. 200. *Declinantem à me malignum non cognoſcebam*, ideſt ex Auguſtino in eadem verba. *Non approbabam, non laudabam, non mihi placebat*. De hac cognitione dicendum quod ſupra dictum eſt de impoſſibilibus, juxta id quod ait S. Th. 1. par. q. 14. art. 10. in corp. ubi habet. *Sic autem eſt cognoſcibile unumquodque quod eſt, unde cum hoc ſit eſſe mali, quod eſt privatio boni, per hoc ipſum, quod Deus cognoſcit bona, cognoſcit etiam mala, ſicut per lucem cognoſcuntur tenebræ*.

26. Plura, quæ opponi poſſunt contra ſcientiam divinam de rebus omnibus, nullius ſunt momenti, & facile reijciuntur ex alibi traditis. Aliqua tamen afferre, non erit abs re. Primo ex S. Hieronymo in caput 1. Abac: ubi ait. *Abſurdum eſt, ad hoc Dei deducere majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotve moriantur*. Verum in hac authoritate excluditur à divino intellectu ſcientia ſucceſſioni obnoxia, ut patet per illa verba, *per ſingula momenta*, vel excluditur divina ſcientia æquali providentiæ conjuncta, ita ut Deus, quamvis omnia videat æqualiter, diverſimode tamen provídet modo cuiuſcumque naturæ accomodato, juxta illud Mat. 6. *Reſpicite volatilia cæli, quoniam neque ſerunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa; Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Mens tamen Hieronymi ſatis declaratur in comment. Mat. in illa verba cap. 10. *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt* ubi ait, *etiam parva, & otioſe dicta ejus ſcientiam non fugiunt*, & in priora verba Mat. 6. *Non ſimus, inquit, tam fatui ut dum potentiam ejus ad*

ima

ima detrahimus, in nos ipſos injurioſiſimus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium providentiam eſſe dicentes. Eodem pacto loquuntur alii Sancti Patres, inter quos ait Chryſoſt. in idem caput; *Quid vilius paſſeribus? ſed tamen nunquam ignorante Deo capientur*.

27. Secundo afferuntur plura ſcripturæ loca, in quibus videtur dubia notitia Dei. Sic dicitur Gen. 22. *Nunc cognovi*, ſermo eſt de Abrahano, *quod times Deum*. & cap. 18. *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non eſt ita, ut ſciam*. Ex quibus inferri poteſt, ergo prius Deus neſciebat. Verum ex primo textu nihil evincitur, optime enim noverat Deus fidem, & erga ſe timorem Abrahami, ut patet ex Gen. 18. ubi dicitur. *Scio, quod præcepturus ſit filiis ſuis, ut cuſtodiant viam Domini*; Cognovit ergo tunc Deus timorem ipſius, quia tunc experimento aliis declaravit; interdum enim in ſcriptura verbum *cognoſco* ſumitur pro verbo *declaro, manifeſto*, ſicut cum dixit Chriſtus, ſe ignorare diem judicii; niſi velis dicere, ſcripturam loqui in eo ſenſu, quo nobis ſe accomodet; hoc pacto intelligendus eſt ſecundus textus, in quo quidem nobis datur inſtructio, ut antequam ſententiam proferamus, vel quidpiam decernamus, rem accurrate, & propius examinemus.

28. Tertio; Non poſſe Deum aliquid cognoſcere, niſi ſit illius rei cauſa, & exemplar, nequit autem eſſe hujuſmodi impoſſibilium, & peccatorum. Sed dico, verum eſſe aſſumptum de iis, quæ cognoſcit immediate in ſe ipſis, non de aliis, quæ cognoſcit per formas oppoſitas, ut contingit in caſu, & à nobis declaratum fuit.

Hic agendum eſſet de ſcientia divina circa res futuras, ſed quia de ea actum eſt in ſecundo noſtro libro de gratia, ideo omittimus, ne eadem bis ſcribamus.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Voluntate Dei.

ARTICULUS I.

An in Deo ſit Voluntas, & quotuplex ſit.

1. DAri in Deo voluntatem proprie,ac formaliter, manifeſtis ſcripturæ teſtimoniis declarari poteſt; pſal.134. *Omnia, quæcumque voluit, fecit.* Ad Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ* Mat. 26. inquit Chriſtus deprecans Patrem, *non mea, ſed tua voluntas fiat*. & Mat. 6. Apoſtolis orandi formam præſcribens, ait, *fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*.

2. Aliqua difficultas eſt inter Doctores, utrum hoc naturali poſſit oſtendi ratione, quod quidem Valentia hic quæſt. 1. punc. 9. & Herice diſp. 11. negare videntur, præſertim ſi illam attendamus, quam affert S. Th. & nos infra ſubdemus. Nihilominus exiſtimandum eſt, voluntatem in Deo eſſe, naturalibus etiam argumentis nobis fieri compertum. Illud occurrit primo, quod ex maxima Dei perfectione colligitur, ſiquidem ea tanta eſt, ut ipſa nihil melius excogitari poſſit, proinde nulla careat perfectione, quæ in ſuo formali conceptu nihil imperfectionis involuit, hujuſmodi autem eſt voluntas, ſicut & de intellectu dictum eſt. Negetur Deo voluntas, plures imperfectiones admittas, neceſſum erit; quo pacto ſervabitur in ipſo dominium proprietatis, & juriſdictionis? Quo pacto libertas in operando, vel non operando? Immo ipſe Deus ſummum bonum non eſſet, quia defectu voluntatis ſe ipſum amare non poſſet, nec a nobis foret honoribus, & ſacrificiis colendus, cum nihil ab illo ſperandum, timendum nihil, qui ſine voluntate nec juſtus, nec beneficus eſſe poteſt.

3. Probat autem S. Thom. 1. part. quæſt. 19. art. 1. poſitum aſſertum ratione deſumpta ex natura intellectuali, nam, *ſicut in quolibet habente ſenſum eſt appetitus naturalis, ita in quolibet intellectum habente eſt voluntas* quapropter ſiDeum ſine voluntate dicemus, etiam ſine intellectu affirmabimus.

4 Porro hæc divina voluntas multifariam dividitur à Theologis 1. in voluntatem ſigni, & beneplaciti. Hæc proprie voluntas eſt, & in Deo reſidet formaliter, & intrinſece de qua ait Ap. ad Rom. 12. *Ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*. Illa vero metaphorica tantum eſt voluntas, & Deo extrinſeca, cum ſit merum divinæ voluntatis ſignum, eo pacto, quo teſtamentum dicitur voluntas teſtatoris; quod quidem ſignum quintuplex aſſignatur, & continetur in illo verſiculo. *Præcipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet*. Præceptum eſt reſpectu boni faciendi, & mali evitandi, prohititio, & permiſſio tantum reſpectu mali, conſilium, & operatio tantum reſpectu boni.

5. Dividitur 2. voluntas beneplaciti in antecedentem, & conſequentem, quam diviſionem omnes Theologi admittunt, veluti prius traditam à S. Joan. Chryſoſtomo hom. 1. in epiſt. ad Epheſ.

&

& Damaſceno lib. 2. de fide cap. 29. cujus verba ſunt iſta. *Hoc itidem noſſe oportet, Deum primaria & antecedente voluntate velle omnes ſalvos eſſe, & regni ſui competes fieri, non enim nos, ut puniret, condidit, ſed quia bonus eſt, adhoc ut bonitatis ſuæ participes eſſemus. Peccantes porro puniri vult, quia juſtus eſt; itaque prima voluntas antecedens dicitur, & beneplacitum, cujus ipſe eſt cauſa, ſecunda autem voluntas conſequens.* In explicanda autem hujuſmodi voluntate antecedente, & conſequente concors non eſt Theologorum doctrina. Aliqui enim explicant antecedentem illam cum efficaci confundentes; ſed communiter modo hujus explicatio reiicitur, nam aliqua voluntas antecedens efficax eſt; qualis eſt voluntas præveniendi homines gratia vocationis. Alii vero cum S. Thom. hic. illam voluntatem antecedentem vocant, quæ circa aliquam rem abſolute, & ſecundum ſe conſideratam, præciſis ejus circumſtantiis, verſatur, & ita inquiunt, Deum velle, omnes homines ſalvos fieri, quia conſiderata hominis natura in ſe, & antecedenter ad omne peccatum, bonum eſt, hominem ſalvum eſſe. Illam vero voluntatem conſequentem dicunt, quæ circa rem verſatur, ſed ſuis circumſtantis affectam. Exemplum utiuſque affert Doctor Angelicus. Judex vult hominem vivere, ut homo eſt, præſcindendo, quod ſit homicida, hæc eſt voluntas antecedens, vult vero hominem ſuſpendi, quia eſt homicida; hæc eſt voluntas conſequens. Ita mercator merces ſuas vult conſervare abſtractione facta imminentis tempeſtatis, adveniente tamen tempeſtate merces ſuas proiicit.

6. Dividitur præterea voluntas in efficacem; illa eſt, quæ ſemper ſuum effectum conſequitur, de qua dicitur Iſaiæ 48. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*; & pſ. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit*, & ad Rom. 9. *Voluntati Dei quis reſiſtet?* Alia vero eſt, quæ ob contumacem hominis reſiſtentiam ſemper non impletur, de qua dicitur Mat. 23. *Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos; & noluiſti*, & Ezechiel. 24. *Mundare te volui, & non es mundata a ſordibus tuis.* De hac diviſione idem dicendum, quod de gratia ſufficienti, & efficaci dictum eſt in proprio tractatu.

7. Tandem in Deo alia eſt voluntas abſoluta, quæ à nulla conditione dependet, qualis fuit illa, qua voluit mundum creare, alia vero conditionata, quæ e contra, atque de hac ita loquendum eſt, ſicut de divinis decretis abſolutis, & conditionatis, de quibus dictum fuit in ſecundo noſtro opere Theologico.

8. Hiſce poſitis difficultas promoveri ſolet, an voluntas Dei ſemper impleatur, & generatim ſentiunt, voluntatem Dei abſolutam, efficacem, & conſequentem ſemper impleri, in quo ſenſu explicant textus addutos alioſue ſimiles, qualis eſt ille Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*, quibus ſubſcribunt omnium Sanctorum Patrum teſtimonia. Tertullianus enim contra Praxeam cap. 10. inquit; *Dei poſſe velle eſt, & non poſſe nolle:* Sanct. Hieronym. in cap. 1. epiſt. ad Epheſ. ait. *Nos homines plerumque volumus facere conſilio, ſed nequaquam voluntatem ſequitur effectus, illi autem nemo reſiſtere poteſt, quin omnium, quæ voluerit, faciat.* Auguſtinum non memoro, cum eum toties adduxerim in quæſt. de ſcientia Dei.

9. Si vero loquamur de voluntate Dei conditionata, antecedente, & inefficaci, hanc ſemper non adimpleri, communis eſt Doctorum ſententia. Mihi tamen ſummopere placet aſſertum Sancti Thomæ, qui 1. part. quæſt. 19. art. 6. abſolute concludit, omnem Dei voluntatem ſuum effectum obtinere, cujus quidem ratio clariſſima eſt, quia ſicut effe-

effectus conformatur agenti ſecundum ſuam formam, ita conformatur ſuæ cauſæ ſecundum ſuam efficientiam; in formis autem licet deficere poſſit aliquid ab aliqua forma particulari, nequit tamen à forma univerſali, poteſt enim aliquid eſſe, quin ſit homo, vel vivens, nequit tamen, quin ſit ens; Hoc idem in cauſis agentibus contingere oportet, poteſt enim aliquid fieri extra ordinem alicujus cauſæ particularis agentis, ſed non extra ordinem alicujus cauſæ univerſalis, ſub qua omnes cauſæ particulares comprehenduntur, quia ſi aliqua cauſa particularis deficiat à ſuo effectu, hoc eſt per aliam cauſam particularem impedientem, quæ continetur ſub ordine cauſæ univerſalis, cum igitur voluntas Dei ſit cauſa rerum omnium, impoſſibile, eſt, quod divina voluntas ſuum effectum non conſequatur, unde quod recedere videtur à divina voluntate ſecundum unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundum alium, ſicut peccator, qui quantum eſt in ſe, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur. Peregregie docet hoc Sanct. Auguſtinus, qui cap. 100. in Enchird. loquens de peccatoribus, qui divinam voluntatem non ſervant, hæc habet. *Quantum ad ipſos attinet, quod Deus noluit, fecerunt, quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere potuerunt. Hoc quippe ipſo, quod contra voluntatem fecerunt ejus, de ipſis facta eſt voluntas ejus, ut miro, & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem.*

ARTICULUS II.

De Objecto divinæ voluntatis.

10. Suppoſita multiplici obiecti diviſione plura in hoc articulo reſolvenda ſunt; etenim in primis, ſi ſermo ſit de obiecto formali, & motivo, cenſeo, hoc in ſola divina bonitate conſiſtere, ad quod probandum ſufficere poteſt quod diximus de obiecto formali, & motivo divini intellectus. Addo nihilominus illos ſcripturæ textus, in quibus innuitur, omnia ad Deum dirigi tanquam ad finem, & quidquid Deus amat extra ſe, propter ſemetipſum amare. Sic proverb. 16. *Univerſa propter ſe ipſum operatus eſt Deus*. Apocalyp. 22. *Ego ſum alpha, & omega, primus, & noviſſimus, principium, & finis*; ex quibus facile hoc argumentum confici poteſt. Illud eſt obiectum primarium, & motivum divinæ voluntatis, ad quod ultimo dirigitur quidquid vult divina voluntas, ſed ad divinam bonitatem ultimo dirigitur, quidquid vult divina voluntas, ergo.

11. Totum hoc egregie explicavit S. Auguſtinus lib. 1. de doct. Chriſtiana cap. 31. ubi ſic loquitur. *Quomodo ergo diligit? ut nobis utatur, an ut fruatur? ſed ſi fruitur, eget bono noſtro, quod nemo ſanus dixerit; Non ergo fruitur nobis, ſed utitur; Nam ſi neque fruitur, neque utitur, non invenio, quemadmodum diligat; ſed neque ſic utitur, ut nos; nam nos res, quibus utimur, ad id referimus, ut Dei bonitate perfruamur; Deus vero ad ſuam bonitatem uſum noſtrum refert.*

12. Ut vero videamus, utrum revera Deus etiam creaturas, tanquam objectum ſecundarium, & terminativum amet; diſtinguendus eſt ordo creaturarum; aliæ enim ſunt exiſtentes, aliæ futuræ, & aliæ poſſibiles. Circa res exiſtentes, & futuras parum eſt diffi-

difficultatis, etenim ſunt quid bonum, utpote ens, divinæque bonitatis participationes, & Sap. 11. legitur, *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*; quod potiſſimum dicendum eſt de creatura rationali, pro qua dictum eſt Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*. Præcipua difficultas eſt, quæ de creaturis poſſibilibus promoveri poteſt, utrum videlicet actus divinæ voluntatis, ideſt amor, etiam in iſtas feratur.

13. Qua in re, præſcindendo a modo, quo Deus ipſas amat, ſcilicet libere, vel neceſſario. Thomiſtæ communiter cum Ferrarien. 1. contra Gent. cap. 81. Ban. 1. p. q. 34. art. 3. Zumel. 1. p. diſp. 1. ad 3. & aliis, prætermiſſis Salmantic. hic, ſuſtinent, creaturas poſſibiles nullo modo amari a Deo. Scotiſtæ vero cum ſuo Doctore in 3. diſ. 32. oppoſitum docent, quibus adhærent communiter Neoterici, qui cum Suarez, Vaſq., Ruitz, Herice, Amico, Cacher., Mader., non ſolum ſuſtinent, a Deo amari, ſed amari neceſſario defendunt.

14. Adnotandum eſt, actum divinæ voluntatis, ſeu amorem multifariam poſſe conſiderari. Primus eſt amor ſimplicis complacentiæ, per quem Deus in rerum bonitate ſibi complacet; Secundus eſt amor efficax, & benevolentię, per quem Deus vult, aliquid abſolute exiſtere; Tertius eſt amor inefficax, quo Deus, quantum ad ſe pertinet, vult aliquid eſſe, attamen, ut ſit, hoc in libera creaturæ poteſtate relinquit. Quartus eſt amor gaudii, quo Deus de aliquo bono præſenti delectatur. Certum eſt, creaturas poſſibiles amore efficaci a Deo non amari, cum circa ipſas nihil omnino operetur, nec unquam ad exiſtentiam reducantur; neque amore gaudii, cum hoc exigat obiecti præſentiam, illas tamen amari amore inefficaci in tertio ſenſu explicato, ſic Deus amat omnium ſalutem, ſuorumque mandatorum obſervationem, quæ tamen non erit, proinde ſolummodo poſſibilis eſt. Quæſtio igitur ſit de amore ſimplicis complacentiæ, & quidem de poſsibilibus, non inſpectis ſecundum illud eſſe, quod habent in divina omnipotentia, ſic enim non ſunt creatura, ſed creatrix natura, ſed ſecundum illud, quod habent in ſe ipſis, de quo a nobis dictum fuit.

15. Dicendum; creaturas poſsibiles amari a Deo.

Prob. concluſio eodem modo, quo probatum fuit, Deum cognoſcere creaturas poſsibiles, ideo enim illas cognoſcit, quia in ipſis ſicut reperitur ratio entis, ita reperitur ratio veri, ſed propter eamdem rationem reperitur etiam ratio boni, æque enim bonum eſt paſsio entis, ſicuti verum, ergo. Atque hic adverte, ſermonem non eſſe de creaturis poſsibilibus abſtracte ſumptis, prout nimirum conſideratur poſsibilitas, ut poſsibilitas, etenim hæc præſcindit ab eo, quod ſit bona, vel mala, quia etiam malum eſt poſsibile, ſed de creaturis poſsibilibus in concreto, ideſt, prout poſsibilitas complectitur rem, quæ poſsibilis eſt.

16. Dices, bonitatem, quæ creaturis poſsibilibus concedi poteſt, eſſe ſolummodo in poteſtate, & radicalem, non in actu, & formalem, eſſe ſpeculativam, non practicam, & motivam voluntatis, non eſſe bonitatem de linea exiſtentiæ, vel per ordinem ad exiſtentiam, hæc autem ſolummodo poteſt a Deo amari.

Sed contra eſt; reſponſionem iſtam aut non eſſe ad rem, aut in ea puram eſſe petitionem principii; vel enim bonitas hæc in poteſtate, & radicalis amabilis eſt, & ſequitur id, quod a nobis aſſeritur, vel dicitur non amabilis, & hoc eſt, quod controvertitur, atque idem dico de bonitate de linea exiſtentiæ, & per ordinem ad exiſten-

tiam, ſemperque redit paritas deſumpta a veritate, quæ licet ſit radicalis, & ſpeculativa tantum, ſine ordine ad exiſtentiam, nihilominus a Deo cognoſcitur, non quidem tanquam obiectum motivum, ſed ſolummodo terminativum, quod etiam de bonitate per reſpectum ad voluntatem affirmamus.

17. Inſtabis. Licet Deus cognoſcat creaturas poſsibiles, non recte infertur, Deum ipſas amare, quemadmodum licet cognoſcat chimeram, vel peccatum, non bene infertur, chimeram, vel peccatum amare. Ratio autem eſt, quia intellectus cognoſcit trahendo ad ſe obiectum, cujus ſimilitudo, & imago actu eſt in intellectu, voluntas autem amat obiectum, ferendo ſe in obiectum adinſtar impulſus, & ponderis, proinde fertur in obiectum, prout habet eſſe in ſe ipſo, non prout habet eſſe in voluntate; Cum igitur veritas poſsibilium actu ſit in intellectu, poſsibilia actu a Deo cognoſcuntur, cum vero actu non ſint in ſe ipſis, ſed ſolum in potentia, actu a Deo non amantur.

Sed contra ne. ant. ad prob. diſparitas eſt, quia in chimera, vel peccato eſt pure veritas obiectiva, quæ convenit etiam non entibus & impoſsibilibus, non ſic veritas tranſcendentalis, quæ ab ente progreditur; porro ſola bonitas tranſcendentalis eſt illa, quæ amabilis eſt, non ſic ſola veritas tranſcendentalis cognoſcibilis eſt, & ideo &c. & in hoc ſenſu patet, quo modo communiter dicitur, latius eſſe obiectum intellectus, quam voluntatis. Rationi fundamentali occurro, dicendo, æquali modo intellectum, & voluntatem tendere in obiectum exiſtens in intellectu, & voluntate, ſicut quilibet actus vitalis producitur ex potentia & obiecto, atque in hoc ſolummodo diſcrimen eſt, quod obiectum intellectus eſt in intellectu tanquam id, quod trahit in trahente, quia eſt per ſui ſimilitudinem, quæ rem repræſentatam ad ſe trahit, obiectum vero voluntatis eſt in voluntate, tanquam trahens in eo, quod trahitur, quia eſt per impulſum, cujus eſt ſequi rem, ad quam impellit. Quantum igitur ad hoc, ſi intellectus cognoſcit obiectum juxta veritatem, quam habet in ſe ipſo ſolum radicalem & in potentia, etiam voluntas amabit obiectum juxta bonitatem, quam habet in ſe ipſo ſolum in potentia, & radicalem.

18. Sed, ut amplius reſponſionum iſtarum inanitatem demonſtrem, & cæteris occurram, ſic negative progredior. Si Deus non amat amore ſimplicis complacentiæ creaturas poſsibiles, vel oritur repugnantia ex capite hujuſmodi amoris, vel incapacitate poſsibilium hujuſmodi amorem terminandi, neutrum, ergo. prob. prima pars minoris. Si oritur repugnantia ex capite hujuſmodi amoris, ideo eſt, quia amor complacentiæ ferri debet in rem exiſtentem, ſed hoc eſt falſum, ergo, prob. min. amor deſiderii non fertur in rem exiſtentem, ut patet experientia, ergo neque amor ſimplicis complacentiæ, quæ illatio eſt juxta doctrinam Sancti Th., qui 1.2. q.25. art.2. ait, *amorem præcedere deſiderium, deſiderium vero præcedere delectationem*. Ex hoc conſtat etiam Secunda pars primæ minoris, quæ tamen ſecundo ſic declaratur. Si poſsibilia non habent vim, qua ſint terminus amoris ſimplicis complacentiæ, ideo eſt, quia non repræſententur voluntati ut bonum actu exiſtens, ſed hoc non obſtat, ergo. prob. min. Quamvis poſsibilia non repræſententur ut bonum actu exiſtens, attamen Deus exercere poteſt aliquem actum circa ipſa poſsibilia, quia poterat illa determinare ad exiſtendum, & revera plura fuerunt determinata, ſed hujuſmodi actus non eſt niſi amor ſimplicis complacentiæ; & probatur, hujuſmodi actus non eſt amor efficax, quia per hunc amorem poſsibilia fierent futura, & aliquando exiſtentia, non amor deſiderii, quia deſide-

deſiderium tendit in rem abſentem, non odium, aliter omnia poſsibilia eſſent mala, & nullum poſſet a Deo intendi per reſpectum ad futuritionem, & exiſtentiam, ergo erit amor ſimplicis complacentiæ.

19. Si res ita eſt, inquies, quemadmodum Deus diligit bonum poſsibile, ita odio habebit malum poſsibile, atque hoc pacto odio habebit hominem juſtum, quia in ipſo poſsibile eſt peccatum. Sed contra eſt, ex argumento ſequi tantummodo, quod ſicuti Deus ſibi complacet de bono poſsibili, ita ſibi non complaceat de malo poſsibili, & hoc libentiſsime fatemur; atque in hoc ſenſu admittimus odio habere in homine juſto peccatum poſsibile, nec tamen ſequi odio habere hominem juſtum; Quod ſi juxta adverſariorum intentum argumentum probaret, ſequeretur, Deum odio habere hominem juſtum propter peccatum futurum, ſicuti præter dubium odio habet peccatum futurum, quare quod ipſi reſpondebunt de peccato futuro, nos proportione ſervata reſpondebimus de peccato poſſibili.

Non me latet, a Patribus Salmanticenſibus plura in oppoſitum congeri Sancti Thomæ teſtimonia, quæ tamen omnia recte explicabis, ſi dices, in ipſis non de amore ſimplicis complacentiæ, ſed efficaci eſſe ſermonem; in quo ſenſu fere omnia probant, quæ nobis opponunt.

20. Immo inquirendo nunc de modo, quo Deus amat poſsibilia, ſentio, ea amare neceſſario. In hac re Scotus mentem ſuam aperte non indicavit, problematicus tamen dici poteſt, cum ejuſdem ſectatores diviſi ſint, ut videri poteſt apud Maſtrium diſp. 4. de divina volunt. art. 1. Aſsertio hæc multiplici poſſet oſtendi ratione, quod quidem fit a pluribus authoribus, quorum tamen argumenta hic afferre non juvat, cum multifariam refelli poſſint, ut apud eundem Maſtrium ibidem. Illud mihi momentum ſummopere placet, quod deſumitur vel a poſſibilium neceſſitate; vel a divinæ voluntatis immutabilitate, quod licet duplex videatur, attamen in re ad unum revocatur. Ut autem appareat, aſſertum meum utramque neceſsitatem complecti, ideſt contrarietatis, & contradictionis, ſic in ejuſdem probatione me gero.

21. Ut Deus libere amet creaturas poſsibiles (loquor ſemper de amore ſimplicis complacentiæ) vel illas poteſt odio habere, vel amoris actum erga ipſas ſuſpendere, ſed neutrum Deus poteſt, ergo. prob. prima pars min. quia, ut dictum fuit, relucet in poſsibilibus ratio boni, tanta autem eſt divinæ voluntatis rectitudo, ut bonum odio habere non poſsit, ſicut nequit amore malum proſequi, non quia hoc ſibi vindicat bonum, eſt enim finitum, & immixtum imperfectioni, ſed propter ſummam divinam perfectionem, a qua eſt omne bonum; & quod imperfectum eſt, a Deo non eſt, nec actu nec potentia; Qua de re ſicut non poteſt diſſentiri vero, & aſſentiri falſo, ita non poteſt amare malum, & odio habere bonum. Secunda vero pars primæ minoris ſic demonſtratur. Deus, ut dictum fuit, amat creaturas poſsibiles, ergo eas debet ſemper amare, ergo non poteſt erga ipſas actum amoris ſuſpendere; prob. conſa. Si Deus illas amat, & poteſt amorem ſuſpendere, vel mutatio erit in creaturis poſsibilibus, vel in Deo, hoc ſecundum affirmari non poteſt, niſi Deum mutabilem aſſeramus, primum eſt falſum, quia poſsibilia ut poſsibilia neceſſario metaphiſice talia ſunt, neque pro hoc ſtatu aliquo modo a Deo dependent, ergo in ipſis nulla poteſt eſſe mutatio.

22. Hiſce adderent alii, Deum neceſſario amare ſe ipſum, ſuamque omnipotentiam, igitur & poſsibilia, quæ ſunt terminus divinæ omnipotentiæ, immo

immo ita cum ipſa connectuntur, ut ſi fierent impoſsibilia, impoſsibilis etiam fieret ipſe Deus. Verum ab hac ratione abſtinemus, utpote principiis a me in metaphyſica ſtatutis contraria; ex alia parte nimis probat, nam ſequeretur, poſsibilia a Deo diligi efficaciter, ſicut efficaciter diligitur omnipotentia.

23. Contra hoc ultimo ſtabilitum plura videntur opponi poſſe. 1. Quando in aliquo obiecto reperitur ratio boni, & ratio mali, tunc in voluntate remanet libertas, atqui in poſsibilibus reperitur ratio boni, & ratio mali, ergo per reſpectum ad illa remanet libertas; prob. min. poſsibilia non habent majorem bonitatem, quam habeant exiſtentia, ſed in exiſtentibus reperitur ratio boni, & ratio mali, ergo. Quapropter, ſicut in omnium ſententia Deus libere amat exiſtentia, ita libere amabit poſsibilia.

Neque dicas, in poſsibilibus inveniri rationem mali in ſenſu negativo, quia ſcilicet non reperitur ratio ſummi boni. Contra enim. Quando in obiecto non eſt ratio ſummi boni, voluntas libere, ſaltem libertate exercitii, fertur in illud, ergo ſi poſsibilia non ſunt ſummum bonum, voluntas divina libere &c. & revera ſi beati libere tantum poſsibilia diligunt, cur non etiam libere Deus?

24. Reſp. acceptando reſponſionem; ad inſtantiam, verum eſt ant. de libertate abſoluta, non ex ſuppoſitione; ſuppoſito enim quod Deus amaverit poſsibilia, non poteſt ea non amare, ſine mutatione vel in poſsibilibus, vel in Deo, ut probavi. Qua de re ipſi Patres Salmanticenſes concedunt, quod ſi Deus poſsibilia amaret, neceſſario amaret. Jam habes diſparem rationem loquendo de exiſtentibus, ſicut & de beatis, iſti enim liberi ſunt, tam in producendo aliquem actum, quam in ceſſando ab eodem actu, cum in ipſis mutatio non repugnet.

25. Op. 2. Si Deus neceſſario amaret creaturas poſsibiles, non poſſet efficaciter illas nolle, ſed hoc eſt falſum, ut conſtat, ergo. prob. maj. poſſe nolle efficaciter creaturas poſsibiles, eſt poſſe illas odio habere, ergo ſi &c. prob. ant. Velle rem aliquam, eſt efficaciter illam amare, ergo nolle rem aliquam, eſt efficaciter illam odio habere, igitur & poſſe nolle, eſt poſſe illam odio habere; & revera, ſi eſſet in Deo hæc neceſſaria complacentia, aliquod bonum poſsibilibus conferret, bonum autem hoc aliud eſſe non poteſt, quam exiſtentia.

26. Reſp. diſ. maj. Si Deus neceſſario efficaciter amaret creaturas poſsibiles non poſſet &c. conc. Si ſolum neceſſario inefficaciter, & ſimplici complacentia, non poſset &c. ne. maj. conc. min. ne. conſ. ad prob. diſ. ant. eſt poſſe illas odio habere, ideſt non amare efficaciter conc. ideſt diſplicere circa eorum poſsibilitatem ne. ant. & ita ad prob. Atque hic adverto, non omnem nolitionem boni, aut volitionem mali odio tribuendam eſse, ſed tunc ſolummodo nolitio boni odium eſt, quando eſt conjuncta cum volitione mali, quod ſit noxium illi, cui vult malum, alioquin ſequeretur, quod cum Deus nolit aliam unionem hypoſtaticam, hanc odio haberet. Porro, quod Deus nolit, poſsibilia exiſtere, eſt, ipſis nolle bonum, & velle malum, quod tamen poſsibilibus noxium non eſt, cum hæc ſint æquali modo indifferentia ad eſse, & non eſse, proinde &c. Ex quo habes, quo pacto magis confirmes expoſitam diſtinctionem, & ſimul, ſi velis aliter, diſtinguas. Ad additum; falſum eſt quod aſsumitur. Poteſt enim quis ſibi complacere de aliquo, etiam cum firmo propoſito illud nolendi exequtioni mandare; conſtat hoc in eo, qui de aliqua re turpi cogitatione delectatur, nec tamen eam efficaciter vult committere.

27. Op.

27. Op. 3. Deus libere vult ſalutem omnium hominum; ſed ſalus omnium hominum eſt inter poſsibilia, ergo libere vult poſsibilia, pat. mi. quia ſalus reproborum poſsibilis eſt.

Reſp. Deum voluntate antecedenti velle omnium hominum ſalutem, ut dictum fuit in ſecundo noſtro opere, quæ tamen voluntas antecedens eſt efficax conditionate, nimirum, ſi omnes homines ſalvi eſse velint; ideo abſolute eſt poſsibilis, & in hoc ſenſu Deus illam neceſsario amat, conditionate non eſt poſsibilis ſed futura, & in hoc ſenſu libere illam vult, ſicut libere homines volunt.

ARTICULUS III.

In quo conſiſtat velle liberum Dei.

28. DEum in ſingulis operationibus ad extra liberum eſſe, in divinis ſcripturis revelatum accepimus, pſ. enim 93. *Deus ultionum libere egit* & pſ. 123. *Omnia, quæcumque voluit, fecit*; Apoſt. vero ad Epheſ. 1. inquit. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Difficultas eſt in explicando modo, quo Deus liber ſit, & in ea adinvenienda ratione, qua Deum immutabilem fateamur, & liberum eſſe non negemus. Cum enim actus liber diſtingui debeat a neceſsario, & ex alia parte uterque ſit ab entitate divinæ ſubſtantiæ indiſtinctus, & rurſus, cum actus liber ſit Deo intrinſecus, & ex alia parte ſpectet ad naturam actus liberi, ut poſſit eſse, vel non eſse, videtur, aliquod internum Deo eſse, vel non eſse poſse, atque ideo Deum poſse mutari.

29. Hujuſce puncti reſolutio omnium Theologorum mentes hactenus defatigavit, & plus in quacumque ſententia opponi poteſt, quam ſolvi. Cenſuit Cajetan. hic art. 2. §. *Ad hoc*. Salas 1. 2. q. 6. art. 3. Eſparza, aliique, actum Dei liberum eſse quamdam perfectionem liberam veram, ac realem, quæ in Deo realiter potuit non eſse, virtualiter tamen diſtinctam ab eſsentia Dei, eo modo quo ab iſta diſtinguuntur relationes. Voluit Ferrarienſ., quem ſequuntur Vaſquez & Molina, actum Dei liberum nihil addere actui Dei neceſsario niſi relationem rationis ad obiectum creatum. Docuit Aureol. in 1. diſ. 47. quæſt. unica, quem ſequuntur Granad. & Heric., actum Dei liberum addere neceſsario ſolam denominationem extrinſecam deſumptam ex creaturis ipſis in tempore exiſtentibus, quia Deum rem aliquam velle nihil eſt aliud, quam in illa re aliquam mutationem pro aliquo tempore efficere, vel aliquod eſse ipſi conferre, quod eſt in poteſtate Dei facere, vel non facere, & cum facit, dicitur Deus aliquid velle, cum non facit, dicitur nolle, non quia aliter Deus ſe habeat, ſed quia aliter ſe habet creatura. Alii ſatis communiter, ut Turrian. Amic. Alcar. & ex antiquis Alex. de Ales, & Altiſiodoren. aſserunt, actum Dei liberum eſse ipſum actum neceſsarium divinæ voluntatis, ut libere connotantem extrinſecam productionem effectus libere a ſe dependentis. Scot. tandem in 1. diſ. 39. q. unica §. *Juxta prædicta* cujus ſententiam amplexi ſunt Nazar. Zumel, Suarez, Becan. Cacheran., ſenſit, actum liberum Dei eſse ipſummet actum neceſsarium, quo diligit ſe ipſum, & addere tantum diverſam attingentiam divinæ bonitatis, ita ut eadem omnino entitas actus, prout tendit in divinam bonitatem, aut ſecundum ſe, aut participabiiem a poſſibilibus, dicatur actus neceſsarius, prout vero attingit divinam bonitatem determinate participandam, aut participatam a creaturis, dicatur actus liber. Nimium prollixus eſsem, ſi omnes recitatas ſententias perpendere vellem; Quapropter unaquaque relicta in ſui majo-

majore, vel minore probabilitate, poſtremam aptiorem eſſe ad declarandam Dei libertatem, eo modo, quo a nobis declarari poteſt, (fateor enim naturalem rationem in hac re plurimum deficere) aptiorem inquam eſſe dijudico.

30. Prob. & explicatur. aſſertio. Quilibet actus vitalis ſuam ſpeciem deſumere debet ab obiecto, non terminativo, ſed motivo, atqui divina bonitas eſt obiectum motivum cujuſcumque actus divinæ voluntatis, ſicut & de ſcientia Dei dictum fuit per ordinem ad intellectum, ergo debet ſuam ſpeciem deſumere a divina bonitate, ergo actus divinæ voluntatis erit neceſſarius, prout tendit in divinam bonitatem neceſſario, erit vero liber, prout tendit in divinam bonitatem libere; atqui in divinam bonitatem ſecundum ſe; & ut participabilem a poſſibilibus, tendit neceſſario, in ipſam, ut participandam aut participatam tendit libere, ergo actus divinæ voluntatis erit neceſſarius, prout &c. erit liber, prout &c.

31. Diverſitas itaque divinæ volitionis haberi debet proxime, & immediate ex modo, & ex complexo, quod fit a divina voluntate, & bonitate diverſimode inſpecta, ita ut ſicut in nobis ex voluntate & obiecto cognito ut abſente fit actus deſiderii, ut præſente actus gaudii, & ſic loquendo, ita ex divina voluntate & bonitate cognita ſecundum ſe fiat actus volitionis neceſſariæ, cognita, ut eſt participanda, vel participata fiat actus cognitionis liberæ, & ita volitio neceſſaria non differat a libera ex parte divinæ voluntatis ſecundum ſe, ſed ex parte obiecti intrinſeci quidem Deo, ſed habentis ordinem ad res extrinſecas, per quas divinam libertatem explicamus tamquam per effectus actus liberi, non tanquam per conſtitutivum ejuſdem, & ideo, dum dicitur, volitio divina eſt libera, quia eſt de obiecto contingente, & mutabili, ly *quia* eſt ratio a poſteriori, non a priori & conſtitutiva divinæ volitionis. Hiſce bene conſideratis facile ſervabis omnia, quæ difficulter videntur cum divina immutabilitate & libertate poſſe componi.

Cætera, quæ de divina voluntate effuſe tractantur ab auctoribus, a nobis omittuntur, cum exiſtimentur potius ſubtiles quæſtiones, quam utiles; alia vero, quæ hic ſibi locum vindicarent, v.g. an in Deo ſit vera voluntas omnes homines ſalvos faciendi, a nobis in ſecundo noſtro opere de divina gratia, fuerunt expoſita. Nnnnulla tantummodo ſubiiciemus, quæ ad divinæ voluntatis effectus revocantur. ideo,

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De affectibus divinæ voluntatis.

1. Cum de divinæ voluntatis affectibus ſermonem habituri ſimus, illos procul dubio ita in ipſa debemus admittere, ut ſine aliqua imperfectione in Deo reperiri aſſeramus. Porro affectus iſti novem recenſentur a S. Th. 1. 2. q. 25. art. 2. 3. & 4. videlicet, Amor, odium, Deſiderium, Fuga, Spes, Deſperatio, Timor, Gaudium, ſeu Delectatio, & Triſtitia. Sunt autem ex iſtis aliqui in ſua formali notione, ac ſecundum ſe imperfectionem involuentes, quos perinde excludendos a Deo dicemus, aliqui vero non ſecundum ſe imperfecti, ſed tantum propter ſubiectum creatum, in quo reperiuntur. Sed ut clarius rem totam explicemus.

ARTICULUS I.

An in Deo ſint Amor, & Odium, & quomodo.

2. Dicendum 1. Eſſe in Deo amorem proprie dictum, ait enim Apoſtolus Joannes cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* & epiſ. 1. cap. 4. *Deus Charitas eſt*, præter alia innumera teſtimonia quæ nota ſunt omnibus ſcripturam ſanctam legentibus. Ad hoc autem probandum optimum eſt argumentum, quod affert Doctor Angelicus 1. p. q. 20. art. 1. nimirum, in Deo intelligi non poſſe voluntatem, quin intelligatur amor, ſicut igitur voluntas in Deo eſt, ita & amor. Hic enim aliud non eſt, ut ait Ariſt. 2. Rhetoric. cap. 4. quam actus, quo quis alicui vult bonum, aliud ergo non eſt in Deo amare, quam velle, alioquin conciperemus voluntatem in Deo ſine aliquo actu. Pro quo ſciendum eſt, amorem ita eſſe actum voluntatis, ut ſit primus ejuſdem actus, quia ceteri actus referuntur ad bonum ſub aliqua peculiari ratione conſideratum, ut patet in gaudio, quod eſt de bono præſenti amato, de odio, quod non eſt niſi de eo, quod amatæ opponitur rei, & ſic de triſtitia aliiſque actibus voluntatis loquendo, amor autem reſpicit bonum ſub communi conſideratione, ſive ſit poſſeſſum ſive non; quod autem communius eſt, etiam prius eſt; Unde etiam intellectus prius fertur in verum commune, quam in quodlibet verum particulare.

3. Porro in quolibet amoris actu duplex reperitur reſpectus, ut advertit S. Th. 1. 2. quæſt. 26. art. 4. unus ad rem cui volumus bonum, alter ad ipſum bonum, quod volumus, juxta priorem reſpectum dicitur amor amicitiæ, juxta poſteriorem amor concupiſcentiæ; cum vero utrumque in Deo oporteat reperiri, cum ipſi integra amoris ratio ſit concedenda, quæritur, utrum amor Dei, prout dicitur amicitiæ, referri poſſit ad creaturas irrationales, an vero tantummodo, prout dicitur concupiſcentiæ; atque hoc cum S. Th. hic art. 2. ad 3. & Scoto in 3. diſ. 31. quæſt. 1. ad 2. pro certo concludendum eſt; etenim amor amicitiæ non contingit, niſi ubi eſſe poteſt mutuus amor, & communicatio in operibus vitæ, hic autem invenitur quidem inter Deum, & creaturas rationales, non tamen irrationales, itaque iſtas amore amicitiæ minime proſequitur, atque hoc contingit etiam in

amore noſtro, ſiquidem, ut notat Ariſt. 7. Ethic. ad Eudemum cap. 8. aliquando beſtiis in circo certantibus amore afficimur, nec tamen amore amicitiæ diligimus, quia eas ob noſtram utilitatem, vel commoditatem amamus; ſic igitur etiam Deus non amat creaturas irrationales niſi amore concupiſcentiæ; quia ita amat, ut eas dirigat ad rationales, & etiam ad ſe ipſum; non quia ipſis indigeat, ſed propter ſuam bonitatem & noſtram utilitatem; concupiſcimus enim aliquid & nobis, & aliis, quæ ſunt verba S. Th. loco laudato.

4. Quamvis vero divinus amor ſic in omnia feratur, *diligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*, Sap. 2. attamen non in omnia fertur æqualiter, ſi loquamur ex parte boni, quod illis vult; ratio clariſſima eſt, quia ſi amare eſt velle bonum, velle bonum majus, erit magis amare, ſed in iis, in quibus majus bonum apparet, majus bonum Deus voluit, cum Deus ille ſit, a quo omnis bonitas exiſtens deſcendit, igitur bonum majus magis diligit; atque hoc conſonum eſt ſcripturæ dicenti Eccl. 13. *Omne diligit ſibi ſimile* quo autem aliquid eſt bonum majus, eo eſt Deo magis ſimile, igitur & magis amatur.

5. Non ita diſcurrendum, ſi ſermo ſit de amore divino ex parte ipſius actus divini; etenim cum actus divinæ voluntatis ſimpliciſſimus, ſit capax non eſt majoris, vel minoris intenſionis, immo hujuſmodi actus eſt ipſa Dei ſubſtantia, quæ ſemper eadem & æqualis eſt. Totum autem hoc explicatur a S. Th. hic art. 3. in corp. ubi poſtquam adduxerit verba Auguſtini tract. 110. in Joan. quæ ſunt iſta. *Omnia diligit Deus, quæ fecit, & inter ea magis diligit creaturas rationales, & illis eas amplius, quæ ſunt membra Unigeniti ſui, & multo magis ipſum unigenitum ſuum*. Inquit; *Cum amare ſit velle bonum alicui, duplici ratione poteſt aliquid magis, vel minus amari. Uno modo ex parte ipſius actus voluntatis, qui eſt magis, vel minus intenſus, & ſic Deus non magis quædã aliis amat, quia omnia amat uno, & ſimplici actu voluntatis, & ſemper eodem modo ſe habet; alio modo ex parte ipſius boni, quod aliquis vult amato, & ſic dicimus aliquem magis alio amare, cui volumus majus bonum, quamvis non magis intenſa voluntate; & hoc modo neceſſe eſt dicere, quod Deus quædam aliis magis amat. Cum enim amor Dei ſit cauſa bonitatis rerum, non eſſet aliquid alio melius, ſi Deus non vellet uni majus bonum, quam alteri.*

6. Sicut autem amoris affectum Deo tribuimus, ita videtur, ipſi tribuendus etiam affectus odii; qua in re conſentur oppoſitum ſentire S. Th. 11. contra Gent. cap. 99. Ferrarien. ibidem, & Capreol. in 1. diſ. 45. quæſt. 1. art. 1. concl. 8. contendentes, odium tantum metaphorice in Deo reperiri. Porro duplex odium diſtinguamus oportet; unum quod dicitur abominationis, & eſt diſplicentia mali, quod quis patitur, vel alius; aliud inimicitiæ, & eſt velle alicui malum, quatenus malum illius eſt ex diſplicentia perſonæ, generatim autem definitur, *diſſonantia appetitus ad id, quod ut repugnans, & nocivum apprehenditur, & apparet*, ex S. Th. 1. 2. quæſt. 29. art. 1.

7. Aſſertio tamen noſtra, ſi de odio abominationis loquamur, aperte traditur ab eodem S. Th. 1. par. quæſt. 20. art. 2. ad 4. ubi dicit, *Nihil prohibet, unum & idem ſecundum aliquid amari, & ſecundum aliquid odio haberi. Deus autem peccatores, in quantum ſunt naturæ quædam, amat; ſic enim ſunt, & ab ipſo ſunt; in quantum vero peccatores ſunt, non ſunt, ſed ab eſſe deficiunt, & hoc in eis a Deo non eſt; unde ſecundo hoc ab ipſo odio habentur*. Suadent autem hoc divinæ ſcripturæ. Sap. 14. *Similiter odio ſunt Deo impius, & impietas ejus* Proverb. 15. *Abominatio eſt*

eſt Domino via impii. Pſalm. 5. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem*, & Pſalm. 44. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem*. In quo textu ita fit ſermo de dilectione erga juſtitiam, ſicut de odio contra iniquitatem, dilectio autem erga juſtitiam propria eſt non metaphorica, ergo etiam odium contra iniquitatem non metaphoricum, ſed proprium eſt.

8. Ratio etiam naturalis in promtu eſt; nam ſicuti Deus ex natura ſua neceſſario ſumme juſtus, ac ſanctus eſt, ita fieri non poteſt, quin odio habeat quidquid juſtitiæ contrarium eſt, ac ſanctitati; quod experimur in nobis, qui ſi ſumme bonum aliquod amamus, odio habemus quidquid huic bono oppoſitum cenſemus. Quare ex eadem radice, ex qua oritur amor, oritur & odium; & dum bonum proſequimur, malum fugimus, ac deteſtamur, atque ideo quamvis odium terminetur ad malum, & nullus actus divinæ voluntatis ſic terminari poſſit, hoc verum eſt adinſtar proſequtionis, falſum adinſtar fugæ.

9. Sed peculiaris difficultas fit de odio inimicitiæ, quod reſpicit malum ex diſplicentia perſonæ, ſeu ex odio contra perſonam; & quidem ſiſtendo in verbis S. Th. ſuperius laudatis odium inimicitiæ in Deo non reperitur, quamvis ingenioſiſſimus Pater Vaſq. diſp. 84. cap. 3. contrarium docere contendat, dicens peccatorem hujuſmodi odii eſſe obiectum, quod probat, quia, licet peccator, ut creatura, & homo eſt, Deo non diſpliceat, attamen diſplicet ut peccator, atque ipſi, ut tali pœnam, tanquam ejus malum, infligit; Prior tamen ſententia magis placet; cum odium Dei nunquam terminetur ad perſonam, ſed ſolum ad aliqua accidentia, quæ ſunt circa perſonam, & per quæ, ita non aliter accidentario modo determinatur, ſicut eſt peccatum, per quod homo dicitur peccator. Porro ad odium inimicitiæ non ſufficit, quod velimus malum aliquod alicui infligere, ſed requiritur, ut infligatur propter perſonæ deteſtationem. Manifeſtum eſt hoc in Patre, qui filium ſuum caſtigat, & pœnam vult, tanquam malum ejus, nec tamen odit. Hoc magis dicendum de Deo, qui licet odio habeat, & iniquitates, & iniquos, ipſis tamen plurima beneficia non denegat, immo, quantum ad ſe attinet, illos avocat ab iniquitatibus. Docuit hoc præſertim Sanctus Auguſtinus tract. 110. in Joan. dicens. *Deus habebat erga nos charitatem, etiam cum inimicitiam adverſus eum exercentes, operaremur iniquitatem. Proinde miro, & divino modo, & quando nos oderat, diligebat, oderat enim nos, quales ipſe non fecerat, & quia iniquitas noſtra opus ejus non omni ex parte conſumpſerat, noverat ſimul in unoquoque noſtrum, & odiſſe quod feceramus, & amare quod fecerat*, & amplius lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. *Odit Deus, nec in quantum homines ſunt, nec inquantum vaſa ſunt, id eſt, nec quod in eis fecit creando, nec quod in eis fecit ordinando pœnam, nihil enim odit eorum, quæ fecit*. Quemobrem ſtrictiſſime argumentum pro re mea ſic conficio. Odium inimicitiæ verſatur circa perſonam propter ipſam perſonam, ſed odium Dei verſari nequit circa perſonam, ut perſona eſt, ſed ſolum circa ea, quæ ſunt in perſona, ergo odium Dei nequit eſſe inimicitiæ.

ARTICULUS II.

Refelluntur ea, quæ militant contra prædicta.

10. Primo opponitur. Amorem in Deo dari non poſſe; eſt enim amor una ex paſſionibus animi, & quidem, ut ait Dionyſius de divin. nomin. cap. 4. *eſt vis unitiva, & concretiva*, quæ a Deo, utpote ſumme ſimplici, removeri debet.

Reſp. amorem eſſe unam ex paſſionibus non ſecundum ſuum conceptum eſſentialem, ſed propter ſubiectum in quo reperitur, eſt ſiquidem paſſio, quando vis cognoſcitiva non movet, niſi media appetitiva, ut contingit in nobis, & ideo, quia actum appetitus ſenſitivi concomitatur aliqua tranſmutatio corporis, præſertim circa cor, quod eſt primum principium motus in animali, ſit amorem in nobis eſſe paſſionem, quod non eveniret, ſi eſſet tantummodo actus appetitus intellectivi; ſic autem eſt in Deo, proinde eſt ſine paſſione. Neque reluctamur, amorem in Deo eſſe vim unitivam, & concretivam, abſque tamen aliqua compoſitione; ſi enim loquamur de amore erga ſe ipſum, vult ſibi omne bonum, quod aliud non eſt, quam ipſe Deus, ſi vero de amore erga creaturas, iſtis vult bonum, quod refert ad ſe ipſum, & ſic illis aggregat ſibi, habens ſe ad eas, ſicut ad ſe ipſum.

11. Secundo opponitur contra id, quod dictum eſt num. 4. Videtur enim Deus omnia æqualiter diligere, juxta id, quod legitur Sap. 6. *Æqualiter eſt illi cura de omnibus*. Præterea. Plus bonitatis eſt in natura Angelica, quam in humana, illa enim perfectior iſta, & tamen plus dilexit Deus humanam, quam Angelicam, cum illam aſſumpſerit, nequaquam iſtam dicente Apoſtolo ad Hebr. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*. Unde & Chriſtus minor Angelis effectus eſt; *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*. Pſalm. 8. Rurſus. Non tantum bonitatis eſt in toto humano genere, quantum in Unigenito Filio Dei, & tamen plus dilexit Deus genus humanum, quam unigenitum ſuum, quem pro nobis tradidit; ergo. Item. Melior pænitente peccatore eſt innocens homo, & tamen plus diligitur à Deo peccator pœnitens, quam innocens, dictum eſt enim Luc. 15. *Majus gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pænitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pænitentia* gaudium autem de aliqua re commenſuratur amori, quo aliquis eam proſequitur, non ergo ſemper Deus plus diligit, quod eſt majus bonum. Adde modo, meliorem eſſe juſtum, qui reprobus ſit, quam peccator, qui prædeſtinatus ſit, hunc autem plus à Deo diligi, in dubium revocare non poſſumus, cum iſti non illi velit vitam æternam.

12. Reſp. primum textum probare, curam Dei nulli deficere; dat enim nivem ſicut lanam, & providentia ſua ſe ſe extendit ad homines, & ad volucres cœli, ac pecora campi, modo tamen omnibus conſentaneo omnia æquali ſapientia, atque bonitate adminiſtrando, non ita tamen, ut omnibus æqualia bona largiatur, in qua bonorum largitione divinus amor conſiſtit. Neque ita de ſcientia, ac voluntate Dei diſcurrendum eſt, ſicut de amore, ita ut quemadmodum non ſcit nec vult unum magis, quam aliud, ita etiam plus unum, quam aliud, non amet; ſiquidem intelligere, & velle per ſolos actus explicantur, nec in ſua ſignificatione aliquod obiectum ſignificant; amare autem refertur ad obiectum, quod ſi majus bonum ei conferatur, dicitur magis amari, minus vero, ſi minus.

Ad 2. Natura humana aſſumpta à Verbo melior effecta fuit natura Angelica, ſi vero ſecundum naturalia ſpectetur, Angelica natura humanam excedit, & ſub hac conſideratione plus diligitur angelica, quam humana. Quod vero aſſumpſerit humanam, non angelicam, non poteſt abſolute dici illam fuiſſe magis dilectam, ſed illam magis indiguiſſe, rem explicat S. Th. hic art. 4. ad 2. aptiſſimo exemplo dicens. *Quantum ad conditionem naturæ Angelus eſt melior homine, nec ideo humanam naturam aſſumpſit Deus, quia hominem abſolute plus diligeret, ſed quia plus indigebat; ſicut bonus Paterfamilias aliquid*

quid pretioſius dat ſervo ægrotanti, quod non dat filio ſano.

Ad 3. tene quod ait S. Auguſtin. tract. 110. in Joan. *Omnia diligit Deus, quæ fecit, & inter ea magis diligit creaturas rationales; & illis eas amplius, quæ ſunt membra unigeniti filii ſui, & multo magis unigenitum filium ſuum*, & rurſus. *Quis digne poſſit explicare, quantum diligat membra unigeniti filii ſui; & quanto amplius ipſum unigenitum ſuum, in quo condita ſunt omnia viſibilia, & inviſibilia, quæ in ſuis generibus ordinata ordinatiſſime diligit?* Tradidit quidem ipſum pro humani generis redemptione, ſed in hoc magis apparuit, eum plus dilexiſſe, quia ex hoc datum eſt illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut omnia ad ſe ipſum traheret, facto principatu ejus ſuper humerum ejus, ut legitur ad Philip. 2. & Iſaiæ 9.

Ad 4. ſi cætera paria ſint, melior eſt innocentia, quam pænitentia; Quia tamen divinæ gratiæ præſidio pænitens plerunque ex peccati præteriti contritione, ac deteſtatione multum emolumenti percipit, ac intenſius Deum, a quo peccando receſſerat, diligit, ideo gaudium fit in cœlo, pluſquam ſi in ſua innocentia perſeveraſſet. Ut hoc magis intelligas, perpendas ea, quæ tradam, ubi inquiram, an peccati permiſſio eſſe poſſit effectus prædeſtinationis. Neque omittas ea, quæ reſpondit Pater ille Clementiſſimus, dum prodigum filium ad ſe reverſum vidit, alteri filio, qui ſe fidelem ac obedientem ſemper præſtiterat; tunc etiam in illa domo gaudium factum eſt, magna parata cæna; dixit tamen Pater; *Fili omnia mea tua ſunt; epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus eſt.* Luc. 15. Totum hoc tribuendum potius miſericordię, quam majori amori.

Ad ultimum. Deum plus diligere peccatorem prædeſtinatum, quam reprobum juſtum, & eſt verum, & eſt falſum; Si ſumas prædeſtinatum pro eo tempore, quo peccator eſt, plus diligitur reprobus pro eo tempore quo juſtus eſt; ſi tamen ſumas prædeſtinatum per reſpectum ad æternam gloriam, juxta quem juſtus erit, & Deus illi inferet majus bonum, pluſquam reprobus diligitur prædeſtinatus.

13. Eſt & aliud argumentum, quod promovetur comparatione facta inter Petrum, & Joannem. Melior ſiquidem erat Petrus quia plus diligebat Chriſtum, interrogatus enim, *Simon Joannis diligis me plus his* Jo: 21. reſpondit, *Tu ſcis Domine, quia amo te.* diligebat ergo pluſquam diligerent alii, & tamen Joannes fuit magis dilectus à Chriſto, de quo dicitur ibidem; *Hic eſt Diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus.* Itaque non ſemper Deus amat meliora.

Huic argumento reſpondere præſumptioni tribuendum eſſe, judicat Sanctus Thom. hic art. 4. ad 3. Utrum enim Petrus dilexerit Chriſtum pluſquam Joannes omnino incertum eſt. *Spirituum ponderator eſt Dominus, & non alius.* Proverb. 16. Utrumque conciliare nititur S. Auguſtinus tract. ultimo in Joan. dicens, per Petrum ſignificari vitam activam, per Ioannem contemplativam; illa autem videtur plus Deus diligere, quia inter ærumnas, & anguſtias, quas patitur, ab eis liberari deſiderans cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; alia vero plus à Deo diligitur, quia magis illam conſervat, non enim cum vita corporis ſimul finitur, ſicut activa. Dici etiam cum aliis poteſt Chriſtum magis fuiſſe dilectum à Petro quantum ad majorem fortitudinem, & in membris ſuis, ideo ipſi commendavit Eccleſiam, magis vero à Ioanne quantum ad puritatem, & in ſe ipſo, ideo ipſi Matrem Virginem commendavit.

14. De odio Dei nihil dici poteſt præter ea, quæ dicta ſunt.

AR-

ARTICULUS. III.

Demonſtratur, reliquos voluntatis affectus Deo non convenire.

15. Supereſt modo aliquid profe-ramus de reliquis voluntatis affectibus, quos in Deo non reperiri procul dubio tenendum eſt, & primo id dicimus de deſiderio, fuga, ſpe, ac deſperatione. Iſti enim omnes in ſua ratione formali deformitatem, atque imperfectionem includunt; quid eſt deſiderium, quid fuga, niſi vel de bono non poſſeſſo, vel de malo futuro? At Deus omne poſſidet bonum perfectiſſimo modo, malum autem ipſi nullo pacto evenire poteſt, itaque neque deſiderium, neque fuga in eo reperiri poteſt. Hoc loquendo de bono, vel malo reſpiciente ipſum Deum, ſi autem ſermo fiat de bono, vel malo reſpiciente nos, deſiderium, & fugam Deo concedere poſſumus, deſiderat namque, ut ſancte ac pie vivamus, æternamque ſalutem comparemus, fugit vero flagitioſam vitam, quam in nobis videt futuram.

16. Spes etiam verſatur circa id, quod futurum eſt, nec evidenter cognoſcitur, cum dicat Paulus ad Rom. 8. *ſpes autem, quæ videtur, non eſt ſpes, nam, quod videt quis quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus*. Deus vero omnia futura evidenter agnoſcit; ſed quod potiſſimum probat eſt, ſpem reſpicere alium ſuperiorem, ac potentiorem, qui poſſit id, quod ſperatur, præſtare, hoc autem Deo omnium maximo, ac ſuperiori repugnat.

17. Timor autem, & triſtitia ſunt circa malum proprium, ille quidem circa malum imminens, iſta vero circa malum præſens, at Deo nullum malum contingere poteſt, & quamvis eſſe poſſint etiam circa malum alienum, ut in nobis experimur, hoc tamen ideo contingit, quia alienum malum tanquam proprium exiſtimamus, quod de Deo affirmari non poteſt.

18. Aliqua difficultas moveri poteſt, an ira ſit Deo tribuenda; porro definitur ira ab Ariſt. 1. de Anima cap. 1. text. 16. *Sanguinis, aut caloris ejus, qui circa cor eſt, fervor, & ebullitio*, & rurſus, *appetitio doloris viciſſim adverſario inferendi*; prior definitio iram explicat per effectum, & hoc pacto nulla controverſia eſſe poteſt, ſic enim in Deo non eſſe, compertiſſime conſtat; poſterior vero rationem ipſamformalem declarat; atque juxta Ariſtotelem loquuti ſunt etiam alii ſapientes viri, ut Cicero, Poſſidonius, & Seneca; *Ira eſt libido ulciſcendi* ait primus apud Lactant. in lib. de ira cap. 17. *Eſt cupiditas puniendi ejus, à quo te inique putas læſum*, inquit ſecundus apud eumdem cap. eodem; *Eſt concitatio animi ad ultionem voluntate, & judicio pergentis* ſcribit tertius lib. 1. cap. 2. Unde, & Sancti Patres dixerunt, vel eſſe *appetitum ultionis ex accepta injuria*, ut Damaſcen. lib. 2. de fide cap. 16. *vel eſſe appetitum recruciationis*, ut Nyſſen. lib. 4. Philoſop. cap. 13. Omnes definitiones iſtas reiicit Lactant. in laudato loco, atque illam definiens *eſſe motum animi ad coercenda peccata inſurgentis* in Deo proprie reperiri contendit.

19. Si poſtremam hanc definitionem acceptare velimus, hoc cum Lactantio concedere non reluctamur, ſiquidem ex ſcripturis ſanctis colligimus, Deum ad coercenda peccata nec non punienda inſurgere; *Revelatur ira Dei*, ad Rom. 1. *Neque in ira tua corripias me*, Pſalm. 37. *Quoniam ira in indignatione ejus*, Pſal. 29. *Et iratus eſt furore Dominus*, Pſalm. 105. Præter alia plurima teſtimonia.

20. Si vero priorem definitionem non reiiciamus, ut reiicere non debemus propter tot doctos viros, iram in Deo non eſſe neque ſecundum commotionem, & perturbationem, neque ſe-

cun-

cundum ſuam rationem formalem, affirmandum eſt, & hæc eſt communis tam Theologorum, quam Sanctorum Patrum ſententia. Ex Græcis Orig. hom. 2. in cap. 2. Judic. Chryſoſt. ſerm. de pæniten. Nazianz. in carm. Jambico &c. Ex Latin. Cyprian. ad Demetrian. Ambroſ. in Pſalm. 37. Auguſtin. epiſt. 137. &c. Quare concludit S. Th. lib. 1. contra Gent. cap. 89. dicens. *Ira longe a Deo eſt ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, non ſolum, quia affectus triſtitiæ eſt, ſed etiam quia eſt appetitus vindictæ propter triſtitiam ex injuria illata conceptam*. Ubicumque igitur ira de Deo affirmatur, illam metaphorice, & tantum quoad effectus exteriores intelligamus oportet; diſerte Auguſtinus cap. Enchridii 33. *Cum Deus iraſci dicitur, non ejus ſignificatur perturbatio, qualis eſt in animo iraſcentis hominis, ſed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ nonniſi juſta eſt iræ nomen accepit*. Effectum igitur iræ admittemus in Deo, quatenus ita in peccata ſe gerit, tanquam ſi iratus eſſet, non tamen affectum, quod etiam dicimus de membris, quæ plerumque Deo tribuimus, Explicavit hoc Tertullianus lib. 2. adverſus Marcionem cap. 16. qui refellens hanc Marcionis objectionem. *Si Deus iraſcitur, & æmulatur, & extollitur, & exacerbatur, ergo & corrumpetur, ergo & morietur*. Reſpondet. *Stultiſſimi, qui de humanis divina præjudicant, ut quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujuſmodi paſſiones, idcirco, & in Deo ejuſdem ſtatus exiſtimentur. Diſcerne ſubſtantias, & ſuos eis diſtribue ſenſus, tam diverſos, quam ſubſtantiæ exigunt, licet vocabulis commu nicare videantur. Nam, & dexteram & oculos, & pedes Dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione ſociantur. Quanta erit diverſitas divini corporis, & humani ſub eiſdem nominibus membrorum, tanta erit, & animi divini, & humani differentia, ſub eiſdem licet vocabulis ſenſuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas ſubſtantiæ humanæ, quam incorruptorios efficit incorruptibilitas ſubſtantiæ divinæ*. Locum hunc adduxi Tertulliani, quia veros in Deo quoſdam affectus, ac paſſiones, quamvis abſque aliqua imperfectione, admiſiſſe videtur.

21. Potiori jure à divina ſubſtantia pænitentiam removere debemus, hanc enim nec ſine animi dolore, nec ſine voluntatis, & conſilii mutatione intelligere, atque explicare non poſſumus. Rem totam abſolvat Auguſtinus, ait autem lib. 1. Conf. cap. 4. ſic Deum alloquens. *Amas, nec æſtuas, zelas, & ſecurus es, pænitet te, & non doles, iraſceris, & tranquillus es, opera mutas, nec mutas conſilium, recipis quod invenis, & nihil amiſiſti, nunquam inops, & gaudes lucris, numquam avarus, & uſuras exigis*. & lib. 5. de Trin. cap. 1. *Intelligimus Deum quantum poſſumus ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine indigentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco ubique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine ulla ſui mutatione omnia mutabilia facientem, nihilque patientem. Quiſquis Deum ita cogitat, etſi nondum poteſt omnimodo invenire quid ſit, pie tamen cavet, quantum poteſt, aliquid de eo ſentire quod non ſit*.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De juſtitia, & Miſericordia Dei, ipſiuſque Omnipotentia.

POst eorum, quæ voluntatis affectus appellantur, conſiderationem, ſupereſt, etiam de iis, quæ voluntatis virtutes, & perfectiones nuncupantur, non nulla in medium proferamus; præcipuum autem locum obtinent juſtitia, & miſericordia Dei, quæ potiſſimum per ſuam omnipotentiam exercentur, ideo de iſtis præſens erit diſputatio.

ARTICULUS I.

Sitne in Deo vera juſtitia.

1. NOn habetur hic ſermo de juſtitia in latiori quodam ſenſu conſiderata, prout ſcilicet omnium virtutum collectionem ſignificat; cum enim in Deo perfectiones omnes modo perfectiſſimo ſint, ſic in eo juſtitiam reperiri, ita certiſſimum eſt, ſicut Deum eſſe Deum dubitare non poſſumus, ſed de illa juſtitia fit quæſtio, quæ eſt ſpecialis virtns, quæque definitur à Ulpiano in l. juſtitia §. de juſtitia & jure, *conſtans & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuendi*. Hæc potiſſimum dividitur in diſtributivam, & commutativam juxta diverſam æqualitatem, quæ ſervari poteſt, aritmeticam videlicet, vel geometricam; hanc reſpicit diſtributiva ita ut non verſetur inter quantitatem rei, & rei, ſed inter perſonas, & perſonas, proinde harum ſtatum, & conditionem perpendendo præmia largiatur, vel pœnas infligat; illam vero reſpicit commutativa, ita ut verſetur circa quantitatem rei, & rei, dati videlicet ac accepti, proinde res quæ datur tanti valeant, quanti valet res, quæ accipitur, & habetur præſertim in commutationibus, & contractibus. De utraque inquiritur, utrum vere in Deo ſit.

2. Patet ex iſtis, duplex eſſe juſtitiæ munus, ſeu exercitium, unum in præmia largiendo conſiſtit, & ex hoc juſtitia præmiativa nuncupatur, alterum in pœnas infligendo, & ex hoc juſtitia dicitur vindex, ſeu ultrix.

Quæſtionem priori loco de juſtitia commutativa dirimemus, In qua quidem aſſerit Vaſquez diſp. 85. quæſt. 21. cap. 1. tam concordem eſſe pro parte negativa doctorum mentem, ut paucis retro annis nulla foret controverſia, nec ullam extituram fuiſſe opinatus ſit, niſi aliqui recentiores poſtea ſcribentes, id in dubium revocaſſent. etiam à nobis nihil agendum eſset, ſi hic perpenderentur illa, quæ de Chriſti ſatisfactione in tertio noſtro libro dicta ſunt, illam namque juxta ſtrictos juris apices fuiſse negatum eſt. Nihilo minus nunc rem peragemus ſolam juſtitiæ commutativæ naturam, & formalem conceptum conſiderantes.

2. Adnotandum eſt, quod, cum de aliqua re difficultas aliqua inſtituitur, eam ita debemus accipere, ſicut á Philoſophis, ac ſapientibus viris fuit definita; ſi enim novas liceat definitiones confingere, omne id, quod de creaturis dicitur, etiam de Deo affirmari poterit, & tunc tantum de nominibus erit controverſia; aut una virtus cum alia con-

Digitized by Google

confundetur. Hoc dico contra illos, qui aſſerunt, juſtitiam Dei non eſſe ejuſdem rationis cum juſtitia commutativa, quæ verſatur inter homines, ſed eſſe in altiori ordine conſtitutam, ab omnibus imperfectionibus defecatam, & nihilominus veram juſtitiæ notionem retinere; neque enim in juſtitia commutativa, inquiunt, eſt imperfectio ſecundum ſe, ſed dumtaxat prout contrahitur ad creaturas, proinde analogice dicitur de Deo, & creaturis,

4. Totum hoc inductione poteſt demonſtrari; ſiquidem miſericordia, liberalitas, ſcientia cum pluribus imperfectionibus in nobis ſunt, quia prima non eſt ſine quadam compaſſione, non eſt ſecunda ſine aliqua bonorum abdicatione, nec tertia ſine diſcurſu, & tamen proprie, & formaliter Deo conceduntur. Hoc porro contingit in juſtitia commutativa, quæ licet in nobis ſine imperfectione non intelligatur, attamen in Deo cum omni perfectione reperitur.

5. Incunctanter fatemur, plura, quæ in nobis imperfecta ſunt, formaliter ſine aliqua imperfectione ad Deum transferri, atque de ipſo ennuntiari, ut probant exempla adducta. Quamvis de liberalitate negari poteſt, cum ad Deum virtutes politicas transferre ridiculum ſit ex Ariſt. 10. Ethic. & ex S. Th. hic quæſt. 21. art. 1. in Corp. Sed conſiderandum eſt, hoc tunc ſolummodo evenire, quando ex parte obiecti formalis, quod ab operatione reſpicitur, imperfectio eſſentialiter non includitur ſi vero in ipſo imperfectio includatur, etiam in actu reperiri, neceſſum eſt, propter quod à Deo excluditur ira, timor &c. ſicut ſuperius dictum eſt; unde ſi doctrinam allatam acceptaremus, eadem ratione dici poſſet, iram in Deo eſſe altioris ordinis, nec ejuſdem rationis cum illa, quæ in hominibus reperitur, & hoc pacto in Deo eſſe admittendam. Ut igitur juſtitiam commutativam ad Deum formaliter transferant, in ejuſdem obiecto nullam imperfectionem reperiri, probare debent.

5. Sentiendum; In Deo non eſſe juſtitiam commutativam proprie dictam. Ita Scot. in 1. diſ. 46. quæſt. 1. in ſolutione argumentorum, in 4. diſ. 46. quæſt. 1. & omnes Scotiſtæ præter Pontium, Duran. Paludan.; Capreol. Sot. Gonet. Vaſq. Cacheran. contra Godoi, Alvarez, Nazarium, Suarez, Medinam, alioſque non nullos.

Probatur 1. Non eſt in Deo juſtitia commutativa proprie dicta, ſi reſpectu Dei nequit eſſe obiectum ipſius, ſed ita eſt, ergo. Probatur min. obiectum juſtitiæ commutativæ eſt æqualitas inter datum & acceptum, ſed reſpectu Dei nequit eſſe hujuſmodi æqualitas, ergo. majoris veritas deſumitur a communi Philoſophorum, ac Theologorum conſenſione, & traditur etiam à S. Th. 2. 2. quæſt. 61. art. 3. atque hic art. 1. ubi, ideo diſtinguit virtutem ſpecialem juſtitiæ à virtute juſtitiæ generalis, quia hæc in omni virtute reperitur, illa vero verſatur circa tria tantum bona, ideſt, pecuniam, honorem, & ſalutem, in quibus æqualitatem conſtituit, & ſervat. Probatur min. ex pluribus ſcripturæ textibus Job. 22. *Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris? Aut quid ei confert, ſi fuerit immaculata via tua?* 25. *Si juſte egeris, quid donabis ei, avt quid de manu tua accipiet?* An honorem, & gloriam? Sed hæc quid emolumenti conferunt Deo, qui honore, & gloria à nobis exhibitis opus non habet? Hinc Sancti Patres apertis verbis id, quod dicimus, tradiderunt. Auguſt. 1. confeſſ. cap. 4. inquit. *Reddis debitum nulli debens*. & in pſal. 83. *Debitorem Deus ſe ipſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo, non ei dicitur, redde quod accepiſti, ſed quod promiſiſti*. Bernard. ſerm. 1. de Annuntiat. *Neque talia ſunt hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam faceret, niſi eam donaret*. Anſelm.

ſelm. Proſolog. cap. 10. *Juſtus es, non quia reddis debitum, ſed quia facis, quod decet te ſummum bonum*.

7. Probatur ſecundo. Ipſum eſſe Dei, ac creaturæ juſtitiæ commutativæ proprie dictæ notionem adimit, ac eſſentiam, ergo in Deo nequit juſtitia commutativa reperiri. Probatur ant. eſſe Dei poſtulat, Deum ſe habere ſicuti Patrem, eſſe creaturæ petit, creaturam eſſe ſicuti parvulum filium; illud exigit dominium, hoc ſervitutem; atqui inter Patrem, & Filium, dominum, & ſervum adimitur ex Ariſt. 8. Ethic. cap. ultimo juſtitiæ proprie commutativæ notio, ergo. Hinc de obſequio præſtito à filiis erga parentes, & ſervitute præſtita à ſervis erga dominos bonitas quidem, & æquitas affirmari poteſt, non tamen juſtitia ſtricte dicta, dicente eodem; *Qui quoad poteſt obſequitur, bonus, & æquus eſſe videtur*, quod etiam aſſeruit S. Th. 2. 2. quæſt. 101. dicens, ex cultu erga parentes, & alimentorum ſubſidio conſtitui quamdam virtutem, ſcilicet pietatem, quæ eſt pars poteſtativa juſtitiæ, proinde deficit à juſtitiæ propriæ ratione.

8. Quod ſi modo jure Cæſarum ſtatum eſt, ut habetur in l. *Cum oportet* cod. de bonis, quæ liberis &c. & inſtit. *Per quas perſonas &c.* §. *Igitur liberi*. Tum ex l. 2. §. De Caſtrenſi peculio; poſſunt filii ſtricte contrahere cum parentibus; Hoc ideo factum eſt, quia Filii poſsunt habere aliarum rerum dominium, quas à Patre non accipiunt, ſed ipſis aliunde adveniunt, vel ſunt caſtrenſia; At hoc evenire non poteſt in creatura per reſpectum ad Deum, nihil enim habere poteſt creatura, cujus Deus non ſit perfectiſſimus dominus, & ita quidem, ut huic dominio nullo pacto Deus cedere poſſit; Quare ſicut filius nihil habens præter ea, quorum Pater eſt dominus, non poteſt ex juſtitia contrahere cum Patre, ita creatura non poteſt ex juſtitia contrahere cum Deo.

9. Quia vero adverſantes Doctores inquiunt, hoc verum eſſe, ſi loquamur abſolute, non vero in hypotheſi, in qua Deus alicui operi oneroſo adimplendo à creatura promittat ſe redditurum mercedem, in quo caſu dependenter a propria voluntate ſe obligat, ideo.

Probatur 3. aſsertio noſtra. Si inter Deum, & creaturam excogitari poteſt juſtitia commutativa, præſertim propter opus aliquod, cui Deus promiſit, ſe præmium redditurum, ſed ex hoc juſtitia commutativa probari non poteſt, ergo. Probatur min. Promiſſio Dei non poteſt à Deo auferre perfectum dominium, quod ita eſsentiale eſt, ſicut eſt eſse Dei, nec Deus aliquam injuriam faceret creaturæ, ſi ipſi negaret, quod promiſit, ſed faceret injuriam ſuæ veracitati, & fidelitati, juxta quam operari debet, non ne injuſtus dicatur, ſed infidelis, & mendax, ergo ex promiſſione Dei non poteſt juſtitia commutativa probari; ex alia parte non poteſt probari ex opere oneroſo, cui facta promiſſio eſt; 1. quia opus hoc creatum eſt, & continetur ſub perfecto dominio Dei. Secundo quia opus idem plus eſt à Deo, quam à creatura propter concurſum Dei ſimultaneum ita neceſsario exigitum, ut creatura poſſit operari, & propter concurſum gratiæ, ſine qua, etiamſi libere factum à creatura, nullo pacto meritorium eſset, 3. quia ipſa libertas, per quam operatur creatura, eſt magis ſub poteſtate Dei, quam creaturæ, ergo.

Ad horum omnium majus robur, & explicationem ea legere non pigeat, quæ de Chriſti ſatisfactione, utrum fuerit ex toto rigore juſtitiæ, dicta ſunt.

10. Interea idem oſtendere placet etiam juxta mentem, & doctrinam Sancti Thomæ. Clariſſime id tradit 1. p. quæſt. 21. art. 1. in corpore, ubi poſtquam dixerat, duplicem eſse ſpeciem juſtitiæ, commutativæ ſcilicet ac diſtributivæ, inquit de illa, *& hæc non competit Deo*. Aliud teſtimonium producit ex

ex eodem loco Tournely, quod tamen ego apud S. Th. non inveni, & eſt hoc. *Cum omnia noſtra ex Deo ſint; nec quiſquam quidpiam dederit pro quo ſibi à Deo retribuatur, jure in ipſo juſtitia commutativa non eſt*. Quod in dubium revocari non poteſt, illud eſt, quod habet 1. 2. quæſt. 114. art. 1. in corpore, atque hic omnia verba proferam. *Juſtitia æqualitas quædam eſt*, ut patet per Philoſophum 5. Ethic. *Et ideo ſimpliciter juſtitia eſt inter eos, quorum eſt ſimpliciter æqualitas, eorum vero, quorum non eſt ſimpliciter æqualitas, non eſt ſimpliciter juſtitia, ſed quidam juſtitiæ modus eſſe poteſt, & propter hoc in his, in quibus eſt ſimpliciter juſtum, eſt etiam ſimpliciter ratio meriti, & mercedis; In quibus autem eſt ſecundum quidjuſtum, & non ſimpliciter; in his etiam non ſimpliciter eſt ratio meriti, ſed ſecundum quid, in quantum ſalvatur ibi juſtitiæ ratio. Manifeſtum eſt autem, quod inter Deum, & hominem eſt maxima inæqualitas, infinitum enim diſtant, & totum, quod eſt hominis bonum, eſt à Deo, unde non poteſt hominis ad Deum eſſe juſtitia ſecundum abſolutam æqualitatem, ſed ſecundum proportionem quamdam &c.* Ex quibus manifeſte conſtat, juxta S. Thom. juſtitiam commutativam eſſe à Deo excludendam.

11. Godoi tamen alia S. Thomæ dicta in oppoſitum adducit. Hujuſmodi eſt illud, quod habet 2. 2. quæſt. 61. art. 9. ad 1. ubi ait. *Illa forma divini judicii attenditur ſecundum rationem commutativæ juſtitiæ, prout ſcilicet recompenſat præmia meritis, & ſupplicia peccatis*. ad 2. inquit; *conſiderare æqualitatem præmii ad laborem, quem aliquis pro Republica ſuſtinuit, ſpectare ad juſtitiam commutativam*. Subſumitur, ſed Deus retribuens præmia pro meritis conſiderat æqualitatem inter præmium, & laborem, quem creatura in ejus obſequium ſuſtinuit, ergo. quæſt. 166. art. 1. ad 2. dicit, *eſſe opus juſtitiæ commutativæ retribuere tantum pro tanto ex pacto*. ergo juxta S. Thom. juſtitia commutativa Deo non denegatur.

12. Hoc ego non exiſtimo; etenim ad juſtitiam commutativam non ſolum pertinet, recompenſare præmia meritis, & ſupplicia peccatis, ſed etiam poſtulat hujuſmodi recompenſationis obligationem, ita ut, ſi recompenſatio non fuerit, injuſtitia ſtricte dicta committeretur, quod tamen in Deo non contingeret; Quare in textu eſt ſermo de juſtitia commutativa improprie dicta, & ſecundum quandam ſimilitudinem, quæ deſumi poteſt ex iis, quæ in creaturis eveniunt; Per hoc explicatur etiam ſecundum, nec enim Deus ita retribuit præmia pro meritis, ſicuti Reſpublica; hæc enim recipere poteſt à Civibus, nec habet ſuper opera civium dominium illud, quod habet Deus ſuper opera creaturæ, qui nihil recipere poteſt à creatura, niſi quod ſibi debitum eſt, ſicut Pater à Filio, & Dominus à ſervo, juxta dicta. In 3. manifeſte eſt ſermo de hominibus. Cæterum, etiam S. Thomas admittit, Deum præmia largiri ultra condignum, & pœnas infligere citra condignum, non igitur reddit tantum pro tanto, niſi in conſideratione, & proportione geometrica, quæ juſtitiæ commutativæ non ſufficit.

13. Ex hac doctrina refello unum ex præcipuis momentis, quæ adduci in contrariũ ſolent; atque hoc eſt ex ſcripturis ſacris; Mat. inquiunt, 20. dicitur, *Simile eſt regnum cœlorum Patri familias, qui exiit conducere operarios in vineam ſuam &c. Cum ſero factum eſſet, dixit vineæ procuratori, voca operarios, redde illis mercedem &c. Nonne de denario conveniſti mecum, tolle, quod tuum eſt*. Porro merces pro labore in vinea, & verba *ſuum*, & *tuum* juſtitiam commutativam ſignificant, igitur &c. Rurſus Mat. 13. *Simile eſt regnum cœ-*

lorum theſauro abſcondito in agro &c. qui invenit, vendit omnia, quæ habet &c. Simile eſt homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventa autem una pretioſa margarita abiit, & vendidit omnia &c. & emit eam; At emere & vendere pertinet ad juſtitiam commutativam, ergo.

14. Refellitur inquam, etenim parabolæ ſunt quædam ſimilitudines, quibus nobis aliquid ſignificetur, neceſſe tamen non eſt ut omnia ſtrictè ſumantur; etenim etiam regnum cœlorum comparatur decem Virginibus, quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes, & ſi valeret, quod dicitur in prima, merces operibus noſtris danda non eſſet a Deo, qui eſt Paterfamilias, ſed ab aliquo alio, qui procuratoris munere fungeretur. Laboramus igitur in vinea, & ſero recipiemus æternam gloriam, tanquam laborum mercedem, quam reddet nobis juſtus judex, ſed juſtitia, non ſtricte tali, & commutativa, ſed ſolum remunerativa, ex ſui promiſſione, & liberalitate, etſi cum opere noſtro ſervante cum ipſa non arimeticam, ſed geometricam proportionem; & pro hac re ſatis dictum eſt in ſecundo opere noſtro in quæſt. de merito.

ARTICULUS II.

Sitne in Deo juſtitia diſtributiva.

15. Dicendum, niſi velimus quæſtiones de nomine inſtituere, & omnes rerum conceptus confundere, eſſe in Deo juſtitiam diſtributivam. Hanc ſententiam tradidit Scot. in 4. diſ. 46. quæſt. 1. & eam docent celebriores Scotiſtæ, aliquibus adverſantibus. Eam etiam expreſſis verbis tenuit S. Thom. hic quæſt. 21. art. 1. dicens. *Duplex eſt ſpecies juſtitiæ &c. Alia quæ conſiſtit in diſtribuendo, & dicitur diſtributiva juſtitia, ſecundum quam aliquis gubernator, vel diſpenſator dat unicuique ſecundum ſuam dignitatem. Sicut igitur ordo congruus familiæ, vel cujuſcumque multitudinis gubernatæ demonſtrat hujuſmodi juſtitiam in gubernante, ita ordo univerſi, qui apparet, tam in rebus naturalibus, quam in voluntariis, demonſtrat Dei juſtitiam. Unde dicit Dionyſ. 8. c. de divinis nominibus. Oportet videre in hoc veram Dei iuſtitiam, prout omnibus tribuit propria, ſecundum uniuſcujuſque exiſtentium dignitatem, & uniuſcujuſque naturam in proprio ſalvat ordine, & virtute.* Sequuntur communius recentiores contra Vaſquez, Cacheran. &c.

16. Probatur 1. juſtitia diſtributiva in eo ſita eſt, ut nequaquam ſervata æqualitate aritmetica, ſed geometrica, ſervetur æqualitas ſecundum proportionem ad perſonas juxta dignitatem, gradum, & conditionem in diſtributione communis boni ipſis debiti, quatenus ſunt partes alicujus Reipublicæ, ad quam pertinet hujuſmodi commune bonum; ſic enim definitur juſtitia diſtributiva, neque ab adverſariis negari poteſt; atqui Deus ita ſe habet, ut det unicuique, vel præmium vel pœnam ſecundum proportionem ad perſonas juxta dignitatem, gradum, & conditionem uniuſcuiuſque, æqualiter enim merenti dat æqualem gloriam in cœlis, plus merenti majorem gloriam, peccatoribus vero juxta peccata pœnam in inferis, ergo in Deo eſt juſtitia diſtributiva. Probatur min. ex pluribus ſcripturæ teſtimoniis, & quidem ſi de præaeſtinatis eſt ſermo, habetur Joan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. ad Rom. 2. *Reddet unicuique ſecundum opera ſua*. 2. ad Corint. 9. *Qui parce ſeminat, parce & metet*. Si vero de reprobis, notum eſt illud Apocal. *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*. Generatim vero de hac Dei juſtitia legimus pſalm. 84. *Juſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos*. pſalm. 118.

118. *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum*. Mat.25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*. 2. Ad Theſſalonic. 2. *Juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant*. Atque juxta hæc ſequitur quod ait Apoſt. ad Rom.2. non eſſe apud Deum perſonarum acceptionem, quia nimirum cuilibet perſonæ dat juxta meritorum menſuram, qua enim menſura menſi eritis, remetietur & vobis. Porro perſonarum acceptio juſtitiæ diſtributivæ opponitur, ergo in Deo eſt juſtitia diſttibutiva; in qua nulla imperfectio, ſed maxima relucet perfectio, quod in ſolvendis obiectis amplius apparebit.

17. Probatur 2.Ad juſtitiam diſtributivam pertinet unumquemque in ſuo loco collocare, ſed hoc præſtat Deus, qui Mat. 19. dixit, *Vos, qui ſequuti eſtis me in regeneratione cum ſederitis Filius hominis, ſedebitis & vos &c. ergo*.

18. Atque, cum hic juſtitiæ vindicis ſermonem fecerimus, duos in hac re errores placet proferre. Unus Marcionis fuit, qui a Deo, quem optimum prædicabat, vindicem juſtitiam, tanquam iniquam, ac ſumme dedecentem removebat; Alter eſt Socini, qui, ut catholicum dogma circa ſatisfactionem Chriſti convelleret, vindicem juſtitiam non eſſe Deo connaturalem affirmavit, ſed ſolummodo liberum divinæ voluntatis effectum, qui poteſt eſſe, vel non eſſe, eo modo quo liberum fuit Deo, mundum creare, vel non creare, atque ideo aſſeruit, non eſſe in Deo aliquod attributum, quod pro peccato neceſſario exigat ſatisfactionem. En illius verba cap. 16. prælection., *Nec enim in Deo eſt ulla juſtitia, quæ peccata omnino punire jubeat, cui ipſe renuntiare non poſſit, Eſt quidem in Deo perpetua juſtitia, ſed hæc nihil eſt aliud, quam æquitas, & rectitudo*. & infra. *Juſtitia iſta vulgari nomine ſic appellata, quæ miſericordiæ opponitur, Dei qualitas non eſt; ſed tantum effectus voluntatis ipſius*. Nota ergo contra Socinum, admittendam eſſe in Deo juſtitiam, tanquam particulare attributum, neque cum ejus bonitate & rectitudine confundendam. Contra vero Marcionem arguit Tertullianus lib. 2. cap. 13. dicens, *Omne juſtitiæ opus procuratio bonitatis eſt, quod judicando damnat, quod damnando punit; quod, ut dicitis, ſævit, utique bono, non malo proficit, Denique timor judicii ad bonum, non ad malum confert. Cæterum tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret, quod impune contemneret? quis cuſtodiret, quod ſine periculo amitteret? Legis malis viam latam, & multo frequentiorem, nonne omnes illa laberentur, ſi nihil in illa timeretur? Horremus terribiles manus creatoris; & vix a malo avellimur, quid ſi nihil timeretur?*

19. Hujuſce divinæ juſtitiæ tot ſunt argumenta, quot dolores, quos Unigenitus filius Dei, caro factus, tanquam noſtri vades & ſponſor ſuſtinuit; exegit creditor Deus ab ipſo ſatisfactionem pro peccatis noſtris, & qui peccatoris morte non delectatur, nonniſi juſtitiæ ſuæ neceſſitate juſtiſſimi Filii ſui morte delectatus eſt. Unde Apoſtolus ad Rom.3. ait. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum*. Tot argumenta, quot conſcientiæ noſtræ ſtimuli, quibus, ſi in peccatum aliquod prolapſi ſumus, premimur, & torquemur; Unde enim iſti? niſi ex intima ac certiſſima ſuaſione, ultricem juſtitiam nequaquam Deo deeſſe?

20. Dices ex Cacherano; admittendam quidem juſtitiam ultricem in Deo, attamen iſtam neque pertinere ad juſtitiam commutativam, neque diſtributivam, ſed ad quandam juſtitiam generalem, per quam ſervatur regimen, & providentia in Republica; Hoc autem

tem

tem laudatus Doctor ſic probat. Juſtitia vindicativa ea eſt, qua Princeps punit delicta infligendo pœnam, qua ſatisfit tam parti offenſæ, quam communitati, aliique a perpetrandis delictis detinentur, ſed huiuſmodi juſtitia neque eſt commutativa, neque diſtributiva, ergo. prob. mi. Non eſt juſtitia particularis commutativa, vel diſtributiva illa, ex qua non oritur obligatio ex juſtitia in ordine ad punienda delicta per inflictionem pœnæ, ſed ex juſtitia vindice non oritur obligatio ex juſtitia in ordine ad &c. prob. mi. obligatio in ordine ad puniendum non oritur præciſe ex juſtitia vindice, ſed ex quodam contractu cum Republica, per quem Princeps, dum juriſdictionem, ſeu poteſtatem accipit, ſe obligat ad recte exercendum munus ſuum, & ſervandas Reipublicæ leges, ergo. Quod amplius patet ex eo, quod ſupremus Princeps poteſt, ſi velit, impunitum relinquere aliquod ſcelus abſque alicujus injuria, & ſine læſione particularis juſtitiæ.

21. Præterea inquit, per juſtitiam vindicem nullum jus activum exigendi pœnam eſſe poteſt in Deo, ſicut per peccatum eſſet in reo jus paſſivum ſubeundi pœnam, at hoc dici non poteſt, & quia huic juri peccator libentiſſime cedit; & quia hoc jus paſſivumpertineret ad legem pœnalem, quæ in conſcientia non obligat, ergo.

22. Totum tamen hoc ruit, ſi perpendamus, non ita loquendum eſſe de juſtitia vendicativa, quam admittimus in Deo, ſicut de illa, quæ in hominibus reperitur. Hæc a latis legibus oritur, & ex contractu quodam inter Principem, & Rempublicam, quam Princeps gubernat, atque adminiſtrat, in quibus quidem legibus ſupremus Princeps diſpenſare poteſt, atque earumdem tranſgreſſores impunitos relinquere, cenſetur enim Reſpublica hoc eidem permittere, immo leges ipſæ permittunt; Oritur autem illa a divina ſanctitate ac perfectione, quæ eſſentialis eſt Deo, & ſine qua Deus ipſe deficeret, per quam ſicut ſumme amat ſe ipſum, ita ſumme odio habet peccatum, quod etſi ex vi ſuæ libertatis poſſit hac vel illa pæna mulctare, vel etiam dimittere, attamen abſolute impunitum relinquere non poteſt, immo in dilecto filio ſuo, ſupra cujus dorſum fabricaverunt peccatores, punitum voluit, & puniendum ab æterno decrevit. Quod ſi, juxta principia a nobis alibi ſtabilita, poteſt peccatum per puram extrinſecam condonationem dimitti, hoc probat, tunc futuram non eſſe juſtitiam in actu ſecundo, non in actu primo, & ſi hoc argumentum probaret, ſequeretur, neque in Deo eſſe miſericordiam, aut omnipotentiam, quia Deus potuiſſet nemini miſereri, & nihil omnino producere. Ex dictis patet, quid addito in argumento reſpondendum.

23. Ad 2. aſſero in Deo eſſe jus activum ad exigendam pænam a peccatore, & in iſto jus paſſivum ad pænam ſubeundam, cui peccator cederet quidem libentiſſime, ſed cedere non poteſt in re, donec perſeveret peccator, & Deo aliquo pacto non ſatisfaciat, & quamvis leges pænales apud homines in conſcientia non obligent, obligant tamen apud Deum, qui ſcrutatur renes & corda: & per hoc ſolummodo probatur, in legum pænalium inobſervantia novum peccatum non committi, non tamen alia peccata non eſſe punienda, quod ad divinam juſtitiam ſpectat.

24. Op. 1. Deus nemini quidpiam debet, ſive loquamur de naturalibus cauſis, cum quibus poteſt pro ſua libertate nequaquam ad agendum concurrere, ſive de meritoriis, quarum opera potuit non ſolum attenta proportione, ſed etiam abſolute ſine aliquo præmio relinquere, propter abſolutum dominium, quod habet erga omnes creaturas; Neque Deus cenſendus eſt, ſicut

Rex

Rex in Republica, hic enim eorum, quæ ex juſtitia diſtributiva concivibus impertitur, dominus non eſt, ſed diſpenſator, Deus autem eſt omnium author, & abſolutus dominus, proinde pro voluntate ſua poteſt diſponere vel non diſponere, largiri, vel non largiri, quando voluerit, & quomodo voluerit, quin alicui faciat injuriam.

25. Reſp. argumentum valere de debito antecedente quamcumque divinam promiſſionem, ac diſpoſitionem, non ſic de conſequente eam promiſsionem; & quia promiſſio hæc non fuit abſoluta, ſed conditionata, ideſt ſub conditione operum, quæ ex gratia dignitatem, & proportionem haberent cum præmio, & mercede, ideo adimplere promiſſa non ſolum fidelitati, ſed etiam juſtitiæ diſtributivæ tribuendum eſt. Neque in hoc aliquod dominii ſui detrimentum ſentit, nam ſponte ſua ſe obligavit, & ita quidem, ut quemadmodum gloriam non tribuet, niſi finaliter perſeveranti, ita liberum ſit dare gloriam, ſicut liberum eſt, finalem perſeverantium concedere, quare juſte dabit, & omnino libere tanquam dominus dabit; Quod ſi finaliter perſeveranti non daret, tunc injuriam faceret ſibi, qui promiſit, & etiam operi meritorio, cui promiſit. Hinc Paterfamilias ille dixit operario. Amice non facio tibi injuriam, nonne de denario conveniſti mecum? feciſſet igitur injuriam, ſi juxta conventionem nequaquam dediſſet. Ex hoc ad ultimum, quod eſt verum nulla facta ſuppoſitione, non è contrario.

26. Op. 2. Deus in retribuendo ſpectat præciſe æqualitatem, ſeu proportionem inter gloriam & merita, non igitur attendit ad æqualitatem proportionum, niſi per accidens, & ex conſequenti, quod etiam conſtat ex eo, quod ſive plures ſive pauciores eſſent beati, gloria eſſet omnino eadem; immo ſi foret tantum unus beatus, æquali modo eſſet beatus, ſicut modo; itaque gloriam conſerre non pertinet ad juſtitiam diſtributivam, cujus eſt præmium uni non impertiri, niſi ſervata proportione, & comparatione ad alios.

27. Reſp. admiſſo hoc argumento quæſtionem fieri de ſolo nomine, & revera hujuſmodi eſſe exiſtimo, non enim fieri poteſt, ſervari proportionem inter gloriam, & merita, & non ſervari ad perſonas, in quibus ſunt ipſa merita, nec enim conceditur gloria meritis in abſtracto, ſed prout ſunt in perſona, quæ meruit. Verum autem eſt, eandem gloriam Deum largiturum eſſe, etiamſi tantum unus eſſet beatus, ſed tunc non ſerveretur juſtitia diſtributiva defectu juſtitiæ diſtributivæ, ſed defectu obiecti, circa quod, cum non eſſet, ſervari non poſſet, & beatus eſſet æque beatus, ſed non eodem modo, & cum eiſdem reſpectibus.

28. Dices. Hujuſmodi proportiones ſervari quidem in humana Republica, quia bonum inter concives diſtribuendum finitum eſt, & ſi plus daretur uni, alteri nihil remaneret; at hoc in divina gloria non eſt pertimeſcendum, quantumcumque enim gloriæ uni concedatur, alteri ſemper ſupereſt quid concedendum, Quare juſtitia diſtributiva nequaquam ſine imperfectione concipi poteſt.

Sed contra, argumentum probat, exercitium juſtitiæ diſtributivæ apud homines eſſe neceſſarium, non fuiſse vero neceſſarium apud Deum, qui omnibus potuiſset vel nihil dare, vel omnibus æqualiter dare; at cum ſtatuerit ſingulis conferre, prout, collata gratia, comparata merita poſtularent, ſtatuit etiam juſtitiæ diſtributivæ modum ſervare, & unumquemque in loco ſuo collocare. *In domo enim Patris mei manſiones multæ ſunt &c.* ut dictum eſt num. 16. Immo ex divitiarum ſuarum infinitate juſtitia diſtributiva colligitur, etenim ſine aliquo diminutionis diſcrimine

mine potuiſset conferre centum gradus gloriæ habenti tantum unum gradum gratiæ & meriti, nec tamen id præſtat, ſed vult tot gradibus meriti & gratiæ tot gradus determinatos gloriæ correſpondere, ergo.

29. Op.3. Miſericordia eſt in Deo, ergo non eſt juſtitia, cum effectus juſtitiæ, & miſericordiæ ſint omnino contrarii.

Reſp. miſericordiam, & juſtitiam ſine aliqua mutua oppoſitione in Deo eſſe, ſed effectus contrarios ſortiri ex diverſitate obiectorum, circa quæ verſantur, & pro diverſo tempore, quibus exercentur. Miſericordiam exercet in peccatores, dum ſtatim poſt peccatum eos non punit, aut etiam ſi in hac mortali vita punit, eo fine punit, ut reſipiſcant; juſtitiam vero exercet, dum finaliter peccatores in æternos abiicit cruciatus, quamvis & tunc miſericordiæ prorſus non obliviſcitur, juxta illud Caſſiodori in pſal.100. *Poteſtas Domini ſemper miſeretur, aut judicat, ſed nec ipſius miſericordia ſine judicio, nec judicium ſine miſericordia reperitur.* Immo perpendendo argumentum allatum, ſic inferrem. In Deo eſt miſericordia, ergo etiam juſtitia, cum in ſcripturis ſacris utriuſque fiat mentio, & utriuſque exempla perlegamus. De hac inferius. Alia ſibi opponit S. Th. in hoc articulo, cui nihil addendum videtur.

30. Verum in hac re ulterius progredi non placet, nec vel omnia verba vel omnia momenta partis adverſantis conſiderare, ac refellere. oppoſitam ſententiam non improbo, & fateor, in ea omnia ſervari, quæ de juſtitia Dei vel in Patribus dicuntur, nihilo tamen minus certum ſit, juſtitiam de Don non metaphorice tantum, ſed proprie affirmari, quamvis etiam ſolum communi quadam ratione conveniret. Ita Scoti mentem magis ſervo, qui loco citato argumenta quidem contraria ſolvere nititur, attamen de illa opinione loquendo, inquit, *Non improbando.* Sed iterum dico, quæſtionem hanc eſse de nomine, & juxta diverſam explicationem utramque ſententiam veram eſse.

ARTICULUS III.

Sitne in Deo miſericordia, & quomodo.

31. INane videtur hoc inquirere, cum miſericordiam Dei quidquid in terris apparet, quidquid in cælis eſt, prædicet, ac exaltet, nihil poſt peccatum miſerrimo homini ſupereſset, niſi id Dei miſericordia ſervaſſet; Univerſæ viæ domini miſericordia, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus, ita ut magna ſit ſuper cælos miſericordia tua Domine clementiſſime Deus. Hanc igitur in ipſo reperiri, omnes ſcripturæ teſtantur, quas non affero, cum notiſſimæ ſint, teſtatur & ipſa conſcientia noſtra, quæ illam quotidie experitur.

32. Eſt autem adnotandum, duo in miſericordia reperiri; Unum eſt de alterius miſeria triſtari, tanquam ſi propria miſeria foret; ideo nomen miſericordiæ a miſero corde derivatum accepimus. Alterum vero eſt voluntas ſublevandi, ſeu ſublevatio alienæ miſeriæ; Primum eſt tanquam ejuſdem materiale, ſecundum vero formale; Illud certe admitti nequit in Deo, a quo, utpote totius lætitiæ fonte, quilibet dolor, ſeu triſtitia removeri debet; Iſtud vero procul dubio in ipſo reperitur, & in hoc ſenſu loquuntur ſcripturæ, in quibus Dei miſericordia commendatur, nobiſque proponitur.

33. Quærit autem hic Scotus q. 2. an miſericordia in Deo ſit prior juſtitia; Eſt porro advertendum, juſtitiam bifariam poſse conſiderari; vel prout eſt aliquid divinæ bonitati conveniens, vel ut ſervat modum æqualitatis cujuſdam in rebus, puta inter meritum, & præmium;

Digitized by Google

mium; Si priori modo ſumatur, juſtitia prior eſt miſericordia, nam ideo Deus miſeretur, quia hoc ſuam bonitatem decet, & ideo ſe habet juſtitia ad miſericordiam, ſicut univerſale ad particulare; Unde Anſel. in Proſologio cap. 11. inquiit. *Sic igitur naſcitur de juſtitia tua miſericordia tua, quia juſtum eſt, te ſic eſſe bonum, ut & peccat ſit bonus*. Si vero poſteriori; miſericordia juſtitiam præcedit; cui enim coronam juſtitiæ daret juſtus judex, niſi miſericordiam conceſſiſset miſericors Pater? Ratio autem eſse poteſt duplex; prima, quia ſi de gloriæ retributione loquamur, hæc dependet ab operibus factis ex gratia, ſi de pænæ inflictione, hæc non contingit, niſi propter non uſum gratiæ libero arbitrio conceſsæ, gratiæ autem collatio ſemper ex miſericordia eſt, alioquin gratia non eſſet; Secunda, quia, Deum miſereri eſt ipſius Dei proprium, ac primaria divinæ voluntatis operatio, ideo dicit Eccleſia, *Deus, cui proprium eſt miſereri, ſemper & parcere*. Præmium autem largiri vel pœnas infligere ſpectat ad ſolam voluntatem Dei conſequentem habita noſtrarum operationum conſideratione, proinde &c.

34. Quærit præterea hic S. Th., an in omnibus operationibus Dei reperiatur miſericordia, & juſtitia, quod etiam fit a Scoto in 4. diſ. 46. q. 4. aliiſque doctoribus antiquis, quos hujuſce temporis Theologi, *ſi tamen Theologi*, ferme renuunt vel audire, vel legere.

Affirmative eſt reſpondendum, dummodo tamen per opus miſericordiæ intelligatur cujuſcumque defectus remotio, non enim quilibet defectus dici poteſt miſeria, ſed ſolum defectus naturæ rationalis, cui convenit eſſe poſſe felicem. Incipiamus a creatione; in hac producuntur res juxta ordinem divinæ ſapientiæ, ac bonitati convenientem, igitur ſervatur juſtitia, prout appellat debitum ex parte Dei, producuntur etiam ſecundum ea, quæ propriæ rerum naturæ conveniunt, itaque ſervatur juſtitia, prout appellat debitum creaturis; mutantur vero res de non eſſe ad eſſe, ut præexiſtentes in divina cognitione, ſervatur ergo miſericordia. Idem potiori jure dicas de conſervatione. Progrediamur ad juſtificationem impii, nunquid ſola miſericordia? Principem quidem obtinet locum, ſociam tamen juſtitiam habet; non enim juſtificatur impius per ſolam Dei gratiam, ſed per conſenſum præcedentem præſtitum gratiæ; diligat, conteratur oportet; ideo Luc. 7. dictum fuit Magdalenæ, *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*. Mihi fortaſſe oppones peccatorum damnationem, de quibus legitur Jacobi 2. *Judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecit miſericordiam*. At memineris, Deum quidem pænas omnino non relaxare, attamen circa condignum punire. Quamvis quædam opera tribuantur juſtitiæ, quædam miſericordiæ, quia in quibuſdam magis exercetur miſericordia, in quibuſdam magis juſtitia, attamen miſericordiam, & juſtitiam non omnino ſecernas. Audio te dicentem, in hoc mundo plures juſtos affligi, quod neque juſtitiæ, neque miſericordiæ opus eſſe poteſt; ſed è contrario plures injuſtos hujuſce mundi bonis perfrui, ac in omnibus proſpere ſe habere. Sed hoc non diceres, ſi quod de malorum felicitate inquit Auguſtinus epiſ. 138. ad Marcellinum; nempe, *nihil eſt infelicius felicitate peccantium, qua pænalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur*. & quod de juſtorum miſeriis ait Gregor. 26. Moral. cap. 9. nimirum, *Mala, quæ in hoc mundo nos premunt, ad Deum nos ire compellunt*. purgantur itaque juſti per hujuſmodi afflictiones ab aliquibus levibus, vel etiam gravibus jam quoad culpam dimiſſis, & hoc juſtitia eſt. per eaſdem ab affectu terrenorum in Deum ma-

magis eriguntur, & hoc miſericordia eſt. Verum de hac re amplius ubi de providentia divina habebitur ſermo.

ARTICULUS IV.

De Omnipotentia Dei.

35. Deum omnipotentem eſſe tanquam fidei articulum in Symbolo profitemur, & merito, cum in divinis ſcripturis id revelatum habeamus. *Numquid Deo eſt quidquam difficile?* Geneſ. 18. *Scio, quia omnia potes*. Job. 41. *Apud Deum non eſt impoſſibile omne verbum*. Luc. 1. *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt*. Mat. 19. Ratio autem maniſeſta eſt, quia Deus eſt ens perfectiſſimum, non eſſet autem, ſi omnipotentia careret, quia ſic aliqua perfectio ipſi deeſſet.

36. Ut vero hujuſce omnipotentiæ perfectionem inveſtigemus, ejus obiectum adæquatum ſtabiliamus, oportet; Qua in re dicendum eſt; non ſolum res creatas, ſed omne id, quod eſt poſſibile, ſeu non repugnans ex parte ſui, vel ex parte Dei, eſſe obiectum adæquatum divinæ omnipotentiæ.

Rem totam per ſingula declaremus; Si Dei omnipotentia ſe tantum ad ea, quæ fecit, extenderet, non vero ad alia, jam finita foret & exhauſta, ſed hoc omnino falſum eſt, nam ejus omnipotentia in re eſt ſua eſſentia, quæ infinita eſt, ergo non ſolum ad res creatas ſe extendit. Sed clariſſime aſſertionis veritatem inſinuant ſcripturæ, & Patres, Sap. 11. legitur. *Non impoſſibile erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa, immittere illis multitudinem urſorum, aut novi generis ira plenas ignitas beſtias &c.* Mat. 3. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*. Non exhibuit Deus Chriſto Angelorum legiones, ut illum ab hebræorum immanitate ſurriperent, potuit tamen, ideo Chriſtus Mat. 26. inquiit. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Non ſuſcitavit Judam, ſicuti Lazarum, potuit tamen, ideo Auguſtin. lib. de natura & gratia cap. 7. *Quia Dominus Lazarum ſuſcitavit, ſine dubio potuit, quia vero Judam non ſuſcitavit; numquid dicendum eſt, non potuit? Potuit ergo, ſed noluit, nam ſi voluiſſet, eadem etiam hoc poteſtate feciſſet*. Atque hic advertendum eſt, aliud eſſe Deum facere, aliud poſſe facere, facit quidem Deus, quia vult, non tamen poteſt facere, quia vult; Quod faciat, libertas in Deo eſt, quod poſſit facere, eſt in Deo neceſſitas.

37. Poteſt igitur totum illud efficere, quod repugnans non eſt, ſive repugnantia oriatur ex parte Dei, ſive ex parte rerum. Plura ſiquidem in ſe ipſis fieri poſſunt, quæ tamen a Deo fieri non poſſunt, quia illa poſſe facere non omnipotentia eſt, ſed imperfectio & infirmitas eſt. Hoc diſertis verbis explicat S. Auguſtinus in ſerm. de ſymbolo ad Catechum. cap. 1. dicens. *Omnipotens eſt, & cum ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt; Quam multa non poteſt, & omnipotens eſt, & ideo omnipotens eſt, quia iſta non poteſt; nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens, ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi inique agere, non eſſet omnipotens*. Alia vero Deus non poteſt, quia in ſe ipſis impoſſibilia ſunt, nec tamen hoc divinam minuit omnipotentiam, Deus enim non minus eſt omnipotens, quia poſſibilia poteſt, quam quia impoſſibilia non poteſt, ait frequenter idem Auguſtinus; Sic ex. g. aliquam rem præteritam non præteritam efficere Deus nequaquam poteſt; cum ſit contradictio; *Cum Deus omnia poſſit, non poteſt de corrupta facere incorruptam* ait Hieronym. de cuſtodia Virginit. ad Euſtoc. *Quiſquis ita dicit,*

Si

Si Deus omnipotens eſt, faciat, ut quæ facta ſunt, facta non fuerint: non videt, hoc ſe dicere, ſi Deus eſt omnipotens, faciat, ut ea, quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt, falſa ſint. Scribit Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum cap. 5. ubi infertur, quod quemadmodum Deus non poteſt facere eſse falſum, quod eſt verum, ita non poteſt efficere non eſse præteritum, quod præteritum eſt.

38. Atque, ut hæc omnia melius explicentur, atque intelligantur, prætereundum non eſt, duos errores fuiſſe; Unum eorum, qui dixerunt, Deum operari quaſi ex neceſſitate naturæ, ut ſicuti ex rerum naturalium operatione, alia, niſi quæ eveniunt, provenire non poſsunt, v. g. ex ſemine leonis leo, ita ex actione divina non poſſint aliæ res, ſeu alius ordo rerum præter eum, qui nunc eſt, proficiſci; Alterum eorum, qui exiſtimarunt, divinam potentiam ad hunc rerum curſum determinari propter ordinem ſapientiæ, ac juſtitiæ divinæ, ſine quo Deus nihil operatur. Primum nullo pacto admitti poteſt, etenim non neceſſario, ſed libere, & juxta conſilium voluntatis ſuæ Deus omnia operatur, neque hoc placet in dubium revocare, cum ex omnibus principiis Theologicis compertum habeatur. Secundum vero, ſi ita intelligatur, ut Deus nihil agere poſſit niſi juxta ſapientiam, ac juſtitiam ſuam, ideſt juxta id quod decet bonitatem ſuam, verum eſt, ſi autem ita, ut divina ſapientia, ac juſtitia limitetur ab aliquo rerum ordine, hoc eſt falſum; & ratio eſt, quia ratio ordinis, quem ſapiens rebus a ſe factis imponit, a fine ſumitur, & ideo ſi finis non excedat res propter finem factas, tunc ſapientia facientis ad aliquem determinatum ordinem limitatur, Cum igitur divina bonitas, quæ finis eſt omnium operationum Dei, omnes res creatas excedat, ſequitur, divinam ſapientiam ad aliquem rerum ordinem non determinari, proinde a Dei potentia poſſunt alia fieri, præter ea, quæ facta ſunt.

39. Secundo prætermittendum non eſt, aliam in Deo eſſe potentiam, quam ordinatam appellarunt S.Th. Scot. aliique Theologi, & aliam abſolutam; Doctor Angelicus illam ordinatam dicit, quæ ſequitur voluntatis imperium, eaque determinatur, illam vero abſolutam, quæ Deo convenit ſecundum ſe, nec ullo voluntatis tenetur imperio; Quare per primam id tantum Deus poſſe facere dicitur, quæ ſuppoſito ſuæ voluntatis decreto facere poteſt, per ſecundam vero comprehenduntur ea, quæ per ſe abſque ullo decreto facere poſſet. Scotus vero in 1. diſ. 44. q. 1. aſſerit, ordinatam potentiam illam eſſe, quæ per legem determinata eſt, & alligata, abſolutam vero, quæ legem non ſequitur, ſed ab ea ſoluta eſt; Sed quomodocumque explicetur, quando diximus, divinam omnipotentiam poſſe alia facere, præter ea, quæ fecit, de utraque potentia loquuti ſumus; Quod ſi homines ipſi plura poſsunt facere, quæ tamen non faciunt, neque facturi ſunt, hoc potiori jure de Deo affirmandum eſse quis non videt?

40. Fortaſse dices, ideo hoc contingere in hominibus, quia mutari poſſunt, & poſſunt aliquid de novo velle, è contrario Deus, qui ſi poſſet alia, præter ea, quæ voluit, poſſet etiam de novo velle, & ſic mutationi foret obnoxius. Sed contra; Ex hoc diſcurſu infertur tantum, quod Deus plura potuiſſet velle, quæ tamen noluit, & hoc fatemur. certe Deus nec fecit, nec faciet, niſi ea, quæ ab æterno voluit, potuit tamen facere etiam ea, quæ noluit facere, Jam dixi, in primo eſſe libertatem in Deo, in ſecundo vero eſſe neceſſitatem, nec ideo Deus omnipotens eſt, quia voluit facere, quæ fecit, ſed quia potuit facere, quæ nec fecit, nec voluit facere.

41. Hic vero in quæſtionem voca-

re non placet, an Deus producere poſſit infinitas ſpecies, infinita individua, mundumque perfectiorem, quam produxit; Punctum enim hoc ſatis, ſuperque a Philoſophis pertractatur, neque a nobis omiſſum eſt, dum de infinito, & creatura perfectiſſima diſputationem inſtituimus. Interea nonnulla ſubiiciemus, quæ contra infinitam omnipotentiam Dei proponi poſse videntur.

42. Primo opponitur, quia, ſicuti potentiæ ſimpliciter debet correſpondere terminus ſimpliciter, ita potentiæ infinitæ correſpondere deberet terminus infinitus, ſed nullus terminus afferri poteſt, qui ſit infinitus; ergo nec ulla potentia eſt infinita, itaque Dei potentia talis non eſt.

Reſp. immo ex quo nequeat afferri aliquis terminus infinitus, omnipotentia Dei eſt infinita, quia ſi poſset ille a nobis aſſignari, Deus non poſset ulterius producere, & ſic divina omnipotentia infinita non eſset, quia in ſui productiva virtute reperiretur exhauſta. Eſt igitur infinita omnipotentia Dei, quia re eſt eſsentia Dei, non quia infinitum producit, ſed quia in infinitum in quacumque linea poſſibili producere poteſt, & quidem infinitate abſoluta ex parte modi producendi, cum producat a ſe. Hoc eſt, quod indicare voluit S. Auguſtinus, dum ſerm. 213. de tempore inquit. *Omnipotens eſt ad facienda majora, & minora, omnipotens ad facienda cœleſtia, & terreſtria, magnus in magnis, nec parvus in minimis.*

43. Secundo opponitur ad probandum, Deum non poſſe niſi quæ facit, vel facturus eſt, proinde ejus omnipotentiam non ſe extendere ad omnia poſſibilia. Voluntas Dei ita eſt infinita, ſicut eſt ejus omnipotentia, ſed voluntas Dei non ſe extendit niſi ad ea, quæ facit, vel facturus eſt, ergo etiam ejus omnipotentia; & quidem hoc dicendum eſt, ſi perpendamus, ipſius voluntate etiam concludi ejus omnipotentiam; ita autem res eſt, dicente Auguſtino cap. 96. Enchiridii. *Non ob aliud Deus veraciter vocatur omnipotens, niſi quoniam quidquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

Reſp. obviam eſſe inſtantiam; voluntas Dei ita eſt infinita, ſicut Dei intellectus, ergo ſicut voluntas non ſe extendit niſi ad ea, quæ facit, vel facturus eſt, ita etiam ejus intellectus, & hoc pacto Deus nihil aliud præter iſta cognoſceret; Verum igitur eſt antecedens re, & quoad entitatem, non quoad tendentiam ad obiecta; & redit, quod jam dictum eſt, voluntatem Dei liberam eſſe omnipotentiam neceſſariam. Ad teſtimonium Auguſtini dicendum; Voluntatem Dei eſſe argumentum omnipotentiæ, non tamen rationem omnipotentiæ; & valet hoc, Quidquid vult, Deus poteſt, non tamen vult quidquid poteſt, ideo omnipotentia latius patet, quam voluntas.

44. Tertio opponitur; quia ſi Deus alia poteſt, utique meliora poterit, ſi autem meliora poteſt, indecenter operatur, ſi illa non profert, ſicut indecenter operaretur artifex, ſi meliora ſuæ artis opera non proferret.

Huic argumento pluries reſponſum dedimus; ex operibus creatorum artificum artificis increati opera non metiamur. Illi ſuam exiſtimationem ab ipſis obtinent, nequaquam Deus, qui in ſe perfectiſſimus eſt, atque ſuam gloriam non minus in minimis, quam in maximis rebus manifeſtat, & prout vult, manifeſtat; immo ea, quæ in ſe, ſeu obiective deteriora ſunt, magis enarrant gloriam Dei, qui infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat;

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De Divina Providentia.

ARTICULUS I.

Quid ſit divina providentia, & an ſit in Deo.

1. PRovidentiam hic noc conſideramus juxta vim & ſignificationem nominis, ſic enim idem eſt, quod prævidentia, ideſt antecedens futurarum rerum cognitio, vel procul videntia, ideſt a longe rerum notitia, vel porro videntia, quæ veluti ab excelſo cacumine cuncta proſpiciat, ſed in eo ſenſu illam ſumimus, in quo definivit illam Boet. de conſol. Philoſoph. proſa 6. dicenſ. *Providentia eſt ipſa illa divina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit, quæ cum in ipſa divinæ intelligentiæ puritate conſpicitur, providentia nominatur, cum vero ad ea, quæ movet, atque diſponit, refertur, fatum a veteribus appellatum eſt, ut ſit fatum rebus mobilibus diſpoſitio, per quam providentia ſuit quæque nectit ordinibus.*

2. Hanc Deo denegarunt, quotquot Deum eſſe denegarunt, illique impii, qui apud Jobum cap. 22. dixerunt; *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* Inter eos vero, qui Deum admiſerunt, primi divinæ providentiæ fuerunt infenſi Democritus & Epicurus, qui omnia caſu & fortuito contingere arbitrati ſunt; fuit & Cicero, qui, ut ſervaret hominum libertatem, negavit Deo eventuum futurorum circa liberas hominum actiones ſcientiam; fuit Ariſtoteles, qui aut dixit, Deum ex neceſſitate naturæ operari, aut res viles, & minimas nequaquam cognoſcere, quamvis in aliquo loco, præſertim 10. Ethic. cap. 8. de providentia Dei bene ſenſiſſe videatur, ait enim; *At vero qui mente operatur, & eum colit, diſponit optime is, & amiciſſimus Diis immortalibus eſt. Nam ſi Dii curam humanarum rerum, ut exiſtimatur, aliquam habere, rationi ſane conſentaneum fuerit, ipſos eſt gaudere, quod eſt optimum, maximeque ſibi cognitum, hoc autem fuerit ipſa mens.* Tandem Plato docuit, ut notarunt Gregor. Nyſſen. 8. Philoſophiæ cap. 3. & S. Th. 1. p. q. 22. art. 3. in corp. providentiam Dei tantum ſe extendere ad ſpiritualia, & incorruptibilia, reliqua vero per medios quoſdam dæmones gubernari. Brevius; Quotquot dixerunt fatali quadam neceſſitate, ac fortuito res humanas evenire, nullam Dei providentiam eſſe, profeſſi ſunt.

3. Dogma tamen Catholicum eſt, in Deo eſſe providentiam, neque aliquid fatali neceſſitate, ac fortuito contingere.

Probant hoc divinæ ſcripturæ. Sap. 14. *Tu autem Pater gubernas omnia providentia tua.* & prius cap. 6. dictum fuerat, *Æqualiter eſt illi cura de omnibus.* & cap. 8. *Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Eccleſiaſt. 5. *Neque dicas coram Angelo non eſt providentia.* Judith 9. *Tua judicia in tua providentia poſuiſti.*

lii. Alia teſtimonia protulimus q. 4. de Scientia Dei num.26. ex quibus conſtat, etiam viliorum rerum apud Deum curam non negligi.

4. Hoc a fortiori dicendum eſt de hominibus, qui etſi libere operantur, attamen eorum operationes a domino diriguntur. pſ.32. *De cælo reſpexit dominus, vidit omnes filios hominum. Qui finxit ſingillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* & pſ.33. *Oculi domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum, vultus autem domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Proverb. 16. *A Domino diriguntur greſſus viri, quis autem hominum intelligere poteſt viam ſuam?* Quo pacto autem cum hac divina ſcientia, & providentia ſervetur humana libertas, dictum eſt in proprio loco.

5. Perpendas porro omnia, quæ tibi fortuita videntur, & quo pacto a Deo ordinata ſint ac definita perſpicies. Aſinas perdi, & deinde a Saule quæri, quid magis fortuitum; & tamen divino conſilio id actum eſt, ut Samuelem conſuleret, atque ungeretur in Regem. Quid non dices de Joſepho vendito, in carcerem miſſo, & inde ad tantum honoris culmen evecto? caſum certe diceres, fatum appellares, & tamen hæc omnia a divina providentia directa eſſe, teſtatus eſt ipſe Joſephus Gen.45. dicens, *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntatę huc miſſus ſum, pro ſalute veſtra miſit me Deus ante vos in ægyptum.* & cap.50. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.*

6. Utrum vero poſſit evidenti naturali ratione hujuſmodi providentia demonſtrari, communis Theologorum ſententia eſt affirmativa. & quidem vera, nam quemadmodum Deus eſt rerum omnium cauſa, utique per intellectum & voluntatem ſuam, ita illas etiam gubernat, ac regit, nec non ad finem dirigit, ſed in hoc providentia conſiſtit, ergo; & ſi res quaſcumque producere divinam majeſtatem non dedecet, immo ad ipſius dignitatem ſervandam ſpectat, cur dedecebit, de illis curam habere? Explicat hoc egregie S. Ambroſ. lib.1. de officiis cap.13. dicens, *Quis operator negligat operis ſui curam? Si injuria eſt regere, nonne eſt major injuria feciſſe?*

7. Sed quamvis huic veritati probandæ phyſica momenta deeſſent, certe plura moralia, quæ maxime attendenda ſunt; nobis occurrunt. Si providentiam divinam negemus, quid boni faciendum, fugiendum mali? Nulla jam erit religio, nullus cultus in Deum, ad omne facinus ſe feret impietas, ac audacia: *Si Dei providentia*, ait Auguſt. lib. de utilitate credendi cap. 16. *non præſidet rebus humanis, nihil eſt de religione ſatagendum.* Hoc novit & Cicero, qui lib. 1. de natura Deorum ait. *Si Dii neque poſſunt nos juvare, nec volunt, nec curant omnino, quod ullos Diis immortalibus cultus, honores, preces exhibemus?* Ipſa humana Reſpublica cur leges, quas homines obſervarent, conderet? utquid pro ejuſdem conſervatione conſultationes, victualia, præſidia, munitiones, exercitus? Tollenda erit quæcumque in malos reprehenſio, ſi fatali neceſſitate quidpiam accidere eſt; ſi furatur ſervus, coacte furatur, ſi filius eſt improbus, ut ſit hujuſmodi compulſus eſt; Cur igitur ſervum furem redarguet Dominus, improbum filium reprehendet Pater? Tollatur itaque fatum hoc; & ſi quis hoc nomine velit uti, illud tamen à divina providentia non ſecernat. *Si propterea quiquam res humanas fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam cohibeat* ait Auguſt. 5. de Civit. cap. 1. & Minutius Felix in Octavio inquit. *Quid aliud eſt fatum, quam quod de unoquoque noſtrum Deus fatus eſt, qui*

cum

cum poſſit præſcire materiam, pro meritis, & qualitatibus ſingulorum etiam fata determinat. Ac concludamus, fati propugnatores dementes fuiſſe, ſi enim, lepide ait Auguſt. tract. 37. in Joan. *Si cor tuum non eſſet fatuum, non crederes fatum*.

Plura omiſi, quibus Patres amplius catholicam veritatem oſtendunt, plura etiam, quibus divinam providentiam ethnici contendunt deſtruere; ſed quia omnibus nota ſunt illa, hæc vero alibi rejecta, ideo prætereunda eſſe, conſultius exiſtimavi.

ARTICULUS II.

Utrum providentia Dei ſpectet ad divinum intellectum, vel voluntatem.

8. EX dictis in antecedente num. 1. juxta Boetii definitionem duo complectitur providentia, ordinem nimirum, ſeu diſpoſitionem in mente divina, & ejuſdem ordinis, ac diſpoſitionis certam in tempore executionem; proinde nec ſine ſcientia dirigente, nec ſine voluntate exequente poteſt haberi. Quærunt autem hic Theologi, in quo formaliter & conſtitutive collocanda ſit, videlicet, an in ſolo actu intellectus, an vero in ſolo actu voluntatis. Certe agnoſcimus, punctum hoc non tanti momenti habendum eſſe, ut in ipſo immorari fas eſſet, attamen aliorum potius, quam noſtrum morem gerentes illud explicare nequaquam renuimus.

9. Fuit ſententia S. Thom. 1. part. quæſt. 22. art. 1. Cajet. Capreol. Joan. à S. Thom. Valentiæ, de Quiro, aliorumque, providentiam ſpectare ad actum intellectus directe, ſed relate ad voluntatem. Horum ratio eſt, quia providere nihil eſt aliud, quam dirigere, ſeu ordinare aliquem in finem, ſed hoc pertinet ad intellectum, ergo providentia &c. Præterea. Providentia eſt pars prudentiæ, hæc autem eſt actus intellectus, proinde &c. Quamvis tamen Doctores laudati in ſententia conveniant, attamē diverſo modo ſe explicant; etenim aliqui dicunt, eſſe actum intellectus, qui præcedat actum voluntatis, dicendo, & proponendo ea, quæ voluntas decernere debet, aliqui vero docent, eſſe actum intellectus, quem præcedat affectus voluntatis circa media, quem affectum appellant imperium.

10. Fuit è contrario aliorum opinio ſtatuentium, providentiam in actu voluntatis conſiſtere præſuppoſito tamen actu intellectus futura prævidente, ac media proponente. Hæc tribuitur Scoto in 1. diſ. 40. quæſt. 1. S. Bonavent. ibidem quæſt. 2. art. 1. Gregor. Henrico, aliiſque.

Ego tamen opinor, eam nec in ſolo actu intellectus, nec in ſolo actu voluntatis eſſe collocandam, ſed in utroque, quæ eſt ſententia aqud recentiores communior; neque exiſtimo, Doctores ſuperiori numero recenſitos in re contrarios eſſe, ſed dicendo, conſiſtere in actu intellectus, non excluſiſſe actum voluntatis, & dicendo conſiſtere in actu voluntatis, non excluſiſſe actum intellectus, ſed fortaſſe id tantum indicare voluiſſe, quod præcipuum in providentia conſideratur.

11. Ratio hujuſce aſſertionis primo colligitur ex eo, quod Sancti Patres modo explicant providentiam per actum intellectus, modo per actum voluntatis. Boetius loco cit. dicit, *providentiam eſſe ipſam divinam rationem in ſummo omnium Principe conſtitutam quæ cuncta diſponit*. Damaſcenus vero 2. de Fide cap. 29. inquit. *Providentia eſt voluntas Dei, per quam res omnes apte, congruenterque gubernantur*. Ipſe S. Thom. 1. par. quæſt. 23. art. 2. in corp. inquit. *Providentia eſt quædam ratio in mente proviſoris*. 3. vero contra

tra Gent. cap. 73. ait; *Providentia divina eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, convenientem deductionem accipiunt.* Ut igitur ſerventur hæc omnia, dicendum, in utroque actu providentiam conſiſtere.

12. Probatur ſecundo; ſive excludatur actus intellectus, ſive excludatur actus voluntatis providentia haberi non poteſt, ergo in utroque actu conſiſtit; Probatur ant. ſive excludatur certitudo diſpoſitionis rerum in finem, ſive excludatur electio, directio, & determinatio mediorum in finem, providentia haberi non poteſt, ſed certitudo diſpoſitionis eſt actus intellectus, electio, directio, determinatio eſt actus voluntatis, ergo ſive &c.

13. Dices 1. requiri quidem actum voluntatis, ſed ſolummodo aut præſuppoſitive, vel conſecutive, & ideo, ſi excluderetur, deſineret providentia illative, non formaliter; idem dicito de actu intellectus, qui neceſſarius eſt, ne voluntas agat cœco modo, ſed requiritur tanquã conditio, & de præſuppoſito.

Sed contra. Primum falſum eſt; non poteſt requiri actus voluntatis præſuppoſitive, per hoc, quod intellectus poſt decretum efficax voluntatis eligentis, & determinantis media, intellectus imperet eorumdem mediorum executionem, etenim poſito decreto efficaci voluntatis nullum ſupereſt imperium ex parte intellectus; non poteſt requiri conſecutive; per hoc quod attingatur proportio mediorum ad finem, deinde conſequatur decretum voluntatis eligens, ac determinans media; etenim hoc pacto providentia in ſuo conceptu formali non diſtingueretur a ſcientia practica in actu primo, nec infallibiliter obtineret finem, ſed hoc haberetur per aliquid aliud extra conceptum formalem providentiæ. Adde, admiſſa hac inſtantia, providentiam eſſe liberam ſolum præſuppoſitive, vel conſecutive, non vero formaliter.

14. Falſum etiam eſt ſecundum; nam etſi, plerumque ad actum voluntatis non requiratur niſi de præſuppoſito, & tanquam conditio actus intellectus, ſine quo nullo modo voluntas ageret, attamen datur aliquis actus voluntatis, qui formaliter eſſe non poteſt ſine actu intellectus, & tunc cotingit, quando aliquid non debet fieri præciſe cœco modo, & debet dirigi, ſed etiam debet dirigere, ne cœco modo alia fiant, ſed hujuſmodi eſt providentia, ergo. Perpendatur etiam ipſum nomen providentiæ juxta dicta num. 1. præcedentis articuli, & utrum de formali actum intellectus involvat ſtatuatur.

15. Dices ſecundo. Fieri non poſſe, actum intellectus, & voluntatis formaliter, ideſt æque primo concurrere ad aliquid conſtituendum; intellectus enim, & voluntas ſunt talis conditionis, ut unus actus debeat eſſe antecedens, & adinſtar moventis, alius conſequens, & adinſtar moti. Præterea; ex actibus intellectus; & voluntatis non poteſt aliquod tertium conſurgere, niſi per aggregationem, & per accidens, quod divinæ providentiæ omnino repugnat.

Sed contra; quamvis id verum ſit de actibus intellectus, & voluntatis ſumptis ſecundum ſe, falſum tamen eſt de eiſdem per reſpectum ad tertium, ita ut æque primo poſſint ad illud conſtituendum concurrere; Manifeſtum eſt hoc in materia, & forma, illa prior eſt, & tamen ad conſtituendum compoſitum æque primo concurrunt; Hoc idem evenit etiam in illorum ſententia, qui eſſentiam formalem beatitudinis in actu utriuſque potentiæ ſitam eſſe, defendunt. Ad additum; contingit id in creaturis, non in Deo, in quo actus intellectus & voluntatis perfectam ſervant identitatem. Miror tamen, argumentum hoc proponi à Joan. à S. Thom. 1. p. diſp. 7. quæſt. 23. art. 2. cum tamen ipſe doceat, omnipotentiam Dei conſiſtere in intellectu, & voluntate divina.

16. Quæ

16. Quæres hic, quotuplex ſit providentia Dei.

Reſp. multiplicem eſſe virtualiter. Primo eſt providentia efficax, & inefficax; ſecundo eſt phyſica, & moralis; 3. communis, & ſpecialis, 4. naturalis & ſupernaturalis.

Providentia efficax illa eſt, quæ talia exhibet media ad finem, ut finis infallibiliter obtineatur; inefficax e contrario, cujus tamen imperfectio, non eſt tribuenda Deo, ſed creaturæ, quæ omnia explicanda ſunt juxta ea, quæ diximus de divina voluntate.

Providentia phyſica eſt diſpoſitio rerum in finem per media phyſica, & hæc ad omnia ſe extendit, ſive creaturæ ſint rationales, ſive irrationales; Moralis eſt diſpoſitio per media moralia, qualia ſunt leges, præcepta, exempla, exhortationes, conſilia &c. Ad phyſicam pertinet providentia communis, quam Deus exercet etiam circa res viles, & minimas; Ad moralem vero providentia ſpecialis, de hac loqui debemus juxta auxilia gratiæ, quæ Deus hominibus exhibet.

Providentia tandem naturalis eſt ad finem naturalem, ſupernaturalis ad ſupernaturalem creaturarum rationalium tantummodo proprium; Hæc, ſi habeatur tantum per media ſufficientia, dicitur generice providentia ſupernaturalis, ſi per media efficacia, prædeſtinatio appellari conſuevit; Atque de hac prædeſtinatione.

ARTICULUS. III.

Quid ſit prædeſtinatio, & an detur.

17. Prædeſtinare ex vi nominis aliud non eſt, quam ex rebus, antequam fiant, aliquid definire, & ſtatuere; ideo prædeſtinatio eſt vox compoſita ex particula *præ*, quæ anteceſſionem ſignificat, vel temporis, vel cauſalitatis, & *deſtinatio* quæ ſignificat miſſionem, ſeu in rem aliquam tanquam in finem ordinationem, & electionem, in quo ſenſu inquit Apoſt. ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti; prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum.* Hæc apud Patres, & Concilia aliquando in bonam partem, hoc eſt ad gratiam & gloriam uſurpatur, aliquando etiam in malam, ideſt in pœnam, & damnationem. Unde Auguſtin. tract. 48. in Joan. ait. *Quomodo iſtis dixit, non eſtis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad ſempiternum interitum prædeſtinatos, non ad vitam æternam ſui ſanguinis pretio comparatos*, & cap. 100. Enhirid. *Bene utens & malis tanquam ſumme bonus, ad eorum damnationem, quos juſte prædeſtinavit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benigne prædeſtinavit ad gratiam.* Concilium vero Valentinum 3. can. 3. definit. *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem.* Nihilo tamen minus à Theologis, & Patribus communiſſime in bonam partem accipitur, ita ut ſignificetur electio, & deſtinatio aliquorum ad gratiam, & gloriam. Eam definit Sanct. Thom. 1. part. quæſtion. 23. artic. 1. in corp. *Ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* Scot. in 1. diſſ. 40. quæſt. unica. *Electio creaturæ intellectualis ad gratiam, & gloriam*, quas, aliaſve ſimiles definitiones acceperunt, ut arbitror, ex S. Auguſtino, qui de dono perſeverant: cap. 14. dixit. *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur.* Definitiones has non explicamus, cum per ſe ipſas clare innoteſcant.

18. Prædeſtinationem negarunt quotquot omnia ex ſyderum influxu deſcendere, ac fieri exiſtimarunt, ut Manichæi, ac Pricillianiſtæ; tum ii, qui arbitrati ſunt, unumquemque hominem natu-

natura ſua, aut bonum, aut malum eſſe, ut Valentinus, & Marcion. tum Pelagiani, ac Semipelagiani, contra quos agit S. Auguſtinus, autumantes, per eam noſtram adimi libertatem, auferri vitutes, & homines in ſocordiam, vel deſperationem induci; Eam tamen admittendam eſſe innumeris ſcripturæ, & Sanctorum Patrum monumentis oſtenditur. Mat. 25. legitur. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*, & ad Rom. 8. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos, & glorificavit.* Hinc S. Auguſtinus de dono perſeveran.cap. 21. inquit. *Nimiæ contentionis eſt, prædeſtinationi contradicere, vel de prædeſtinatione dubitare*, & cap. 23. *Prædeſtinationis hujus fidem; quæ contra novos hæreticos nova ſollicitudine nunc defenditur numquam Eccleſia Chriſti non habuit.* Magiſtrum ſuum ſequuti ſunt Proſper, & Fulgentius. Primus in epiſt. ad Ruffinum ait. *Prædeſtinationem tam impium eſt negare, quam ipſi gratiæ contraire*, & in reſpon. prima ad object. Gallor. *Prædeſtinationem Dei nullus Catholicus negat*, Secundus vero lib. de Fide ad Petrum cap. 35. hæc habet. *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, omnes, quos vaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante conſtitutionem mundi in adoptionem Filiorum Dei prædeſtinatos à Deo.*

19. Ipſa quoque ratio ſuffragatur; Nihil enim Deus temporanee operatur, quod faciendum ab æterno non ſciverit, ac præordinaverit, aliter aut mutaretur, aut nova perſciret. *Deus*, inquit S. Fulgent. de Incarnat. & gratia Chriſti cap. ultimo, *qui hominem condidit, ipſe prædeſtinatione ſua, & donum illuminationis ad credendum, & donum prerſeverantiæ ad proficiendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit; quippe non aliter perficit in opere, quam in ſua ſempiterna atque incommutabili habet diſpoſitum voluntate.*

20. Hæc perſeverantia ea eſt, in qua altitudinem inacceſſam fateri debemus cum Auguſtino, cujus celeberrimas habemus ſententias. Prima eſt in lib. de Spiritu & litt. cap. 34. ubi ait; *Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſolum occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placet. O Altitudo divitiarum. Et numquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumptores.* Secunda eſt in epiſtol. 194. ad Six. ubi. *Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, ſerutetur qui poteſt judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium.*

21. Hic omittendum non eſt tritum illud argumentum. Vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum; Si primum, quidquid mali egero, ſalutem conſequar, cum irrita eſſe non poſſit voluntas Dei efficax, & abſoluta; Si ſecundum; quidquid boni fecero, propter eamdem rationem damnabor. Quamobrem inferunt, admiſſa prædeſtinatione homines, vel in in nimiam temeritatem, & ſocordiam, vel in deſperationem compelli; Hoc adeo Monachum quemdam teſte S. Auguſtino lib. de dono perſeverant. cap. 13. perturbavit, ut relicto Monaſterio ſæculo ſe reddiderit; ſed & nunc temporis plurimorum mentes exagitat.

22. Fateor in eorum ſententia, qui prædeſtinationem ad gloriam adſtruunt independentem à meritorum prævifione in ſuo ſemper robore perſeverare inquiunt enim, Deum prædeſtinando ad finem prædeſtinaſſe etiam ad media, quæ ſunt ad finem neceſſaria, & ideo, ſi vi prædeſtinationis quis ſalvandus erit, media etiam opportuna à Deo conſequetur. Sed quis non videt, idem argumen-

gumentum de illis mediis fieri poſſe? Dicet enim adverſarius. Vel Deus abſolute decrevit illa media mihi conferre, vel non, ſi decrevit, ea certiſſime dabit ſine aliqua mei induſtria, & labore; ſi non decrevit, ut quid mihi cura eſt, ut habeam, quod nunquam habebo? In ſententia tamen eorum, qui aſſerunt prædeſtinationem ad gloriam haberi poſt præviſa merita abſolute futura, nullam vim habet præfatum argumentum, ſiquidem in horum ſiſtemate idem dicendum de prædeſtinatione quod de præſcientia; Quare ſicuti, non ideo res aliqua futura eſt, quia præſcitur, ſed ideo præſcitur, quia futura eſt, ita non ideo bene quis aget quia eſt prædeſtinatus ſed ideo eſt prædeſtinatus, quia bene aget,&ita acturus prævidetur.

23. Sed quamcumque ſententiam amplectamur, vellem, hoc pacto opponentes non plus ſophiſticos eſſe in rebus ad ſalutem æternam pertinentibus, quã in rebus humanis, temporaneis, ac civilibus. An non idem argumentum in iſtis promoveri poteſt? En oſtendo. Infirmus quis eſt? Vel ergo Deus præſcivit, ac prædeſtinavit, eum moriturum, vel non moriturum; ſi primum, utquid medicamentis utitur? Jam morietur, ſi ſecundum, idem valet, jam non morietur, nec tamen ita fit. Quare? Quia ipſud naturale lumen, ac conſcientia dictat, omnia agenda eſſe, ut ſanitatem conſequi valeat; Cur non igitur ita in re noſtra? Idem in aliis omnibus eventibus poteſt demonſtrari. *Satagat ergo unuſquiſque*, inquit Petrus epiſt. 1. *ut per bona opera certam ſibi faciat vocationem, & electionem*. Sic faciebat Paulus, qui 1. ad Corint. 9. dicebat; *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar*. Opera bona ubique ſcripturæ, ubique Patres commendant, & præcipiunt. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. *Hoc fac, ut vives*.

24. Fortaſſe reponet aliquis contra eorum ſententiam, qui prædeſtinationem ad gloriam affirmant à meritorum præviſione dependentem, ſed tamen prædeſtinationem ad gratiam dicunt, ut omnes Catholici dicere debent, independentem ab hujuſmodi præviſione; reponet inquam. Vel Deus decrevit, ſeu prædeſtinavit, mihi gratiam conferre, ut bene operer, vel non; ſi primum, ergo quidquid agam, gratia mihi conferetur,ſi ſecundum;nunquam conferetur, & ita ſuperfluæ ſunt exhortationes,conſilia, preces, & hujuſmodi.

Ita opponenti aliud reſpondere non poſſum, quam quod ſæpe tradit S. Auguſtinus, nimirum, omnibus dari gratiam, aut ſaltem omnibus paratam eſse, idcirco, qui eam gratiam non accepit, per quam bene operaretur, non Deo imputet, ſed ſibi, qui culpa ſua vacuam gratiam effecit; Accedit; orando eam poſſe omnes obtinere. Audiatur præclariſſimus Doctor, qui in lib. de corrept. & grat. cap. 2. hæc habet. *Quando non agunt, ſive omnino non faciendo, ſive non ex charitate faciendo, orent, ut quod nondum habent, accipiant*. & infra. *O homo, in perfectione cognoſce quid debeas habere, in correptione cognoſce tuo tè vitio non habere, in oratione cognoſce unde accipias, quod vis habere*.

25. Quod ſi iterum inſtes, vel ſum prædeſtinatus ad orandum, vel non; ſi primum; orabo, ſi ſecundum;nunquam orabo, proinde non eſt, cur ſtudium meum impendam, ut orem, male loqueris, & ſupponis; prædeſtinationem ad omnia ſe extendere, quod eſt falſum juxta Patres, & Theologos; datur quidem præſcientia, ſed juxta principia à me expoſita in tract. de gratia, non tamen vel promotio, vel prædeſtinatio.

Juxta ſuperius dicta eſset hic agendum, utrum prædeſtinatio fiat ante, vel poſt præviſionem meritorum; Sed in quæſtionibus de gratia de hoc puncto actum eſt.

ARTICULUS IV.

Vtum inter effectus prædeſtinationis recenſeri poſſit permiſſio peccati.

26. Plures effectus prædeſtinationis à Doctoribus Theologis recenſentur, qui, ut ſint hujuſmodi, quatuor conditiones neceſsarias eſse ab omnibus traditur. Primo eſse à Deo, ut prædeſtinationis authore; Secundo ex meritis Chriſti, cum non ſit aliud ſub cœlo nomen, in quo nos oporteat ſalvos fieri; Tertio pertinere aliquo modo ad finem ſupernaturalem; Quarto certiſſime ad vitam æternam perducere. Vocationem, & juſtificationem ſecundum Dei propoſitum effectum eſse prædeſtinationis, tanquam certum concluditur; *Quos enim prædeſtinavit, hos & vocavit, quos vocavit, hos & juſtificavit*. Dixi ſecundum Dei propoſitum, ut excluderem vocationem, & juſtificationem illam, quæ etiam conceditur reprobis. Hoc idem etiam dicendum eſse de pluribus rebus externis, & de morbis phyſicis negari non poteſt, cum per hæc omnia excitetur prædeſtinatus vel ad Deum laudandum, vel ad patienter pro Chriſto ſuſtinendum; juxta illud ad Philip. 2. *Vobis donatum eſt a Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed etiam, ut pro ipſo patiamini.*

Difficultas præcipua eſt, utrum etiam permiſſio peccati in prædeſtinato ſit effectus prædeſtinctionis, & ſentiendum affirmative cum Theologorum communiori contra Vaſq. Arrubal. & Meratium.

27. Probatur concluſio, quæ procedit, non de permiſſione peccati ſecundum ſe, ſed per accidens, prout ſubeſt divinæ ordinationi, & intentioni. Id eſt effectus prædeſtinationis, quod intendi poteſt per ordinem ad vitam æternam, atqui peccati permiſſio, prout ſubeſt divinæ ordinationi, & intentioni, intendi poteſt, & de facto in prædeſtinatis intenditur per ordinem ad vitam æternam, ergo. Probatur min. Id intendi poteſt per ordinem ad &c. quod intenditur per ordinem ad virtutem, & majorē ſpiritualis vitæ progreſsum, ſed permiſſio peccati intendi poteſt, & de facto in prædeſtinatis intenditur per &c. ergo. Minor oſtenditur Sanctorum Patrum ita ſcripturas explicantium teſtimoniis. Auguſtin. explicans illud Pſalm. 29. *Avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus*. lib. de nat. & grat, cap. 14. inquit. *Dixerat*, id eſt David, *in abundantia ſua non movebor in æternum, & ſibi tribuebat, quod a Domino habebat, quare oſtendendum ei fuerat, unde haberet, ut reciperet humilis, quod ſuperbus amiſerat.* Rurſus de correp. & grat. cap. 9. exponens verba Pauli ad Rom. 9. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. ait. *Talibus Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, uſque adeo prorſus omnia, & etiam ſi qui eorum deviant, ac exorbitant, hoc ipſum eis faciat proficere in bonum*. Unde idem S. Doctor 14. de Civit. cap. 13. *audeo* ſcribit, *dicere, ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum peccatum, ut ſibi diſpliceant; qui jam, ſibi placendo exciderant; Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit, quam ſibi placuit, quando præſumpſit*. *Hoc dicit & ſacer pſalmus, imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine ideſt, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui ſibi placuerunt quærendo ſuum*. Tandem, declarans illud ad Rom. 11. *Concluſit Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereretur*, 11. de Civit. cap. 24. dicit; *Deus permiſſit, prædeſtinatos ex Judæis, & gentibus incidere in peccatum infidelitatis, ut de amaritudine illius pænitendo confuſi, & de dulcedine divinæ miſericordiæ credendo converſi dicant illud Pſalmi* 30. *Quam multitu-*

titudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Auguſtino addimus S. Baſilium in regulis brevioribus interrogat. 81. docentem. *Etiam id ſcire oportet contingere ſæpe piorum delicta, divina providentia ita diſpenſante, ad eorum utilitatem; Deus enim labi eos aliquando permittit ad ſanandam priorem quamdam animi elationem*. Et S. Damaſcenum 2. de Fide. *Permittitur quis quandoque in turpem incidere actum ad emendationem deterioris affectus, verbi cauſa, quis eſt elatus in virtutibus, & recte factis, hunc ſinit Deus in adulterium prolabi. ut per caſum, in cognitione propriæ infirmitatis veniens, humiliatus confiteatur Domino*. Vera igitur eſt minor ſub initio à nobis expoſita.

28. Op. 1. Quod eſt effectus prædeſtinationis eſt donum Dei, permiſſio peccati etiam in prædeſtinato non eſt donum Dei, ergo. Probatur min. 1. Permiſſio peccati habetur per ſubtractionem gratiæ, ſed ſubtractio gratiæ non eſt donum Dei, alioquin gratia non eſſet hujuſmodi, ergo. Secundo; id eſt donum Dei, quod nobis confertur ex meritis Chriſti, ſed permiſſio peccati non eſt ex meritis Chriſti, nec enim Chriſtus meruit nobis, ut permitteremur in peccatum incidere, ſed ut a peccato præſervaremur, ergo. 3. Quodlibet donum Dei poſſumus licite, & laudabiliter à Deo poſtulare, ſed non poſſumus licite, & laudabiliter poſtulare permiſſionem peccati, quia debemus quotidie orare, *& ne nos inducas in tentationem*, ergo.

29. Reſp. hæc omnia valere de permiſſione peccati ſecundum ſe, & ex natura ſua, non ſecundum quod ſubeſt divinæ intentioni, & prout dirigitur ad majus bonum. Chriſtus nobis meruit, vel ut præſervemur à peccato, vel ut peccatum non permittatur, niſi nobis in majus vertatur emolumentum. Quantum ad 3. Poſſumus licite, & laudabiliter poſtulare quodlibet donum Dei, quod ſit tale per ſe, & tale a nobis cognoſcatur, non vero ſi tale ſit ſolummodo per accidens, & ut malum à nobis cognoſcitur. Hujuſmodi autem eſt permiſſio peccati, quæ ſecundum ſe per reſpectum ad nos mala eſt, & ut mala cognoſcitur, ſolum per accidens, & ab extrinſeco bona eſt, nec ut bona cognoſcitur, ſicut nemo cognoſcit, ſe eſſe prædeſtinatum. Rurſus permiſſionem peccati potuit petere Chriſtus, quia non erat ipſius voluntas peccatura, cum peteret, nos tamen petere non poſſumus, quia etiam prædeſtinati nequeunt petere permiſſionem peccati ſine affectu ad peccatum, & eadem voluntas, quæ peteret, eſſet illa, quæ peccaret.

30. Op. 2. Permiſſionem peccati nequit velle Deus ex intentione gloriæ, ergo nequit eſſe prædeſtinationis effectus. Probatur ant. Quidquid vult Deus, prudentiſſime vult, ſed ſi poſſet velle permiſſionem peccati ex intentione gloriæ prudentiſſime non vellet, ergo. Probat. min. Prudenter non vult, qui permittit malum quod ſit majus bono, quod inde proficiſcitur, ſed velle permiſſionem peccati ex intentione gloriæ, eſt velle permiſſionem mali, quod eſt majus bono, quod inde proficiſcitur, ergo. Probatur min. peccatum eſt majus malum, quam gloria ſit bonum, & de facto ſatius eſſet, gloriam deſtrui, quam unum peccatum committi, ergo.

Præterea; Si Deus velle poteſt permiſſionem peccati ex intentione gloriæ, debet prius illam velle ex intentione pænitentiæ, atqui Deus nequit velle permiſſionem peccati ex intentione pænitentiæ, ergo. Probatur min. 1. quia ſi vellet permiſſionem peccati ex intentione pænitentiæ, intenderet ipſum peccatum, nam intentio finis infert ſaltem implicite intentionem mediorum, peccatum autem eſt medium ad pænitentiam, ſed hoc non eſt dicendum, ergo. Secundo; ſi Deus permitteret pec-

peccatum ex intentione pœnitentiæ, ipſum permitteret ex intetione curandi, ſed hoc maximæ imprudentiæ tribuendum eſſet, ſicuti eſset, velle morbum ex intentione ſanandi, ergo. 3. Pænitentia non eſt ſecundum ſe appetibilis, ſed ſolum præſuppoſita culpa, ideo dicitur bonum occaſionatum, ſicuti medicina non eſt ſecundum ſe appetibilis niſi præſuppoſito morbo, ergo.

Reſp. neg. ant. ad prob. conc. maj. neg. min. ad prob. neg. min. ad prob. diſ. ant. ſi peccatum ſumatur per ordinem ad Deum tranſ. ſi per ordinem ad creaturam, quæ peccat, neg. ant. & conſ. tranſmitto in primo ſenſu, peccatum eſse majus malum, nam certe creatura deberet potius eligere, gloriam non eſse, quam peccatum in Deum committere, attamen adhuc in ſententia noſtra non eſt malum infinitum etiam in ratione offenſæ; Si tamen ſumatur peccatum per reſpectum ad creaturam, quæ peccat, æterna gloria ſaltem eſt bonum æquale, & inde per pœnitentiam, alioſque virtutum actus, quibus occaſionem dedit peccatum à Deo permiſsum, poteſt creatura magis ſaltem extenſive ad Deum ſe convertere, quam fuerit averſa per peccatum. Peccati autem permiſſio ſubeſt divinæ providentiæ prout habet reſpectum ad creaturam, non prout refertur ad Deum, quia divina providentia non eſt de Deo, ſed de creaturis. Quod ſi inſtes dicendo, Deum, ut proviſorem ſive particularem, ſive univerſalem non poſse permittere malum prædeſtinato niſi ob bonum ſibi æquale, ergo neque poſse permittere malum ſibi, niſi ob bonum æquale ſibi, quæ conſequentia videtur a fortiori, cum Deus magis amet ſe ipſum, quam quemcumque prædeſtinatum, reſpondeo, amorem erga obiectum amatum tendere, vel ad impediendum malum, vel ad mali compenſationem per bonum ſaltem æquale, quando ex peccato ſequitur in re aliquod malum, & damnum, peccatum autem permiſsum nocet prædeſtinato; non Deo, alioquin Deus non poſset peccatum permittere neque in reprobo. Amor ergo Dei erga ſe ipſum major eſt, quam ergo quemcumque, ſed amor iſte non eſt ad rem quantum ad permittendum, vel non permittendum peccatum.

Ad 2. tranſ. maj. ut enim probant Suarez, & Cacheran. poteſt intendi ex fine majoris humiliationis prædeſtinati, neg. min. ad prob. neg. aſsumptum; intendere enim deſtructivum peccati non eſt intendere peccatum, ſed intendere pænitentiam eſt intendere deſtructivum peccati, ergo; nec refert, pænitentiam præſupponere peccatum, nam hoc haberi poteſt vel per amorem, vel per ſolam peccati permiſſionem, & qui vult finem, vult etiam medium eo modo quo medium eſſe poteſt terminus volitionis, peccatum autem nequit eſſe hujuſmodi terminus reſpectu Dei, niſi permiſſive. Ad 3. diſ. maj. ex intentione illum curandi cum majori emolumento ſpirituali prædeſtinati conc. præciſe curandi neg. maj. diſ. min. neg. conſ. ſicut etiam medicus poteſt permittere morbum, vel ut majorem vitet, vel ut perfectiorem conferat ſanitatem, & hac doctrina refellitur ultimum.

Adverte tamen de hoc, aliiſque effectibus prædeſtinationis, a nobis ita dictum eſse juxta illorum opinionem, qui dicunt, prædeſtinationem eſse priorem quocumque merito præviſo; etenim in ſententia noſtra potius eſt prædeſtinationis cauſa, quam effectus.

ARTICULUS ULTIMUS.

Aliqua traduntur de Reprobatione.

32. Dum aliqua de reprobatione brevi calamo expendere contendimus, cum plura, quæ de ea dici poſſent, colligantur ex aliis à nobis ſtatutis, atque ſtatuendis in noſtro Theologico opere, eos placet errores refellere, quos hæretici, in agro Domini zizania ſeminantes, turpiter evulgarunt. Quod jam ſæculo V. Prædeſtinationi cum Lucido Præsbytero tradiderunt, & ſæculo 9. Gotteſcalchus Monachus, cujus hiſtoriæ veritatem aliis relinquimus examinandam, ſæculo 16. Joannes Hus, & Calvinus tradiderunt. Hic tam impie ſenſit, ut quærens, quænam ſit cauſa motiva reprobationis, eam dixerit ſolam divinam voluntatem, quæ pro ſui libero arbitrio ante hominis lapſum, & quodcumque prævìſum peccatum aliquos ad ſempiternum deſtinavit interitum; Ita lib. 3. inſtit. cap. 23. ubi hæc ſcribit, *Nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædeſtinantur*, & prius cap. 22. *Ubicumque regnat hoc Dei placitum, nulla in conſideratione veniunt opera*, & rurſus, ita loquens de reprobatione, ſicut de prædeſtinatione, inquit; *Si non poſſumus rationem aſſignare, cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quoniam illi ita placet; neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem*. Adnota ex hac propoſitione, quanto magis à Calvino recedant, qui nobiſcum defendunt, etiam prædeſtinationem ad gloriam non fieri pro ſola Dei voluntate, ſed poſt meritorum prævìſionem. Ut hoc Calvinus ſuadeat, tria docet; 1. Deum reprobis negare omnem gratiam & fidem; 2. Illos ad peccatum impellere. 3. Eos miſere decipere, ac illudere, quæ quam falſa ſint ex pluries traditis in Theologiæ decurſu facillime colligi poteſt, & a Patribus in Concilio Tridentino indicatur ſeſſ. 6. can. 17. illis verbis. *Si quis juſtificationis gratiam nonniſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divina poteſtate prædeſtinatos ad malum anathema ſit*. Qui, quod dictum eſt, cum Calvino tenuerunt, Antelapſarii dicti ſunt; Sed cum pluribus ſuis diſcipulis hoc primo durum, & aſperum viſum ſit, alii dixerunt, nonniſi poſt lapſum, & propter lapſum homines reprobari, ſeu à gloria excludi; & iſti Poſtlapſarii ſunt appellati.

33. Janſenius vero reprobationis cauſam inquit eſſe peccatum originale, etiamſi per gratiam baptiſmatis deletum ſit, ut videri poteſt in ipſius lib. 10. de Grat. Chriſti cap. 2. & 3. Catholicorum ſententias non recenſeo, nam quid à nobis definiendum ſit, conſtat ex dictis de prædeſtinatione poſt prævìſa merita. Interim.

34. Dico 1. Impium eſſe, aſſerere cum Calvino, Deum ex ſola ſui voluntate abſque aliqua peccati prævìſione aliquos homines poſitive reprobaſſe. Manifeſtum hoc habetur in ſacris ſcripturis. Ezechiel. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis ſuis, & vivat?* Sap. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*. Petri 3. epiſt. 2. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam reverti*. Ad Rom. 2. *Ira, & indignatio in omnem animam hominis operantis malum*.

35. Rem hanc ſtabiliat 1. Auguſtinus, deinde definiat Concilium Arauſicanum ſecundum. *Bonus eſt Deus Juſtus eſt Deus, poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt, non poteſt aliquem ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt*. Ita præclariſſimus Doctor lib. 3. contra Julian.

lian. cap. 18. *Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos non ſolum non credimus, ſed etiam, ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus*. Ita laudatum Concil. can. 25.

36. Dices. Eſau fuiſſe reprobatum, antequam aliquid mali egiſſet, ergo ex ſola Dei voluntate fuit reprobatus. Rurſus, ſcriptum eſt, *Cujus vult miſeretur, & quem vult, indurat*; & iterum; *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Sed contra; non ſequitur ex his quod Calvinus intendit,& quo pacto intelligi debeant, a nobis in quæſtionibus de gratia declaratum fuit. Interim certum eſt ex mente Sancti Auguſtini, Deum odio habuiſſe Eſau,non hominem, ſed peccatorem, igitur etiam ut peccatorem reprobavit, non quidem actu, quia nihil adhuc mali egerat, ſed in divina præſcientia; Quare idem Auguſtin. lib.1. ad Simplici: q.2. *Si nullo*, inquit, *merito reprobatus eſt Eſau, quomodo ejus reprobatio juſta dici poteſt?*

37. Dico 2. Peccatum originale in iis, qui baptiſmum receperunt, non eſſe cauſam motivam reprobationis, ſed quicumque adultus, qui reprobus eſt, eſt hujuſmodi propter peccata perſonalia præviſa.

Prima pars aſſertionis aperte traditur in epiſt. ad Rom. cap.8., ubi ait Apoſtolus. *Nihil damnationis eſt in iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*. Unde Concil. Trident. ſeſ. 5. in decreto de peccato originali inquit. *In renatis nihil odit Deus, quia nihil damnationis eſt iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſmum in morte*. & revera ſi peccatum actuale deletum per pænitentiam eſſe nequit cauſa reprobationis, quare erit hujuſmodi peccatum originale deletum per Sacramentum baptiſmi?

38. Neque dicas, per hoc probari, peccatum originale dimiſſum non eſſe quidem cauſam proximam, & immediatam reprobationis, eſſe tamen cauſam mediatam, & remotam; etenim ex peccato originali, licet dimiſſo, remanet indignitas quædam, ſicut remanet concupiſcentia, ignorantia, & mortalitas.

Contra enim; ergo in baptizato remanet aliquid, quod ſit obiectum odii Dei; ſed hoc aliquid quidnam erit? non peccatum originale, quia jam dimiſſum eſt, non pænalitates, quæ ſuperſunt, nam iſtæ ſunt in linea phyſica, & ſi in linea morali conſiderantur, indifferenter ſe habent ad bonum & malum, immo remanent ad agonem, & exercitium virtutis; aſſignetur ergo quid ſit hæc indignitas, in qua Deus reperiat motivum tantæ pœnæ, qualis eſt reprobatio.

39. Hic Janſenius, ut ſui moris eſt, plura ex Sancti Auguſtini doctrina afferre contendit, quibus peccatum originale cauſam eſſe reprobationis, oſtendat. cap.99. Enchiridii ait. *Sola gratia redemptos diſcernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat maſſam ab origine ducta cauſa communis*. Peccatum originale utique cauſa eſt hujuſce maſſæ perditionis, unde provenit negatio gratiæ, ac finalis perſeverantiæ, ideo de Tyriis, & Sidoniis in ea relictis inquit de dono perſeverantiæ cap. 14. *Qui etiam credere potuerunt, ſed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent, eſt negatum, & altiore Dei judicio a perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti*. Præterea; Quando Deus juſtis baptizatis denegat aliquando gratiam efficacem ad primum declinandum peccatum, hoc non aliunde oritur, quam ex ipſo peccato originali, quantumvis dimiſſo, & ita dicendum de negatione gratiæ ad perſeverandum finaliter, ergo.

40. Reſp. nihil omnino ex Sancto Auguſtino nobis contrarium evinci;

Fatemur quidem per peccatum originale perditionis maſſam effectam fuiſſe, ſed quod reprobi ab ea non eruantur, non eſt propter peccatum originale, ſed propter non uſum gratiæ, quam ſufficientem habuerunt, & cujus præviſione reprobi facti ſunt: Qua in re plura non dico, cum jam ſuo loco probaverim omnibus conferri auxilia ſufficientia ad ſalutem; Verum quidem eſt, etiam peccatum originale eſſe poſſe motivum reprobationis, ſed tunc ſumes peccatum originale nec dimiſsum, nec dimittendum, in quo ſenſu concluſio noſtra non procedit, ſed tantum de parvulis non baptizatis id eſt intelligendum; neque dici poteſt gratiam efficacem negari propter peccatum originale, nam negata fuit Adamo, & Angelis, in quibus tamen nullum peccatum præſupponebatur, ſed negatur, vel quia Deus illam nemini debet, vel quia pertinet ad providentiam Dei generalem permittere, ut creatura, quam liberam condidit, libertate ſua abutatur, ex cujus abuſus præviſione reprobatio ptogreditur, vel melius in ſententia noſtra, quia ſufficientem gratiam, quam recepit, vacuam reddidit.

41. Unicum igitur motivum reprobationis in adultis eſt in peccatis uniuſcujuſque actualibus, quod quidem probatur ex textibus frequenter adductis. Mat.25. *Diſcedite a me maledicti, eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare &c.* quibus accedit conſtans, ac perpetuus Sanctorum Patrum conſenſus, inter quos S. Auguſtinus a nobis laudatus num.35. & D. Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap.24. *Prædeſtinavit illos ad ſupplicium, quos a ſe præſcivit voluntatis malæ vitio diſceſſuros.* Pro hac re, conſule Tertullian. lib. de præſcriptionibus cap.8. Joann: Chryſoſt. lib.1. ad Stagirium, ſeu de Provident. cap.6. Proſperum in 3. reſpon. ad capitula Gallorum; conſule & alia a nobis dicta; Quare nihil ulterius dicendum, ne eadem repetamus ad nauſeam, nobis videtur; atque hoc pro prima hujuſce libri parte, quæ mole minor erit, dixiſse ſufficiat; ideo amplius dicturi, ad eas quæſtiones, quas Trinitatis Myſterium ſibi vindicat, quantum fieri poterit, declarandas progrediamur.

DE DEO TRINO QUÆSTIONES.

1. Aliam difficiliorem que partem hujuſce libri explicandam ſuſcipimus, in qua de altiſſimo Trinitatis Myſterio agendum proponitur. Hoc omnium myſteriorum eſt principium & finis; & quemadmodum flumina a mare profluunt, & inde ad mare revertuntur, ita quæcumque alia a Trinitate ſumma originem trahunt, & ad ſummam Trinitatẽ diriguntur, & tendunt. Audacter quidem de ſe ipſa mens præſumeret noſtra, ſi naturalibus rationibus freta, de eo quidpiam proferre contenderet, pluresque forent errores, quos evulgaret, quam diſputationes, quas texeret. Nihil in eo, quod omnino increatum, quod prorſus ſupernaturale non ſit, nihil propterea, quod a ſola divina revelatione non ſit acceptum, cujus tantum præſidio & lumine a nobis dicendum, quidquid dicturi ſumus; & quamquam non omnia a divina revelatione nobis expreſſe exhibita ſint, attamen a Conciliorum definitioniis, a Sanctorum Patrum teſtimonibus tale robur recipient aſſertiones noſtræ, ut vel nihil a nobis credendum eſſe, vel certe credendum Trinitatis arcanum, profiteamur neceſſum erit. Periculum, non reluctamur, imminet maximum, ideo divinum auxilium a nobis imploratum ſcias, laborem ferme humeris imparem intuemur, ideo acrius ſtudium nobis indicimus, fructum uberrimum expectamus, ideo ipſo labore non mediocriter delectamur. Noſti quod dixit Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 3. *Nullibi periculoſius erratur, quam in Trinitatis inveſtigatione, nihil laborioſius Deo Trino quærimus, nec aliquid fructuoſius illo invenimus*. Quænam ſit methodus noſtra, ut, quantum fieri poteſt, claritatem, quam ſummo ſtudio proſequimur, ſervemus, ex operis decurſu legendo comperies. Sive hoc, ſive illud prius ad examen evocemus, omnia ad rem pertinentia declarabimus.

PROLEGOMON UNICUM.

De variis, qui circa Myſterium Trinitatis fuerunt, erroribus.

2. Si errores omnes, errorumque auctores circa Trinitatis myſterium, in hanc paginam revocare mentis noſtræ ſtudium poſtularet, procul dubio non pagina, ſed totus non ſufficeret liber; Opus hoc, laboremque, alioquin pro ſtudiorum, ingeniorumque varietate minime reprobandum, aliis relinquemus, & tantummodo multa certa, aliqua vero incerta, ac

pro utraque parte propugnata ſubiiciemus.

3. De Judæis, atque Ethnicis certum eſt, hoſce fuiſſe Trinitatis inſenſiſſimos hoſtes, dicente Hilario 4. de Trinit. Trinitatem perſonarum in unitate ejuſdem ſingulariſſimæ naturæ Eccleſia intelligit, Sinagoga non credit, Philoſophia non ſapit; & quo pacto de hujuſmodi myſterio loquuti ſint aliqui Philoſophi, præſertim Platonici, non nulla producemus. Qui vero a catholico dogmate recedentes, impie, nefarieque ſenſerunt, hoc ordine a nobis deſcribentur.

4. Primus, qui, ſicut unum Deum, ita unam perſonam aſſeruit, teſte Tertulliano lib. de præſcription. cap. ultimo, fuit Praxeas. Hic Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum admiſit, ita tamen, ut tria nomina eſſent, non tres perſonæ; appellaretur Pater, prout eſt rerum omnium creator, Filius, prout humanam carnem aſſumpſit, Spiritus Sanctus, prout noſtræ ſanctificationis eſt author; atque cum ex hoc ſequeretur, Patrem eſſe paſſum & mortuum, orta eſt eorum hæreſis, qui dicti ſunt Praxeani, ſeu Patripaſſiani. De hoc perdito viro hæc habet laudato loco Tertullianus. *Praxeas quidam hæreſim introduxit, quam Victorinus corroborare curavit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jeſum Chriſtum eſſe dicit, hunc crucifixum, paſſumque contendit, mortuum præterea, ſeipſum ſibi ſedere ad dexteram ſuam cum profana, ac ſacrilega temeritate proponit*.

5. Eandem hæreſim effudit ſæculo 3. Noetus Aſianus an. 245. ſive 258. ut ſcribit S. Epiphan. hæreſi 57. eamque longius latiuſque propagavit Sabellius, quibus addendi ſunt Photinus Epiſcopus Sirmienſis, & Paulus Samoſatenus, qui, poſtquam electus fuit Epiſcopus Antiochenus in hæreſim lapſus eſt; ut teſtantur Niceph. lib. 6. hiſt. cap. 27. & Epiphan. hæreſi 65. atque in hoc tantum a Sabellio recedebat, quod Deum non fuiſſe hominem factum affirmaret. Error iſte jam in tenebris delituerat, ſed ſæculo 16. fuit excitatus ab aliis, qui Antitrinitarii dicti ſunt, quorum Dux fuit Servetus Hiſpanus, deinde Franciſcus David, & Franciſcus Blandarata, qui peſte hujuſmodi totam Tranſilvaniam devaſtarunt; In hoc tamen a Sabellio receſſerunt, quod iſte Deum trinum in nominibus fecerit, illi vero trinum in facultatibus ſeu potentis operativis, eo pacto quo una & eadem anima rationalis tribus facultatibus prædia dicitur intelligens, ſentiens, & vegetans.

6. Sæculo 4., ideſt circa annum 319., ortum habuit hæreſis Ariana ab Ario in Libia nato, poſtea Presbytero Alexandrino. Hujus veſania fuit æqualitatem inter divinas perſonas adimere, dicebat propterea, Filium non eſſe conſubſtantialem, & coæternum Patri, ſed factum in tempore, creaturam utique aliis quibuſcumque priorem, atque excellentiorem. Hæreſis hæc tam longe, lateque virus ſuum diffudit, ut dixerit S. Hieronymus, totum mundum ſe Arianum eſſe ingemuiſſe; habuit fautores epiſcopos Nicomedienſes, Nicenos, Anciranos, Mediolanenſes, alioſque plures, habuit patronos Imperatores Conſtantium, Valentem, Baſilium, &c. E vivis ſublato, atque inferis detruſo Ario, ejus ſectatores diviſi ſunt. Aliqui enim dixerunt Filium Anaomuſion Patri, videlicet omnino diſſimilem, atque ab illa voce appellati ſunt Anomæi, & a Duce Eunomiani; Alii ſemiariani nuncupati ſunt, & dixerunt Filium homiuſion quidem, ideſt ſimilem in ſubſtantia, non tamen homouſion, ſcilicet conſubſtantialem; Alii tandem ab Accacio dicti Accaciani, nec ſimilis nec ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, nec creaturam docuerunt, ſed tantum eſſe ſimilem Patri, ſeu homion, ſicut effigies hominis eſt homini ſimilis, licet

licet diverſæ, ac diſſimilis ſit ſubſtantiæ.

7. Eodem ferme tempore inſurrexerunt Macedoniani a Macedonio Patriarcha Conſtantinopolitano. Ut Arius Filii divinitatem negavit, ita Macedonius Spiritum Sanctum non eſſe Deum aſſeruit, ſed puram creaturam, ut refert Auguſt. hæreſi 52. dicti ſunt etiam græco nomine Penaſtonichi, ideſt Spiritus Sancti impugnatores, ſeu de Spiritu Sancto litigantes. His addi poteſt Petrus Abailardus, qui, ut ſcribit S. Bernardus epiſ. 109., docuit, Spiritum Sanctum eſſe animam mundi, & filio inferiorem, ita ut Patri tribueret omnipotentiam, Filio ſemipotentiam, Spiritui Sancto nullipotentiam.

8. Mitto alios, de quibus, prout ordo rei poſtulabit, ſermo continget, & tantum Socinianos a Socino commemorabo; Iſti omnium noviſſimi, anno nimirum 1555. fere omnes ſuperius recenſitas hæreſes excitarunt, negantes Deum unum in eſſentia, trinum in perſonis, dicentes, Chriſtum non eſſe perſonam divinam, nec Deum, ſed appellari Deum metaphorice propter ſublimem poteſtatem acceptam, & Spiritum Sanctum eſſe quidem virtutem, ſeu efficaciam Dei, minime vero divinam perſonam.

9. Hæc omnia certa ſunt; De aliis vero, utrum in Trinitatis myſterio erraverint, poteſt in dubium revocari; & quia inter iſtos plures ex Sanctis Patribus recenſentur, ideo operæ pretium eſt, rem aliquantulum accurate pertractare, & quia ex Platonicorum doctrina; cui præſertim addictiſſimi erant, tota ſuſpicio exorta eſt, ideo.

§. I.

Quid de Trinitate Platonici ſenſerint.

10. Aliqui Platonis doctrinam adeo extulerunt, ut dixerint, ipſum Trinitatis myſterium agnoviſſe, atque de eo recte loquutum eſſe, immo S. Auguſtinus 7. confeſ. cap. 8. fatetur, ſe in libris Platonicorum legiſſe, quamvis non iiſdem verbis, quod habetur Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Plurimum etiam pro Platonis laude id facit, quod ſcribit Claudianus Mamertus lib. 2. de Statu animæ, nimirum. *Quo fit, ut mirari admodum digne nequeam hujus Platonis animum, qui tantis equidem ſeculis ante puerperium Virginis, ante prædicatam ſummæ Trinitatis in gentibus unitatem ineffabilem, unum tres in divinitate perſonas laudabili auſu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio quæſivit, invenit, prodidit Patrem Deum, paternamque mentem, artem, ſive conſilium, necnon & utriuſque horum amorem mutuum, unam, ſummam, æquiternam, indiviſam divinitatem, non ſolum ita credi oportere docuit, ſed ita eſſe convicit.*

11. Utrum hæc, atque hujuſmodi cætera merito dicta ſint, non aliunde poſſumus oſtendere, quam plura Platonis dicta juxta eos, qui ejuſdem fideliores fuerunt diſcipuli, in medium producendo, quod quidem brevioribus a me præſtandum eſſe & intelligo, & polliceor; Atque imprimis in Timæo unicum, & ſingularem prædicat Deum, quem tamen aliorum Deorum, qui eo inferiores ſint, propagatorem ac ſatorem eſſe confirmat, aliis vero in locis duos, vel tres univerſe Deos diſtinguens, unum appellat ſummum Deorum conditorem, ſecundum artificem, rerum omnium principium, tertium vero obſcure nominat, ſed juxta ipſius men-

mentem alii dixerunt eſſe animam mundi.

12. Si Plotini, quem veluti platonicæ Doctrinæ coryphæum proponere poſſumus, perlegamus, ita Trinitatem admitti conſpicimus, ut unum cenſuerit eſſe primam & potiorem mentem, alium ſecundam & poſteriorem a prima genitam, velut ejus imaginem, tertium vero tanquam animam quæ a ſecunda mente gigneretur; addit deinde mentem ſecundam eſſe ideam, ac idearum omnium pulchritudinem, unde omnia genita ſunt. Platonis verba iſta ſunt. *Dicendum eſt igitur tibi nunc per ænigmata quædam, ut ſi quid huic tabellæ vel mari, vel terra contingat, qui eam legerit, intelligere non poſſit. Eſt autem ita. Circa omnium Regem cuncta ſunt. ipſius gratia omnia, ipſe pulchrorum omnium cauſa; circa ſecundum, ſecunda, tertia circa tertium* quæ perpendes Euſebius 11. præparat: ſic expoſuit. *Hæc Platonis verba qui explicandam Philoſophi mentem ſuſcepere, ad primum Deum, ſecundumque principium referunt, nec non ad tertium, quem mundi animum, Deumque tertium ipſi quoque appellare ſolent.* Recte etiam hujus Platonicæ Theologiæ commentum declaravit Cyrillus in primo & tertio libro adverſus Julianum dicens. *Plato unum quidem eſſe opificem definit eum, qui cauſa eſt omnium, quem & mundo citimum eſſe factum aſſerit, ante hunc porro Deum alterum conſtitiſſe, nempe boni ideam, ad hæc inſuper tertium principium excogitavit, quod ordine & natura prioribus illis inferius, quem etiam omnium, quæ ſunt, animam appellat.*

13. Alio etiam pacto interpretatus eſt Sanctus Auguſtinus lib. 3. de Civit. cap. 16. & 17. ubi ex Platonicorum doctrina, tres divinitatis gradus conſtituit; primum dicit ſummum Deum, à quo reliqui producti ſunt, ſecundum huic ſubjicit mundum, tertii vero ordinis plures alios Deos facit, qui corporibus ſint illigati, natura ſua diſſolubiles, atque mortales, ſed Dei virtute præpotenti immortalitate donentur; Hujuſmodi autem ſunt ſydera fixa, & errentia, tum ceteri, quos Deos *lares* appellant latini.

14. Ita ſane Platonici omnes Magiſtri ſui mentem declararunt, inter quos de Numenio apud Proclum lib. 2. commentariorum ad Timæum, hæc ſcribuntur. *Numenius tres Deos prædicans, Patrem quidem appellat primum, factorem autem ſecundum, opus vero, tertium, Mundus enim ex illius opinione tertius eſt Deus. Hæc autem tria vocantur avus, Filius, Nepos.* Non me tamen latet, quanta apud ipſos Platonicos in explicanda Magiſtri mente fuerit conflictio, ſed utcumque explicetur, numquam Trinitatem in catholico ſenſu, ſed omnino extraneo, ac erroneo comperiemus, immo præcipuum errorum in hac materia fontem fuiſſe, intuebimur; quod quidem ex ſequentibus demonſtrabimus.

15. Sed prius aliquid de Philone Hebræo, quem Platonicum alumnum fuiſſe, ex eo colligimus, quod Græci, frequenter uſurparunt, videlicet, *aut Platonem tanquam alterum Philonem loqui, aut Philonem tanquam alterum Platonem*, ut teſtatur Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 81. Hunc autem de Trinitatis myſterio, autem ſaltem de Filio Dei, ideſt Verbo, juſta tradidiſſe, aliqui exiſtimarunt, præſertim laudatus Peluſiota, & Euſebius Cœſarienſis,

16. Toto tamen cœlo aberrarunt; nec in hac re oſtendenda quidpiam proferemus, quam duo ejuſdem Philonis dicta, quæ quam veritati Catholicæ diſſona ſint, quiſque percipiet, ſi catholicus fuerit; Ipſum duos Deos aſſeruiſſe, unum Patrem, ac ſummum, alterum ſecundum, & inferiorem prioris filium, ex eo dignoſcitur, quod, cauſam reddens, cur ſcriptura de hominis procreatione

Digitized by Google

tione loquens, inquit, Deum ad imaginem Dei hominem formaſse, dixit, ideo hoc actum eſſe, quia ad ſupremi illius, & univerſorum parentis effigiem nulla creatarum rerum poſſit accedere, & propterea juxta ſecundi Dei imaginem, qui eſt illius *logos* natura rationalis expreſsa fuit. Ecce illius verba apud Euſebium lib. 7. de præparat. *Nihil enim mortale ad ſupremi, & univerſorum parentis imaginem fingi poterat, ſed ad ſecundi Dei, qui illius eſt logos, hoc eſt ratio, vel ſermo. Oportebat enim rationalem hominis in anima figuram à divina imprimi ratione; ſiquidem Deus ille logon antecedens rationalem omnem naturam antecellit. Ad ejus vero ſimilitudinem, qui ſupra rationem optima in ſpecie, eximiaque conſtituitur, genitum aliquid commodari nefas eſt.* Ut videtur, tria hic docet, & omnia falſa; Primum; ſecundum Deum admittit; Alterum;unum Deum alium antecellere; Tertium;rationalem animam non eſse factam ad imaginem primi, ſed ſecundi. Alterum Philonis dictum in primo de Agricultura erat hoc. *Tanquam Paſtor, & Rex Deus adminiſtrat ſecundum jus, & legem, cum iis rectam ſuam rationem primogenitum filium præfecerit, qui ſacri illius gregis curam velut magni regni præfectus ſuſcipiat. Nam, & alicubi dictum eſt. Ecce ego ſum: mittam Angelum meum ante faciem tuam, ut te cuſtodiat in via.* In hoc Filium eſse miniſtrum Regis, proinde Rege inferiorem, neque niſi Angelo comparari, quis non conſiderat? Quæ vero ulterius dici poſſent, inferius declarabuntur, ubi an lumine naturali myſterium hoc cognoſci poſſit, pertractandum ſuſcipiemus.

17. Qua de re, etſi verum ſit quod ex Sancto Auguſtino num. 10. probatum eſt, attamen non eo ſenſu in Platonicorum libris expoſitum ſuit, ſicut fides catholica docet, ſed per Verbum innuere voluerunt idæam quamdam à Deo productam, juxta quam omnia à Deo condita ſunt, & in qua rerum omnium formæ continerentur; Quod vero ex Claudiano Mamerto didicimus, falſo omnino, & audacter dictum eſse, ex ſuperioribus liquet.

18. Si tamen Platoni aliquo pacto blandiri vellemus, ita ut quamvis non caſtigate & juxta veritatis apicem Trinitatem agnoverit, aliquo tamen pacto illam adumbraverit, nequaquam nobis ex Patrum teſtimoniis monumenta deeſsent;Teſtantur hoc S. Juſtinus apol.2. Baſil. hom. 16. in illa verba Joan. 1.*In principio erat Verbum*. S. Auguſt.lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 28. & loco ſuperius laudato num. 10. aſserentes, ex Moyſis,atque aliorum codicibus plura, quæ ad noſtram fidem pertinent, ipſum didiciſse; Neque hoc mirum adeo videri debet, cum ſicut Pythagoras aliique plures, ita & Plato diuturnas peregrinationes ſuſceperit in Phæniciam & Egyptum, ut Caldæorum Hebræorumque fieret auditor, atque ideo aliqua ex eorum doctrina, ac commercio accipere potuit, quæ ſuis libris inſereret, pluribuſque falſis quædam vera miſçeret.

§. II.

Expenditur quorumdam Sanctorum Patrum doctrina.

19. Occurrit primo loco inveſtigandum, quomodo de Trinitatis myſterio loquutus ſit Sanct. Juſtinus, qui proculdubio & Chriſti Martyr, & Platonicus Philoſophus ſuit. Hunc Arianos expreſſiſſe, conqueritur Gregorius Nyſſenus lib. 1. contra Eunomium; atque ex ipſius ſcriptis hoc colligi poſſe, eruditiſſimus Petavius contendit oſtendere. Primo enim in dial. cum Tryph. vocat Patrem cauſam Filii;& ne dicamus cauſam ibi pro principio uſurpari, ideſt cauſam non creando,

do, ſed generando, non priorem natura aut tempore, ſed ſolum origine, ſe ibidem explicat, dicendo, *Filium eſſe proximam poſt illum Deum poteſtatem*, atque nunquam Deum verum apparuiſſe veteribus Patriarchis, ut fuerunt Abraham, & Moyſes, ſed Dei filium, ſeu Verbum. *Non* enim inquit, *conditor univerſitatis hujus Deus is fuit, qui Moyſi dixit, ſe Deum eſſe Abrahæ &c. Nemo enim auctorem, & parentem univerſi ſuper cœleſtia omnia reliquiſſe, & in puſilla terræ parte ſeſe exhibuiſſe dicere auſit*, & clarius. *Iſte, qui à Patriarchis eſt conſpectus, Deus, & Angelus, & Dominus appellatur, ut vel ex his intelligatis, ipſum univerſorum parenti miniſtraſſe*. Sic igitur inferri poteſt; Qui alterius miniſter eſt & proxima poſt aliū poteſtas illo certe inferior eſt, atqui juxta Juſtini dicta Filius, ſeu Verbum alterius miniſter eſt, & proxima poſt alium poteſtas, ergo eſt illo inferior. Præterea; Juſtinus ita concludit. *Igitur nec Abraham, nec Iſaac, nec Jacob, nec alius mortalium quiſquam vidit Patrem, & ineffabilem Dominum omnium ſimpliciter, adeoque ipſiuſmet Chriſti, ſed illum, qui de ipſius voluntate Deus eſt ejus filius, & Angelus, ex eo quod illius voluntatis adminiſter ſit, quem & hominem naſci per Virginem voluit, qui & ignis aliquando in illo de rubo cum Moyſe colloquio factus eſt*. Jam vides, etiam in hoc teſtimonio Patrem appellari ineffabilem Dominum omnium, ſicut & Chriſti; ejus filium eſſe voluntatis ejus adminiſtrum, ergo non auctorem; ſed ſolum Patris inſtrumentum, quod cotendebant Ariani.

20. Hiſce omnibus accedit, laudatum doctorem Trinitatis myſterium expoſiturum uti exemplo ignis alium ignē accendentis, ita ut, quemadmodum unus ignis alium accendit abſque ſui jactura, & imminutione, ita Deus Pater filium proferat abſque propriæ ſubſtantiæ detrimento; at quis non videt, in igne accenſo dependentiam ſervari, immo unum ignem, alio non extincto, extingui poſſe, ergo ſimiliter dicendum erit de Patre, ac Filio. Tandem ponderat illa verba Gen. 19. in quibus dicitur, *pluiſſe Dominum a Domino de cœlo ignem, & ſulphur*, & his ſimilia; hæc autem, inquit, vera non eſſent, ſi filius minor Patre non foret, alioquin Pater cœlum aliquando reliquiſſet. Hinc eſt, quod affirmat, *aliquos ex genere ſuo chriſtianos affirmare, Chriſtum hominem eſſe ex hominibus genitum*. Videtur itaque Juſtinus juxta Platonis dogmata filium quidem admiſiſſe, ſed omnium Domino inferiorem, proinde perperam de Trinitate ſenſiſſe.

21. Placet tamen ab hac nota eximium adeo Doctorem, celebremque, Chriſti martyrem vindicare, quod clariſſime compertum fiet, ſi alia plura ejuſdem dicta producemus, & non recedendo ab eodem cum Tryphone dialogo ita Verbi Divini generationem exponit; *Aliud vobis, o amici, ex ſacris litteris producam teſtimonium; primitus ante creaturas omnes Deum genuiſſe ex ſe virtutem quamdam rationalem, quæ quidem gloria Domini à Spiritu Sancto vocatur, non nunquam Filius, aliquando ſapientia, quandoque Angelus, interdum Deus, aliquando Dominus, ac Verbum*. Et apol. 1. ab Senatum, poſtquam probaverat, Deo Patri nullum nomen impoſitum fuiſſe, quia qui habet ab alio nomen impoſitum, alium ſe antiquiorem agnoſcit, inquit de Verbo. *Porro Filius ejus, qui ſolus proprie dicitur Filius, Verbum, ſimul cum illo ante creaturas, & exiſtens, & naſcens, quoniam primitus per eum cuncta condidit, & ornavit*, fatetur itaque Filium, ſeu Verbum ante omnes creaturas genitum ſimul cum Deo Patre, & a Deo Patre natum, eſſe verum filium, Deum, ac Dominum. Præterea; Hunc eſſe æqualem Patri in eodem dialogo prolixe oſten-

oſtendit ex veteris teſtamenti ſcripturis, in quibus Deus & Dominus, Dominus virtutum, & Iſraelis Deus appellatur, unde Judæos ſic cogit. *Si dicta Prophetarum intellexiſſetis, non inficiati eſſetis, ipſum eſſe Deum, ſingularis & ingeniti, ineffabiliſque Dei Filium*. Tandem, ut alia quam plura præteram, apol. 2. pro Chriſtianis docet, Chriſtianos gentilium falſos Deos execrari, unumque Deum agnoſcere *Patrem juſtitiæ, & caſtitatis, Filium, qui ab eo venit, & ſpiritum*, omneſque baptizari *in nomine rerum cunctarum parentis & Domini Dei, & ſervatoris Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti*. Et cum ſuperius dixiſſet, *Jeſum Chriſtum, unum & ſolum proprie Filium Dei genitum eſſe*, ſubdit, *Qui, quod Verbum & primogenitus Dei ſit, Deus etiam eſt*. Quid expreſſius proferre potuiſſet ut recte contra Platonicos, & Arianos de Trinitate ſentiret?

22. Supereſt igitur, ut ea, quæ oppoſita ſunt, dilvamus; Ad primum; reſponſionem ibi datam acceptamus, & dum dicit, *eſſe proximam poſt alium Deum poteſtatem* intellige poſterioritatem originis, non cauſalitatis, ac dependentiæ; neque terrere debet, ibi dici alium Deum, etenim accipi debet alia perſona, non alia natura, quod patet ex eo, quod ex inſtituto probat, in Deo plures admittendas eſſe perſonas contra nonnullos hæreticos, quos ibi refellebat. Quod vero inſtrumentum audis, non ſuſpiceris, inſtrumentum externum, ac ſeparatum, ſed internum, ac neceſſitate naturæ conjunctum, in quo ſenſu legitur Joan. 1. *ſine ipſo factum eſt nihil*.

23. Ad 2. Patrem inviſibilem eſſe, Filium vero a pluribus in teſtamento veteri viſum eſſe, frequens fuit antiquorum opinio, non quia Filius eſſet inferior Patre ſecundum naturam, juxta quam ſicut inviſibilis eſt Pater, eſt etiam inviſibilis Filius, ſed quia perſona Filii viſibilem formam aſſumpſerit, tanquam ille, qui, adveniente temporis plenitudine, humanam carnem erat aſſumpturus, juxta quam æterno Patri adminiſtrare debebat; Dum igitur aſſerit Juſtinus rerum omnium conditorem nunquam deſcendiſſe, aut viſum eſſe, Deum reſtringit ad perſonam Patris, non vero uſurpat pro omni eo, qui vere Deus eſt; & tota locutio referri debet ad humanam naturam, vel ad eam viſibilem ſpeciem in qua olim apparere dignatus fuit.

24. Ad 3. Quod Juſtinus eo utatur exemplo, mirum eſſe non debet, cum ad explicandam æterni verbi inexplicabilem generationem, hanc enim quis ennarrabit, plura exempla creata veteres omnes adduxerint, hujuſmodi eſt exemplum radii progredientis à ſole, ſplendoris à lumine, immo in ipſo Nicæno Symbolo Patres dixerunt, *Deum de Deo, lumen de lumine*. Nemo tamen in exemplis integram poſtulat ſimilitudinem, aliter non erunt exempla. Quidquid afferetur infinito diſcrimine ab altiſſimo hocce myſterio diſtabit, ſed tantum in ſubſidium noſtræ infirmitatis aſſumitur.

25. Ex dictis num. 23. facile explicabis, quo pacto dicatur, pluiſse Dominum à Domino, uterque enim Dominus eſt, ſed non uterque una perſona eſt; etiam in pſalmis adinvenies; *Dixit Dominus Domino meo*.

Pro ultimo argumento, vel dicas, aliquos ex genere ſuo Chriſtianos illos vocare, qui ſpecie tenus ac nomine erant Chriſtiani, vel, ut adnotavit Bullus in libro, quem inſcripſit, *Judicium Eccleſiæ Catholicæ de neceſſitate credendi Chriſtum eſſe Deum*, in Juſtini textum errorem irrepſiſſe, & legendum pro genere *noſtro*, genere *veſtro*, ideſt Judæorum.

26. Secundo loco occurrit Irenæus Polycarpi Diſcipulus, ac Epiſcopus Lugdunenſis. etiam in hujuſce ſcriptis

tis aliqua contineri videntur, quæ Trinitatis myſterium nequaquam ſervant; ſunt autem ferme ſimilia iis, quæ ex Juſtino recitavimus; lib. 4. cap. 17. negans, Deum Patrem, opus habere Angelorum miniſterio, ut aliquid efficiat, rationem affert, quia *miniſtrat ei ad omnia ſua progenies, & figuratio ſua, id eſt Filius, & Spiritus Sanctus, Verbum & ſapientia; quibus ſerviunt, & ſubiecti ſunt omnes Angeli*. Miniſtros igitur Dei appellat Filium, & Spiritum Sanctum. Rurſus lib. 1. cap. 8. ait, eum, *qui omnia facit cum Verbo ſuo, juſte Deum, ac Dominum ſolum appellari*, & perpendens illa verba *Quoniam ipſe præcepit, & creata ſunt, ipſe dixit & facta ſunt*, interrogat; *Cui ergo præcepit?* Et reſpondet, *Verbo, per quod cœli firmati ſunt*, in primo dicto à Domino excluditur Verbum, in ſecundo Verbo præceptum imponitur, eſt ergo ipſi ſubiectum, eoque inferius. Tandem lib. 2. cap. 49. affirmat, *Patrem ſuper omnia eſſe, & Filio majorem*.

27. Nihilo tamen minus Trinitatis myſterium ſemper docuiſſe Irenæum, tenendum eſt; atque hoc ex pluribus ejuſdem teſtimoniis declaratur; lib. 1. adverſus hæres: cap. 10. hiſce verbis catholicam fidem exponit. *Eccleſia ab Apoſtolis, & à Diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deum, Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus incarnatum pro noſtra ſalute, & in Spiritum Sanctum*. lib. 2. cap. 31. de Filio ait, *Semper eſt coexiſtens Filius Patri, & ſemper ab initio revelat Patrem*. lib. 3. cap. 6. *Neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apoſtoli eum, qui non eſſet Deus, definitive, & abſolute nominaſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus, neque Dominum appellaſſent aliquem ex ſua perſona, niſi qui dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium ejus*. Et cap. 18. concludit. *Excluſa eſt omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus eſt, non erat ante Chriſtus; oſtendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei exiſtens ſemper apud Deum*.

28. Quamobrem oppoſitis num. 26. reſpondemus. Ad primum; Miniſterium de quo ſermo eſt, ita eſt explicandum, ſicut ſuperius dictum eſt de inſtrumento, vel miniſtri vox laxius eſt uſurpanda; quod etiam in aliis ſimilibus Patrum loqutionibus eſt caute obſervandum. Ad 2. etiam in evangelio legitur Joann. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum*. Nec tamen inferes, ergo Joannes non agnovit Filium, tanquam Deum verum. Arianus hoc diceret, ſed ſuo loco textum exponemus; quamvis & nunc idem reſpondemus, ut Irenæi mentem expendamus; nimirum, Patrem dici ſolum Deum, excludendo Deos illos, quos admittebant Gnoſtici, non ſic Filium, ac Spiritum Sanctum; Verum etiam Pater appellari poteſt ſolus Deus, quia eſt fons & origo aliarum perſonarum, & omnium eorum, quæ deitatem conſtituunt, quæve aliis ſine aliqua diviſione, & inæqualitate communicantur. Ad aliam partem; Primo dici poſſet illud *Verbo* non in dativo, ſed in ablativo accipiendum eſſe. Secundo. Etſi admittamus præceptum hoc, non inde concludas in Filio dependentiam, & ſtatum inferiorem, ſed omnem æqualitatem, quia Pater ſine ipſo nihil facere poteſt; Pater enim meus uſque modo operatur, & ego operor, dicebat Chriſtus, quare eodem argumento probari poſſet, Patrem à Filio in operando dependere. Indiviſa eſt utriuſque actio, indiviſum utriuſque imperium, & ſibi ipſi imperat Pater ut Deus, dum imperat Filio. Ad ultimum. Irenæi mentem intellige, ſicut intelligis Chriſti dictum Joan. 14. *Pater major me eſt*: Dici tamen poteſt Pater ſuper omnia, quia omnia à Patre communicantur; Major eſt origine, non dignitate, & natura.

29. Occurrit tertio loco Clemens Alexandrinus Preſbyter, vir eruditione ſacra ac prophana nemini ſecundus, in Græca, ac Platonica philoſophia inſigniter verſatus. In hujus operibus aliqua leguntur, quæ nonniſi Arianus nobis opponeret. En primo quid ſcribat ſtromat. lib. 7. *Perfectiſſima autem & ſanctiſſima, maximeque principalis, & maxime imperans, ac beneficentiſſima eſt natura filii, quæ ſoli omnipotenti propinquiſſima eſt.* Si propinquiſſima, ergo non eadem natura filii cum Patre. En ſecundo, quid doceat ibidem *Dominus omnium à nullo prohiberi poteſt, maxime cum boni & omnipotentis Patris voluntati ſervit.* Filius igitur ſervus eſt Patris, ergo Patre minor. Tandem lib. 4. aſſerit, *Patrem ſub demonſtratione non cadere; Filium vero demonſtrationem habere, atque uberiorem enarationem.*

30. Mihi vero ſumme perſuaſum eſt, Clementem pro Trinitatis myſterio diſerte, clareque ſcripſiſſe. Sufficeret id afferre, quod habet lib. 3. Strom. cap. 12. ubi ſic; *Laudemus unum Patrem, & Filium: Filium inquam pædagogum, & Magiſtrum, una cum Sancto Spiritu, qui unus eſt omnia, in quo omnia, per quem omnia unum, cui gloria nunc, & in ſæcula ſæculorum.* Addamus tamen tria alia ejuſdem teſtimonia. Primum lib. Pædagogi cap. 6. O Myſterium? *Unus quidem eſt univerſorum Pater, unum eſt etiam Verbum univerſorum, & Spiritus Sanctus unus, & ipſe ubique.* Secundum in admonitione ad Gentes de Verbo divino ſic effatur, *Qui eſt manifeſtiſſime verus Deus, qui eſt univerſorum Domino exæquatus, quoniam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo*, Tertium in Protreptico, ubi inquit. *Nihil odit Deus, ſed neque Verbum, unum quippe ſunt ambo, videlicet Deus. Dixit enim, in principio Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

31. Quod primo loco in oppoſitum eſt, veraciter dici poteſt, ac debet; vel enim naturam ſumit pro perſona, ut apud veteres plures uſurpari ſoluit, & hoc pacto natura filii propinquiſſima eſt Patri, quia prima procedit à Patre, & eſt in ſinu Patris, vel ſumit pro eſſentia, & ſic quid propinquius alicui, quam quod idem cum illo? Ad ſecundum. Quid mirum ſi voluntas Filii impedire nequit voluntatem Patris, ſi una & eadem voluntas eſt? Servire autem dicitur, non ex infirmitate & impotentia, ſed ex propria ſuæ naturæ neceſſitate, omnipotentia, ac immutabilitate, quare ſervitus iſta improprie & abuſive ſervitus eſt. Ad ultimum. Uerum eſt Patrem per ſemetipſum & immediate ab aliis non cognoſci, cognoſcitur tamen mediate per Filium, qui eſt Patris ſermo. *Deum enim nemo vidit unquam, Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit*, Joan. 1.

32. Afferri tandem ſolet quod ſcribit in libris Hypotypoſeon, in quibus contra Trinitatem plura reperiebantur; inter apocriphos tamen iſtos recenſeas, hoſque errores ſcias ab hæreticis fuiſſe intruſos quod etiam Photius ipſe fatetur codice 109. ubi hæc habet de Clemente. *Quanquam & alia id genus, ſementa blaſphema voce nugatur, ſeu ipſe, ſive qui alius ejus perſonam indutus.*

33. Major difficultas à Criticos ſtudioſis de Origene promovetur. Hujuſce mentem libenti animo ex ejuſdem ſcriptis inveſtigarem, ſi pleraque non fuiſſent corrupta, interpolata, ſublata, præſertim à Rufino, qui ut teſtatur in præfatione, ut plurium invidiam minueret, aliquos ejuſdem errores ſuſtulit, ac pro iis catholica dogmata ſubſtituit; Neminem exiſtimo variam magis fortunam expertum fuiſſe, ita ut & plurimos habuerit defenſores, & plurimos adverſarios. De ipſo ſcribit Sixtus Senenſis in Bibliotecha, a quibuſdam ſanctitate ac

ac doctrina conſpicuis dictum eſſe, *mallè ſe cum Origene errare, quam cum cæteris bene ſentire*. De ipſo Caſſiodorus *Ubi bene, nemo melius, ubi male, nemo peius*. Defenſores habuit Euſebium Cœſarienſem, Pamphylum Martyrem, S. Athanaſium, Gregorium Nazianzenum, Baſilium, alioſque; adverſarios vero, præſertim S. Epiphanium, & Hieronymum.

34. Hunc poſtremum ſi perlegamus in epiſt. ad Arium de eo ſic loquitur. *Chriſtum Filium Dei aſſerit non natum eſſe, ſed factum, Deum Patrem, per naturam inviſibilem, à Filio non videri; Filium qui ſit imago inviſibilis Patris, comparatum Patri, non eſſe veritatem; apud nos autem, qui Dei omnipotentis non poſſumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri, & majeſtas, ac magnitudo majoris quodammodo circumſcripta videatur in Filio. Deum Patrem appellat bonum, & perfectæ bonitatis, Filium non bonum, ſed auram quamdam, & imaginem bonitatis*, atque ita alios Origenis errores recenſendo proſequitur, quos in libris Periarchon modo nequaquam invenies, ideo de Rufino, qui eos tanquam ab Origenis mente alienos aut expunſit aut prætermiſit, valde conqueritur, ac propterea ipſe Hieronymus eosdem libros ex Græco in Latinum tranſtulit, qui tamen interciderunt, nec modo præter Rufinianam verſionem ſupereſt alia.

35. Hinc alii Doctores, ut in hac re Origenem damnent, ex aliis ejusdem libris alios errores exponere enituntur tomo, inquiunt, 1. & 2. in Joannem, docet Verbum eſſe ſapientiam creatam, non tamen eſse vitam, quia in ipſo vita erat; ipſum non eſse Deum non a ſe & per ſe, ſed ſolummodo per participationem, lib. 6. contra Celſum ait, *proximum mundi molitorem eſſe Filium Dei Verbum, qui velut ſuapte manu mundum fabricavit. Patrem vero Verbi, eo ipſo, quod Filio ſuo, atque Verbo juſſerit mundum facere, eſſe primarium opificem*. Si autem Pater eſt hujuſmodi, jam major eſt, ſi verbo jubet, jam Verbum minus eſt. Rurſus lib. 8. contra Celſum inquit, Patrem, & Filium duas hypoſteſes eſse, pro hypoſtaſi autem, juxta communem illorum temporum ſenſum, naturam, & ſubſtantiam intellexit; eodem libro negat Chriſtum à nobis exorari ut Deum, ſed tantum ut mediatorem Deum inter & homines, qui preces noſtras offerat Deo; ſed quod magis blaſphæmum, ac horrendum eſt, lib. 1. commentar. in Job. docet, tria illa cornua, quæ aſsumpſit Diabolus, figuram fuiſse trium Trinitatis perſonarum, quam Trinitatem inquit ſectam, & hæreſim.

36. Ego quidem non diutius immorari deberem, ut aliis Origenis defenſoribus me ipſum contenderem addere, & quemadmodum in aliis Origenem erraſse compertum eſt, ita facili negotio expedire me poſsem, etiam in hac materia falſa docuiſse concedens; attamen ſunt & alia plura, ex quibus haud difficulter, ſanam in Trinitatis dogmate fuiſse Origenis doctrinam, poſsumus demonſtrare. Homil. 6. in Exod. ita ſcribit. *Nullus ergo in Diis ſimilis Domino; nullus enim inviſibilis, nullus incorporeus, nullus immutabilis, nullus ſine initio, nullus ſine fine, nullus creator omnium, niſi Pater cum Filio, & Spiritu Sancto*. & in præfatione in Evangelium Joan. explicans illa verba Pſalmi 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. ita loquitur. *Neque enim eſt veſpera diei, neque mane, ſed tempus, ut ita dicam, ſimul ſe extendens; cum illa ingenita, & ſempiterna vita ipſi dies eſt hodie, in qua genitus eſt Filius, ſie non invento originis ipſius principio, ſicut nec diei*.

37. Amplius progrediamur, ejuſdem ſcripta, quæ invidorum corruptelæ minus fuerunt obnoxia, producenda ſunt autem ea, quæ contra Celſum edidit.

dit.lib.3. opponit Celſus, Chriſtianos, Jeſum mortali corpore indutum, tanquã Deum credere, ac venerari; Quid Origenes? *Sciant*, reſpondet, *iſti criminatores, hunc Jeſum, quem jam olim Deum, deique Filium eſſe credimus, ipſum eſſe Verbum, ipſam veritatem, ipſam ſapientiam; cæterum mortale ejus corpus, & humanam in eo animam, illius Verbi non ſolum communicatione, ſed etiam unitione, ac permixtione tantum divinitatis aſſumpſiſſe, ut Deus fieret*. lib.8. reprehendit idem Celſus Chriſtianos, quia Ethnicos accuſabant plurium deorum adoratores, cum tamen & ipſi Chriſtum à Patre diſtinctum ut Deum faterentur, refellit vero Origenes hiſce verbis, *unum Deum Patrem, & Filium colimus*, idque probat textibus illis, *Ego, & Pater unum ſumus. Pater in me eſt, & ego in Patre*.

38. Quanquam quid plura proferemus? Hujuſce rei certiorem fidem faciat S. Athanaſ. in lib. de decretis Nicænæ Synodi, qui ad Origenis teſtimonia revocat quod à Synodo fuerat definitum, dicens, *Quod autem Verbum ab æternitate ſit cum Patre, nec alterius quam Patris ſubſtantiæ, vel hypoſtaſis proprius ſit, ut declaravit Synodus, liceat vos iterum à laborioſo Origene audire*. Porro Origenis verba, quæ Sanctus Doctor proponit, ſunt iſta. *Si eſt imago Dei inviſibilis, ipſa quoque inviſibilis, equidem audacter hoc etiam adiecerim, cum ſit idem ſimilitudo Patris, non fuiſſe aliquando cum non eſſet. Quando non enim Deus qui ſecundum Joannem lumen dicitur, ſplendorem propriæ gloriæ non habebat, ut audeat quiſpiam initium dare Filio, cum antea non eſſet? Ecquando vero illa hypoſtaſeos Patris, quam nec effari, neque nominare, neque verbis eloqui poſſumus, imago, character ille Verbum, Patrem agnoſcens, non fuit? Animadvertat enim, ſi quis hoc dicere audeat, erat aliquando quando non erat Filius, illud etiam ſe eſſe dicturum, ſapientia aliquando non erat, & Verbum non erat, & vita non erat*.

39. Tanti ponderis exiſtimanda ſunt hujuſmodi verba, quibus ex Origine utitur Athanaſius, ut eruditiſſimus Petavius ne cogatur aſſerere, Origenem de Trinitate recte ſcripſiſſe, dicat lib.1. de Trinit. cap.4. num.6. in fine, niſi fides adhibenda foret Athanaſio, non Origenis fuiſſe, ſed a quibuſdam Catholicis ejuſdem libris eſſe intexta; Sed ſi hoc velit Petavius, dum Origenes Trinitatem fatetur, idem dicam ego, dum ab Origene Trinitatem fuiſſe negatam cum aliis ipſe contendit; & ſi quiſpiam reponeret, illa verba, *Erat, quando non erat* Arianos omnium primos uſurpaſſe, proinde poſt Origenem fuiſſe inventa, falſo reponeret, nam, ut diſerte demonſtrat Bullus, Gnoſtici & Cerinthiani ea jam prius uſurpaverant.

40. Huetius vero lib.2. Origenianorum cap.2. q.2. Athanaſii ſuffragium parvi facit, cum aſſerat, Origenis ſententiam ipſi parum cognitam, perſpectamque fuiſſe. Verum hoc ſine tam eximii doctoris injuria affirmari non poteſt; vir fuit Athanaſius ingenii magnitudine, fidei candore, eruditione ſumma inſignis, neminique ſecundus, aliunde Alexandrinus Origenis Alexandrini mentem melius aſſequi potuit, quam quilibet ex recentioribus, qui potius aliis, notas inurere, quam ſibi veritatem comparare nituntur.

41. Nunc contraria reiiciemus; & quantum ad Hieronymum attinet, huic opponimus Athanaſium, alioſque Patres laudatos n.33. Non ex Hieronymo, vel Epiphanio, vel quopiam alio, qui vel damnarunt, vel aprobarunt Origenis doctrinam ſententia ferenda eſt, ſed ex eodem Origene Origenem cognoſcamus. Quod ipſe dixerit Verbum eſſe factum, & creatum, pro eo uſurpavit, quod eſt eſſe genitum, conſtat enim ex ſuperius dictis non eſſe factum, & creatum,

tum, ſicut ſunt cæteræ creaturæ, ſi vero eum appellat non Deum a ſe, & per ſe, hoc ad perſonam refert, nequaquam ad ſubſtantiam ſeu naturam, vere autem Filius non eſt perſona a ſe, cum a Patre originem ducat, & procedat, Verbum etiam ab ipſo dici vitam, declaravimus num. 38. in fine. Ad 2. explicamus Origenem, ſicut Irenæum num. 28. & Juſtinum num. 22. quas explicationes adhibet ipſe Petavius in hoc nobis contrarius. Ad 3. hypoſtaſis nomine intelligit perſonam, non naturam, contendit enim hæreticos Noetianos perſtringere, qui ſicut unam naturam, ita unam perſonam in Deo profitebantur, & falſum eſt, tunc temporis hypoſtaſim pro natura ſeu ſubſtantia ſolummodo fuiſſe uſurpatam, ut ſuo loco ttrademus. Ad 4. in eo loco ſermo eſt de Chriſto ſecundum humanam naturam, ſecundum quam certum eſt, non eſſe Deum, niſi per communicationem idiomatum, & ſecundum quam eſt advocatus noſter interpellans pro nobis. Ad ultimum, negamus, & pernegamus commentaria illa Origenis eſſe, ſaltem ex integro. Hoc docent Eraſmus in hujus operis cenſura, Sixtus Senenſis in bibliotheca, Poſſevinus, Bellarminus, & præſertim Genebrardus in Collectaneis de Origenis vita. Inter autem momenta hoc negandi recenſeri poteſt, quod in illis mentio ſit Luciani Martyris, qui poſt Origenem fuit, & ſæpius reperitur nomen Homouſii, & Homouſianorum ſententia, quæ longe poſt Origenis tempora inventa fuerunt. Nihil igitur eſt, quod in hoc myſterio hunc doctorem erraſſe, affirmare nos cogat; Si autem aliquem excuſare poſſumus ac vindicare, excuſemus ac vindicemus. Pro cæteris ſum, quales pro me cæteros vellem.

42. Poſt vendicatum Origenem Magiſtrum aliquid etiam de Dionyſio Alexandrino, qui ejus diſcipulus fuit, diſſeramus oportet. Hic dum fortiter dimicat contra Sabellianos, eorumque hæreſim ſtrenue profligat, ita viſus eſt perſonarum diſtinctionem oſtendere, ut ſimul etiam naturas diſtinctas probaverit. Hac de re a Pentapolitanis accuſatus apud Dionyſium Romanum Pontificem, qui indicta Romana Synodo conſubſtantialitatis fidem confirmavit. Alexandrinum admonentibus Patribus accuſatio delata non latuit, atque ad Romanum apologiam ſcripſit, qua & ſe ab impoſito crimine purgat, adverſarioſque ſuos, tanquam fraudolentos, ac malevolos ſcriptorum ſuorum mutilatores demonſtrat. Hanc apologiam negat Sandius, ac prorſus ſuppoſititiam exiſtimat, cum ex Chronico Euſebii habeatur, Dionyſium Romanum fuiſſe renuntiatum Pontificem maximum anno 269., quo tempore jam mortuus erat Alexandrinus, qui anno 268. Maximum habuit ſucceſſorem.

43. Porro ex tribus capitibus hujus doctrina ſuſpicionem aliquam potuit excitare. 1. quia dixerit, *Filium Dei opus eſſe quoddam, & factitium, neque natura proprium, ſed peregrinum ſecundum ſubſtantiam a Patre, quemadmodum agricola comparatur ad vitem, & navis fabricator ad navem*. 2. quia Filium Dei æternum eſſe negavit; 3. quia Patrem dixerat, Filium tacuerat, & vice verſa. Quapropter a Baſilio epiſt. 1. & 40. tanquam Anomæorum hæreſis auctor improbatus fuit hiſce verbis. *Non omnia hujus hominis admiramur, nonnulla vero prorſus etiam relicimus. Propemodum enim iſtius, quæ nunc divulgatur, Anomæorum impietatis, quantum ſcimus, primus iſte humano generi ſemina præbuit*. Gennadius vero lib. de eccleſiaſticis dogmatibus cap. 4. de eo ſic loquitur. *Nihil creatum, aut ſerviens in Trinitate credamus, ut vult Dionyſius fons Arrii*.

44. Hæc tamen omnia evaneſcant; tantique Patris integram fidem intuebimur, ſi ejuſdem apologiam, aliaque

dicta

dicta non negligamus. Ad primum in epiſt. ad Paulum Samoſaten. fatetur, ſe Filium Dei Patris opus dixiſſe, ſed ſecundum humanitatem, quod patet ex eo, quod velit, illa exempla prolata dicta eſse tantummodo contra Sabellianos ad probandam diſtinctionem perſonarum, tanquam obiter dicta, & in ſenſu accommodatitio, non vero in ſenſu ſtricto & proprio niſi propter humanam naturam, ſecundum quam revera tam eſt a Deo alienus, & extraneus, quam ſit vitis ab agricola, & navis a fabricatore; conqueritur etiam, a calumniatoribus ſuis alia prætermiſsa eſse, quibus Filii conſubſtantialitas quantum fieri poterat, oſtendebatur, ut eſt exemplum radii a Sole, & fluvii a fonte. Ad ſecundum omnino falſum affirmatur, etenim in apologia dicit, *Filius cum ſit ſplendor lucis æternæ, & ipſe omnino æternus eſt, luce enim ſemper exiſtente, manifeſtum eſt & ſplendorem ſemper exiſtere* & laudata epiſt. *Unus eſt Chriſtus qui eſt in Patre coæternum Verbum.* & in reſponſ. ad decimam quæſtionem. *Scripſi, & ſcribo, & confiteor, & credo, & prædico coæternum Patri Chriſtum unigenitum & Verbum Patris.* Tertium omnino frivolum eſt; nam ſi Patrem dixit, dixit & Filium, ſi Filium & Patrem, unum enim ſine altero eſſe non poteſt. Hæc eſt ejuſdem reſponſio apud Sanctum Athanaſium, ubi ſic. *Singula nomina a me prolata a ſe invicem nec ſeparari, nec dividi queunt, Patrem dixi, & priuſquam Filii mentionem facerem, jam illum in Patre ſignificaveram; Filium adiunxi, ac etiamſi Patrem non prius nominaſſem, is tamen in Filii nomine comprehenſus fuerat.* & quidem Filium conſubſtantialem, nam etſi hujuſmodi voce, quam nec in ſcripturis invenerat nec legerat, uſus eſſet; attamen, ut ipſe ſubdit, *argumenta mea, quæ ſubſequuntur, quæque iſti, calumniatores ſui, tacuerunt, ab ea ſententia nihil diſcrepant.*

45. Porro Apologiam Dionyſii tanquam veram habendam eſſe, teſtatur Euſeb. lib. 7. hiſtor. cap. 26., & S. Athanaſius ejus fragmenta proponit; In chronico Euſebii mendum graviſſimum eſt in annorum ſupputatione, ſcribit enim Dionyſium Romanum Pontificem ſucceſſorem fuiſſe Sixti, qui juxta Euſebium undecim annos Pontificatum geſſit, cum tamen juxta accuratiſſimum Cuſpianum geſſerit tantum annos duos, & menſes undecim; falſa igitur Sandii conjectura. Sed quid de Gennadio, & Baſilio dicemus? primum proculdubio injuſte ſcripſiſſe; ſecundum vero tunc nondum legiſſe Dionyſii apologiam; Cæterum idem Baſilius in lib. de Spiritu Sancto ad Amphilochium Dionyſium *Magnum* appellat, & pro Spiritus Sancti oſtendenda divinitate ejuſdem affert auctoritatem.

§. III.

Quid ſentiendum de Tertulliano.

46. Uſque modo, pluribus omiſſis, ut Athenagora, Tatiano, Methodio, Theophilo, Hippolyto, actum eſt de aliquorum Græcorum Patrum circa Trinitatis myſterium fide & doctrina; nunc de Tertulliano, uno ex latinis, inquirendum eſt, non quia de reliquis inquiri non poſſet, ſed quia hoc antiquiſſimo auctore, tanquam pro ipſis ſtetiſſe, gloriantur Sociniani.

Itaque afferuntur plura Tertulliani teſtimonia, in quibus perperam de Trinitate loquutum eſſe poteſt oſtendi. lib. contra Praxeam cap. 5. tam impia docet, ut Arianam perfidiam excedat. concedit ab æterno fuiſſe rationem & logon, quibus Deus rationalis eſſet, ſermonem tamen, qui Verbum eſt, ab æterno non edidiſse, *Hunc*, enim inquit, *cum ipſa & in ipſa ratione habuit, tacite cogitando, & diſponendo ſecum, quæ per ſermonem jam erat dicturus:* ita

ita ut interior eſset, nondum tamen in ſe, ac per ſe ſubſiſtens; ſed tunc tantummodo ipſum protulerit, ſuumque filium fecerit, cum Deus mundum hunc voluit creare; Sicut enim omnes res creatæ in divina mente ab æterno fuerunt, nondum tamen in propria ſpecie, ac ſubſtantia dignoſcebantur, ita divinus ſermo in divina diſpoſitione ex omni æternitate fuit, non tamen prius propriam habuit ſubſtantiam, quam res omnes creare divina voluntas inſtituerit. Totam Tertulliani doctrinam hanc unico ejuſdem dicto propono. *Ut primum*, inquit cap. 6. *Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ ſermone & ratione diſpoſuerat intra ſe, in ſubſtantias & ſpecies ſuas edere, ipſum primum protulit ſermonem, habentem in ſe individuas ſuas, Rationem & Sophiam, ut per ipſam fierent univerſa, per quam erant cognita, atque diſpoſita, imo & facta jam quantum in Dei ſenſu. Hoc enim eis deerat, ut coram quoque in ſuis ſpeciebus, & ſubſtantiis cognoſcerentur, atque tenerentur. Tunc igitur etiam ipſe ſermo ſpeciem, & ornatum ſuum ſumit, ſonum, & vocem, cum dicit Deus, Fiat lux. Hæc eſt nativitas perfecta ſermonis, dum ex Deo precedit, conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ, Dominus condidit me initium viarum ſuarum, dehinc generatus ad effectum.* atque juxta hæc explicat ea, quæ leguntur. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* &, *ante luciferum genui te &c.*

47. Secundum argumentum deſumitur ex iis, quæ ſcribit lib. 2. contra Marcionem cap. 23. ubi oſtendit, Deum Patrem numquam hominibus apparuiſse, cum a nemine videri poſſit, illum vero, qui ab hominibus viſus eſt, eſse Dei Filium. *Confitemur* inquit, *Chriſtum ſemper egiſſe in Dei Patris nomine, ipſum ab initio converſatum, ipſum congreſſum cum Patriarchis & Prophetis filium creatoris, ſermonem ejus, quem ex ſe ipſo proferendo, filium fecit, & exinde omni diſpoſitioni, voluntatique ſuæ præfecit, diminuens illum modico intra Angelos &c. in cujus auctoritate, & nomine ipſe erat Deus, qui videbatur, Dei Filius.* Quod etiam confirmat contra Praxeam cap. 14. dicens. *Jam ergo alius erit, qui videbatur, quia non poteſt idem inviſibilis definiri, qui videbatur, & per conſequens erit, ut inviſibilem Patrem intelligamus pro plenitudine majeſtatis, viſibilem vero Filium cognoſcamus pro modulo derivationis.* deinde affert hoc exemplum; *Sicut nec ſolem nobis contemplari licet, quantum ad ipſam ſubſtantiæ ſummam, quæ eſt in cælis, radium tamen ejus toleramus oculis, pro temperatura portionis, quæ in terra inde porrigitur* quibus verbis Filium Patre inferiorem, tanquam hujus ſubſtantiæ portionem declarat; Unde cap. 9. dixerat, *Pater tota ſubſtantia eſt, Filius vero derivatio totius & portio, ſicut ipſe profitetur; Pater major me eſt.*

48. Sed in libro contra Hermogenem abſurdiora etiam protuliſse, apparet, quibus Filio æternitatem denegat, atque æqualitatem cum Patre; imo negat, Deum ab æterno fuiſse Patrem. En ipſius verba cap. 3. *Quia & Pater Deus eſt, & judex Deus eſt, non tamen ideo Pater, & judex ſemper, quia Deus ſemper, nam nec Pater potuit eſſe ante Filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit, quod judicem, & qui Patrem Dominum faceret; Sic & Dominus non ante ea, quorum Dominus exiſteret, ſed Dominus tantum futurus quandoque, ſicut & Pater per Filium, ſicut judex per delictum, ita & Dominus per ea, quæ ſibi ſervitura feciſſet.* Præterea, ut contra Hermogenem probet, materiam æternam non fuiſſe, ex eo argumentum deſumit, quod ſi Sophia, & ſermo Dei, ideſt Dei Filius, initium habuit, multo magis ma-

teria

teria ſine initio eſſe non potuit; & cap. 18. ait de Filio, ſeu Sophia; *Denique ut neceſſariam ſenſit ad opera mundi, ſtatim eam condit, & generat in ſemetipſo, Dominus condidit me initium viarum ſuarum.* & concludit; *Agnoſcat ergo Hermogenes idcirco etiam Sophiam Dei natam, & conditam prædicari, ne quid innatum, & inconditum præter ſolum Deum crederemus.*

49. Hiſce perſpectis Tertullianum excuſare vix poſſumus, atque illum Socinianis dimittendum eſſe, quiſque cum majori Recentiorum parte arbitraretur. Illum tamen, quantum potero, in hac re defendam, ſin minus ſatis, ſaltem aliquantulum; atque mihi ea occurrunt, in quibus de Trinitate, ut Fides Catholica poſtulat, ipſum ſcripſiſſe perſpicimus. Et primo de Filii æternitate loquitur adverſus Hermogenem, qui aſſerebat materiam Deo coævam ex qua mundum produceret, ſic. *Si neceſſaria eſt Deo materia ad opera mundi, habuit Deus materiam longe digniorem, & idoneiorem, non apud Philoſophos æſtimandam, ſed apud Prophetas intelligendam, Sophiam ſuam ſcilicet, ex hac fecit, faciendo per illam, & faciendo cum illa.* Hanc Sophiam appellat materiam, ut Hermogenis verbis utatur, quam dicit, nequaquam eſſe Deo ſubditam, nequaquam extraneam, nequaquam naturam diverſam, ſed propriam, & naturalem, & ideo vere æternam. Filii quoque conſubſtantialitatem pluribus in locis commemorat. In Apologetico cap. 21. *Hunc*, ait, *ex Deo probatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ*, contra Prax. cap. 19. *Dei non duo dicuntur, nec Domini, ſed qua Pater & Filius duo, & hoc non ex ſeparatione ſubſtantiæ*, & cap. 25. perpendens illa verba. *Ego & Pater unum ſumus. Hoc*, ait, *ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem.* De æterna verbi generatione contra eumdem Praxeam cap. 5. diſertiſſime ſermonem habet. *Ante omnia*, inquit, *Deus erat ſolus, ipſe ſibi & mundus, & locus, & omnia; ſolus autem, quia nihil aliud extrinſecus præter illum; Cæterum ne tunc quidem ſolus, habebat enim ſecum, quam habebat in ſemetipſo, rationem ſuam ſcilicet.* cap. vero 8. idem clarius juxta evangelium Joannis explicat. *Sermo ergo & in Patre ſemper, ſicut dicit, ego in Patre, & apud eum ſemper, ſicut ſcriptum eſt, & ſermo erat apud Deum, & nunquam ſeparatus a Patre, aut alius a Patre unum ſumus.* Perpende particulam illam *nunquam* ad amplius ejus æternitatem inferendam. Ut etiam videas, etiam Spiritum Sanctum à Tertulliano agnitum fuiſſe, lege quod habet contra Prax. cap. 2. Hæc eſt, ait, regula fidei, *ut unum Deum agnoſcat, qui ſit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unitatem in Trinitate diſponit, tres dirigens, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Tres autem non ſtatu, ſed gradu, nec ſubſtantia, ſed forma, nec poteſtate, ſed ſpecie, unius autem ſubſtantiæ, & unius ſtatus & unius poteſtatis, quia unus Deus, ex quo gradus iſti, & formæ, & ſpecie, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deputantur.* Dum legis gradum diverſum, intellige diverſas origines, ita ut Filius ſit a Patre, Spiritus Sanctus a Patre, & Filio; dum legis formam, & ſpeciem intellige diverſum ſubſiſtendi modum, qui relatio, ſeu perſonalitas divina à nobis appellatur. Nihil igitur clarius, nihil diſertius, nihil veracius pro Trinitatis myſterio à Tertulliano dici poteſt.

50. Aliquibus ex iis, quæ repoſita ſunt, non eſt cur reſpondeamus, ſunt enim ferme eadem, quæ retulimus num. 49. ac rejecimus num. 22. & 23. Quare reſpondendo teſtimoniis adductis diximus, eos eſſe explicandos de Filio Dei juxta naturam humanam aſſumptam, in qua

qua etiam aliquos radios divinitatis oſtendit; ut evenit in ſui transfiguratione. Hæc quantum ad argumentum Secundum, & aliquid addemus in fine.

51. Quantum vero ad primum; adnotandum eſt Tertullianum cum aliis antiquis ſcriptoribus duplicem poſuiſse Verbi nativitatem, unam in ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum, ideſt æternam Deoque immanentem, aliam vero temporaneam, & quantum ad effectum externam; Illa propria eſt, hæc impropria, quatenus ſignificat verbum prolatum, quo dixit, & facta ſunt, mandavit, & creata ſunt. De hac loquitur in libro contra Praxeam, quæ nativitas ſupponit æternam, ac naturalem Verbi generationem, ſecundum quam jam intra ſemetipſum verbum habebat, Unigenitus enim eſt in ſinu Patris, atque hoc ſatis conſtat per primum teſtimonium adductum ex illo libro cap. 5. *Hinc cum ipſa, & in ipſa ratione habuit &c.* Quod vero dicatur. *Hæc eſt nativitas perfecta ſermonis &c.* Vel intellige quantum ad nos, non quantum ad ſe, vel dicito, ad litteræ corticem non omnia verba Tertulliani eſse uſurpanda, ut quando dixit, *Deum ſeipſum quaſi commovere, cum inter ſe res creandas molitur, atque decernit, Verbum illud eſſe vocem, & ſonum ex vulva cordis exiens.* ut loquitur contra Praxeam cap. 7.

52. Quæ ex libris contra Hermogenem deſumpta ſunt, ſic exiſtimo poſſe explicari. Juxta Hemogenem Deus, præciſe ut Deus, ab æterno Dominus eſt, & ideo materia per ipſum æterna debet eſse, ut ipſi imperet, ergo, inferebat Tertullianus ex adverſarii principiis, Deus pariter ab æterno judex, & Pater eſt, quia Deus eſt; atqui Deus ab æterno non fuit judex, quia nullum fuit ab æterno delictum, ab æterno non fuit Pater, quia ab æterno nihil extra ſe produxit, cum materia illa, de qua erat controverſia, eſset æterna, atque improducta, ergo neque fuit ab æterno Dominus, quod contra Hermogenem demonſtrandum erat; neque ulla in hoc ratiocinio mentio fit generationis verbi, de qua nulla erat quæſtio. Ad aliud; optime tenet argumentum Tertulliani ſuppoſita illa duplici nativitate, de qua ſupra; etenim materia illa æterna erat informis, & incompoſita, indigebatque Verbo Dei, ut varias formas, ac ſpecies haberet; urgebat ſic Tertullianus, ergo illa materia indigebat etiam eodem verbo, ut ſimpliciter exiſteret, cum de Verbo abſolute habeatur. *Dominus creavit me initium viarum ſuarum,* atqui hoc Verbum, per quod materia facta eſt, creatum eſt, dixit enim Deus, utique in tempore, fiat lux, & facta eſt lux, ergo etiam materia creata eſt in tempore.

53. Nunc aliquid addimus pro iis, quæ dicebantur in fine ſecundi argumenti contrarii; nimirum, patrem eſſe totam ſubſtantiam, Filium vero derivationem totius, & portionem, ſicut ipſe profitetur; Pater major me eſt. Hujuſmodi propoſitio in ſenſu Catholico prorſus vera eſt. Pater eſt tota ſubſtantia, quia eſt tota divinitas; Filius eſt derivatio totius, quia procedit à Patre, & ab ipſo totam divinitatem naſcendo accipit; Filius eſt portio totius, quia non ſolus Filius accipit totam, ſed etiam Spiritus Sanctus; & in divinitate indiviſim quidem, attamen diſtincte, ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui juxta diſtinctas relationes ſunt diſtinctæ portiones. Pater major me eſt; ſi non vis de humana natura explicare, explica de majoritate originis, ſicut ſuo loco ad mentem Sanctorum Patrum dicemus. Porro hunc ſibi finem præfixerat Tertullianus, quo perſonarum diſtinctionem, quam Praxeas negabat, probaret; de eadem vero & individua natura, ſeu ſubſtantia quæſtio inter ipſos non erat.

QUÆSTIO I.

De Divinis Proceſſionibus.

ARTICULUS I.

An in Deo detur vera proceſſio, & quotuplex ſit.

1. CUM a proceſſionibus divinis oriatur Trinitas perſonarum, merito ab illis quæſtionum noſtrarũ exordium deſumendum eſt, ut paulatim, & gradu quodam ad eamdem exponendam devenire poſſimus. Quamvis vero à Theologis ſolus Spiritus Sanctus dicatur abſolute procedens, Filius vero abſolute genitus, quod etiam habetur in Symbolo, quod Athanaſio tribuitur, attamen proceſſionis nomen generatim ſumptum, ſicut in præſentiarum intendimus, utrique commune eſt. Porro proceſſio ſic uſurpata aliud non eſt, quam productio, ſeu origo unius ab alio, quam Græci unius ab alio prolationem appellarunt, ut interpretatur Tertullianus lib. contra Prax. cap. 8.

2. Porro proceſſio unius ab alio multiplex eſt, alia eſt immanens, cui convenit terminus intimus ſuo principio, ut eſt productio cujuſcumque actus vitalis, alia eſt tranſiens, quæ habet terminum extra ſuum principium. Rurſus immanens in perfectam, & imperfectam dividitur. Illi correſpondet terminus ſubſiſtens ejuſdem naturæ ac ſubſtantiæ cum ſuo principio. Talis eſt per nos Catholicos Verbum divinum, ſeu Filius; Alteri correſpondet terminus nequaquam ſubſiſtens, ſed diffluens, ac evaneſcens, ſicut eſt Verbum mentis noſtræ, alia inſuper eſt phyſica, alia metaphyſica, & utramque ex terminis explicare quilibet poteſt.

3. Concluſio 1. Datur in Deo vera proceſſio; Hanc negarunt hæretici, quos in hac re inſenſos habemus, illam tamen ex divinis ſcripturis nos oſtendemus, & quamvis ſuo loco probaturi perſonarum Trinitatem, ſatis veram proceſſionem declaraturi ſimus, attamen hic ea adducemus, in quibus expreſſa ſit mentio proceſſionis. Hujuſmodi eſt illud Joan. 8. *Ego ex Patre proceſſi*, & aliud Joan. 15. *Cum venerit Paraclitus, qui à Patre procedit*, Alia prætereo, quæ ſine proceſſione vera ſervari non poſſunt, quale eſt illud pſal. 2. *Ego hodie genui te*, pſal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te*. Et aliud Mich. 5. *Egreſſus ejus ex diebus æternitatis*. Certe proceſſionem hanc ſibi vindicat ſumma eſſentiæ divinæ fœcunditas, de qua Iſaiæ 66. legitur. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero?* Juxta quod inquit Athanaſ. orat. 2. contra Arianos. *Quod ſi ipſa natura divina, ut putant, fæcunda non eſt, ſed ſterilis, nonne eos pudere debet, affirmare eum vi efficiendi præditum eſſe? An non erubeſcent, eo ſublato quod eſt ex natura, id velle primum locum tenere quod eſt ex voluntate?*

4. Procul autem ab hujuſmodi proceſſione quælibet imperfectionis nota, ut eſt dependentia, poſterioritas, naturæ divinæ partitio, ac unius in alio receptio; quamvis enim in qualibet proceſſione, quæ in creaturis reperitur, ali-

aliqua imperfectio permiſceatur neceſſe ſit, attamen in divinis, quæ ab humanis infinite diſtant, aliter loquendum eſt. Non eſt imprimis dependentia, cum proceſſio illa ſit ad intra, a principio omnino illimitato, agente non voluntate, & libertate, ſed ex neceſſaria fœcunditate naturæ, ita ut Deus Pater nequeat intelligendo non producere Verbum ſuum, & Pater, & Filius ſe amando nequeant non producere Spiritum Sanctum, eandem omnino naturam communicando; non eſt poſterioritas naturæ, vel temporis, ſed ſolum originis, ita ut terminus procedens ſit in eodem ſigno, in quo eſt principium producens, & hoc intelligatur prius tantum in ſigno, a quo, ita ut dum concipitur Pater, Filius non intelligatur exiſtens, non tamen intelligatur non exiſtens. Non eſt aliqua naturæ divinæ partitio, quia eadem numero communicatur ſua eſſentiali ſimplicitate ſervata, & producitur quidem perſona, non tamen producitur natura, ſicut non natura, ſed perſona producit; & quamvis natura communicetur, attamen ab alio dici non poteſt, quia hæc vox communicatio ex ſe nullam poſtulat originem, aut proceſſionem. Nulla tandem eſt ex hac proceſſione receptio, quia Pater, à quo eſt, nulla unquam caruit perfectione, ut aliquam recipere poterit, ſemper enim producens fuit, & ſemper eſt, Filius ſemper fuit productus & ſemper eſt, in Patre quidem tanquam in principio, a quo progreditur, non tamen tanquam in ſubiecto, in quo recipiatur, & ſicut dictum fuit, *Ego in Patre*, ita etiam legitur, *& Pater in me eſt*.

5. Ita rejeci omnia, quæ contra proceſſionem congeruntur. Unum tantum ſupereſt, quo dicunt, perſonam divinam eſſe verum Deum, atqui Deus non procedit, nec ullum habet principium, ergo perſona divina non procedit. Sed Sophiſma hoc facile eluditur, ſi perpendatur, diverſam eſſe ſuppoſitionem in majore, & diverſam in minore; in illa ſumitur Deus pro perſona divina, in iſta pro divina eſſentia; & quamvis verum ſit, Deum ratione divinæ eſſentiæ nullum habere principium, falſum tamen eſt ratione divinæ perſonæ. Eſt autem Deus formaliter propter eſſentiam divinam, non propter perſonam, per quam eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amplius de iſtis, ubi Trinitas perſonarum propugnabitur.

5. Deveniendo modo ad ſecundam tituli partem; dico, duas in divinis eſſe proceſſiones, nec plures, nec pauciores; conſtat hoc, quia in ſacris ſcripturis duarum tantummodo proceſſionum mentio reperitur, una eſt illa Filii, alia illa Spiritus Sancti, nec alios Filios, aut Spiritus Sanctos admittere poſſumus, aliter proceſſus in infinitum foret in ipſis admittendus; Quapropter ſic confici poteſt argumentum. Tot ſunt proceſſiones in divinis, quot ſunt perſonæ procedentes, ſed duæ tantum ſunt perſonæ procedentes, ergo duæ tantum ſunt proceſſiones; minor patet, etenim, ut fides docet, qua tantum ſuppoſita ratiocinamur, Pater eſt innaſcibilis, ingenitus, principium & fons totius divinitatis, procedere igitur à nemine poteſt, itaque perſonæ procedentes ſunt tantum Filius, & Spiritus Sanctus. Alia etiam via idem demonſtrare poſſumus, quæ tenet etiam in hypotheſi, in qua Spiritus Sanctus non procederet à Filio, quod tamen omnino falſum eſt, ut ſuo loco demonſtrabimus. Tot enim proceſſiones admittere debemus, quot ſunt facultates, quib. ad intra Deus agere poteſt, ne dicamus aliquã facultatem ſterilem eſſe, nulliuſque termini productivam, ſed in Deo duæ ſunt facultates, quibus ad intra Deus agere poteſt, nimirum intellectus, & voluntas, ergo etiam duæ erunt proceſſiones, ac duo termini earumdem.

7. Dixi, duos terminos earumdem, ut innuerem, uno producto Verbo per intel-

intellectum, unoque Spiritu Sancto per voluntatem nullum aliud Verbum, nullumque alium Spiritum Sanctum produci poſse; Ita enim Verbum eſt terminus intellectus divini, ut totam adæquet, & exhauriat vim intelligendi, quæ ad intra eſt in natura divina, & in paterna mente, nec quid amplius eſse poteſt in intellectu Filii, quam fuerit in intellectu Patris, cum Pater intelligendo ſe integre perfecteque dicat. Hoc perpendit S. Auguſtinus, & lib. 15. de Trinit. cap. 14. inquit. *Se ipſum dicens Pater genuit ſibi Verbum æquale per omnia; non enim integre, perfecteque dixiſſet, ſi aliquid minus aut amplius eſſet in ejus verbo quam in ipſo.* Unico igitur Verbo omnia dicuntur, aliud ergo dari non poteſt; atque idem dicendum de Spiritu Sancto per reſpectum ad voluntatem. Horum porro ratio eſt, quia Verbum eſt terminus infinitus intellectus, Spiritus Sanctus terminus infinitus voluntatis, ſpectat autem ad id, quod infinitum eſt, unum eſse, ſicut nos Dei unitatem ex hoc principio cum aliis Theologis probavimus, qua in re inquit Tertullianus de Trinit. cap. 4. *Summum autem quidquid eſt, ita demum ſummum eſſe oportet, dum extra comparem eſt, & ideo ſolum & unum ſit, neceſſe eſt, cui conferri nihil poteſt, dum parem non habet, quoniam nec duo infinita eſſe poſſunt, ut rerum dictat ipſa natura.*

8. Si ita eſt, inquies, erit igitur in Deo unica tantum proceſſio, quia cum hæc infinita ſit, non niſi una eſse poteſt; verum dicis, ſi omnia ſumas in ſuo ordine, ſed quia in Deo eſt infinita vis intelligendi, una debet eſse proceſſio in ordine intellectivo, quia infinita eſt vis volendi, unica debet eſse in ordine volitivo.

9. Abſit hoc, replicabis, ſicut enim ordo intellectivus non differt ab ordine volitivo, ſed in Deo idem omnino eſt, ita terminus unius à termino alterius non diſtinguetur. Sed perperam argumentaris; etſi enim facultas intellectus non diſtinguatur re à facultate voluntatis, aliquo tamen modo diſtinguitur, vel virtualiter, vel ratione, vel etiam formaliter ex natura rei juxta principia a me alibi ſtatuta, ſic autem habere poſſunt terminos re diſtinctos, quod manifeſtum eſt etiam in nobis; Quare autem illi duo termini diſtingui debeant, declarabitur.

10. Sed ſi hoc, inſiſtes, tribuimus intellectui, & voluntati, quare non divinæ omnipotentiæ ac bonitati, ad quam tamen pertinet, eſſe ſui effuſivam? ſcias, divinam omnipotentiam eſſe principium agendi ad extra, & ipſam reſpicere tanquam ſui terminum omnes res creatas, divinam vero bonitatem pertinere ad eſſentiam divinam, quæ non agit niſi per intellectum, & voluntatem, & ita Deus cognoſcendo & amando bonitatem ſuam producit Verbum, & Spiritum Sanctum. Rurſus bonitas pertinet ad cauſam finalem, non efficientem, & productivam, in quo ſenſu bonum eſt effuſivum ſui, quia movet ad agendum.

11. Contra autem ea, quæ dicta ſunt in probationibus noſtris, directe ſic poteſt opponi. Non minus vis ſpirandi in Patre eſt infinita, quam ſit vis intelligendi, ſed hoc non obſtante illa ita communicatur Filio, ut poſſit habere terminum ſpirationis: ergo etiam hæc ita communicabitur Filio, ut poſſit habere terminum intellectionis, atque ideo aliud Verbum; Imo hoc dici debet, ne aliquam perfectionem tribuamus Patri, quam Filio negemus; Quemadmodum enim eſſet imperfectus Pater, & Deus, ſi foret infæcundus, ita foret imperfectus Filius, ſi infecundus eſſet, ac nihil produceret. Idem valet de Spiritu Sancto.

12. Reſp. pro argumento primo clariſſima eſt diſparitas; quia pro eo ſigno, quo producitur Verbum, non intelligitur exhauſta vis ſpirandi in Patre,

ære, quia nondum intelligitur productus Spiritus Sanctus, & quia Filius habet omnia quæ Patris ſunt, nec per aliquem terminum exhauſta ſunt, etiam vim ſpirandi habere debet; è contrario per productionem Verbi vis intelligendi exhauritur, ideo illam nequit habere hujuſmodi, ut alium terminum producere poſſit.

Ad aliud. Si Pater intelligendo non produceret, non eſſet Pater, ſi Filius intelligendo produceret, non eſſet Filius. eſſet igitur imperfectus Deus, ſi nullum produceret terminum, quia abſolute eſſet infæcundus, non eſt autem imperfectus Filius, ſi aliud Verbum non producit, quia licet non producat, non habet tamen intellectum infæcundum, cum habeat intellectum Patris jam pro illo priori originis infinite fæcundum; neque hæc non productio oritur ex defectu intellectus, ſed ex ſumma perfectione Verbi, quod cum infinitum ſit, aliud Verbum admittere non poteſt.

ARTICULUS II.

Quodnam ſit divinarum proceſſionum principium.

13. SUppono quod ab omnibus traditum & acceptum eſt, aliud eſſe principium *quod* & eſt ſuppoſitum, juxta commune illud *actiones ſunt ſuppoſitorum*, aliud principium *quo* & eſt virtus illa, per quam agens, ſeu ſuppoſitum operatur, Rurſus principium *quo* dividitur in remotum, ſeu radicale, & in proximum, ſeu formale, & immediatum; Sic principium intelligens eſt v. c. Paulus, anima rationalis eſt principium quo remotum, intellectus vero eſt principium *quo* proximum; Si autem quidam Recentiores Theologi hanc remoti, & proximi diſtinctionem nolint agnoſcere, parum noſtra intererit, nam hoc dato nulla fiet controverſia.

14. De principio igitur *quod* nulla difficultas excitatur apud doctores, ſed ſolum de principio *quo*. Durandus in 1. ſent. q. 2. *diſt. 6.* aliiſque in locis aſſerit, hujuſmodi principium eſſe naturam divinam quatenus eſt infinita, & fæcunda, non vero quatenus eſt intellectiva & volitiva, ita ut ſi per impoſſibile careret intellectu & voluntate, adhuc Pater produceret Filium, ac Spiritum Sanctum, quadam tamen appropriatione proceſſionem Filii tribui intellectui, & proceſſionem Spiritus Sancti tribui voluntati, cum enim apud nos prior ſit actio intellectus, poſterior actio voluntatis, ſit, per quamdam ſimilitudinem proceſſionem Filii, quæ prior eſt, dici per intellectum, proceſſionem Spiritus Sancti, quæ eſt poſterior, dici per voluntatem.

15. Oppoſitum docuerunt alii, ſtatuentes, intellectum & voluntatem eſſe principium quo proximum atque immediatum divinarum proceſſionum, ita ut actio productiva ſit intellectio, & volitio, connotantes tamen relationes vel tanquam conditiones neceſſarias, vel tanquam comprincipia. Hoc ſecundum tribuitur Valentiæ, Lugo, aliiſque; Primum vero ſuſtinetur a Thomiſtis, Scotiſtis, ac communiori Theologorum parte. Eſt denique tertia ſententia defendens, præfatum principium relationibus tantum eſſe tribuendum, & pro hac fertur S. Bonavent.

16. Concluſio I. Intellectus & voluntas ſunt principium quo proximum divinarum proceſſionum formaliter & per ſe loquendo, & ideo ſi per impoſſibile Deus non eſſet intellectu, & voluntate præditus, hujuſmodi proceſſiones non eſſent.

Prob. Illud eſt proximum, & immediatum principium, a quo habetur proceſſio Filii, & Spiritus Sancti, quod eſt principium proximum & immediatum, a quo habetur proceſſio Verbi, & Amoris ſubſtantialis, atqui principium

pium proximum, & immediatum, a quo habetur proceſſio Verbi, & Amoris ſubſtantialis eſt intellectus, & voluntas, ergo. Major clara eſt, quia Filius eſt eſſentialiter Verbum, ita appellatum in Scripturis ſanctis. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*. Joan. 1. *Eructavit cor meum Verbum bonum*, Pſ. 44. *Vocatur nomen ejus Verbum Dei* Apoc. 19. Spiritus Sanctus eſt eſſentialiter amor; *Deus Charitas eſt* 1. Joan. 4. quod de Spiritu intelligunt omnes Sancti Patres, & Eccleſia; prob. mi. Illud eſt principium proximum, & immediatum, a quo habetur proceſſio Verbi, & Amoris ſubſtantialis, a quo habetur Verbum, & Amor ſubſtantialis, ſed ab intellectu habetur Verbum, a voluntate Amor, & ita quidem, ut demptis intellectu, & voluntate, nequaquam concipi poſſit Verbum, & Amor, ergo.

17. Hoc profecto illud eſt, quod ex Sanctorum Patrum doctrina accepimus traditum. *Filius mentis legitimus divinum illud Verbum*. inquit Clemens Alexandrin. in admonitione ad Gentes; *In principio erat Verbum. Cur Verbum?* interrogat Baſilius in 1. Joan. & reſpondet, *Ut perſpicuum ſit proceſſiſſe ex mente*. atque ut prætereaṁ Irenæum lib. 2. cap. 28. Tertul. lib. contra Prax. cap. 5. Auguſtin. lib. 15. de Trinit. cap. 13. Fulgentium lib. 3. ad Monimum cap. 7. *Verbum dicitur, quia ita ſe habet ad Patrem, ut ſermo ad mentem*. concludat Gregor. Nazianz. orat. 36.

18. Explicet nunc Durandus hæc omnia, & dicat, ut revera dicit, hæc tribui Verbo, & Spiritui Sancto per quamdam appropriationem, ſeu accommodationem deſumptam a creaturis, ut prænotavimus num. 14. Sed quid hoc, niſi viam ſternere, qua omnes ſcripturæ textus in ſenſu accommodatitio explicare poſſimus? Quod hoc, niſi etiam nomen Filii, & Spiritus Sancti in eodem ſenſu tribui perſonis? Quid hoc, niſi favere hæreſi Alogianorum, qui ex Epiphanio hæreſi 52., Apocalypſim, & Evangelium Joannis reſpuebant, quia utrobique habetur de Chriſto, eſſe Verbum? Meminerit, ſcripturæ verba eſſe proprie accipienda, quotieſcumque alicui Fidei myſterio non obſtat juxta regulam Auguſtini lib. 3. de doctrina Chriſt. cap. 10.

19. Prob. Secundo. Proceſſiones in divinis ſunt operationes vitales, & per operationem immanentem, cum eſſe debeant perfectiſſimæ, nec per actionem tranſeuntem, quæ communis eſt etiam imperfectioribus creaturis, nec ſint ſimplices emanationes, cum eſſe per ſimplicem emanationem conveniat proprietatibus, nequaquam perſonis diſtinctis & habentibus eamdem numero naturam, ſed in Deo nulla alia operatio vitalis & immanens eſſe poteſt, niſi per intellectam & voluntatem, ergo proceſſio tantum eſſe poteſt per intellectum & voluntatem; & ſicuti, ſi per impoſſibile Deus non eſſet intelligens, & volens, neque eſſet vivens, ita neque eſſet harum proceſſionum principium; niſi remotum & radicale, ſicut natura remote, & radicaliter eſt intellectus & voluntas.

20. Eſt etiam alia ſatis apta ratio ad idem probandum, deſumpta ex abſurdis, quæ admiſſa Durandi ſententia ſequuntur, etenim non poſſet afferri ratio, cur Filius a ſolo Patre procedat, Spiritus vero Sanctus a Patre, & Filio; cur ſint duæ proceſſiones, non una tantum, quia natura divina una, & ſimpliciſſima eſt, præter alia, quæ prætorimus, nec ita firma exiſtimamus.

21. Aliud argumentum pro ſententia noſtra proponit celebris alioquin Theologus Honoratus Touornely; & eſt hoc. Eſſentia per ſeſe immediate non operatur, ſed per ſuas facultates, hinc commune illud ac receptum in Scholis effatum, *Eſſentia nec producit, nec producitur, nec generat, nec generatur*.

ratur. Quod axioma confirmavit Concil. Lateranenſe ſub Innoc. 3. adverſus Abbatem Joachimum (Hic adducit Summi Pontificis dictum) Cujus quidem, proſequitur, a priori ratio hæc eſt, quod inter generantem, & genitum, procedentem & eum a quo procedit, realis intercedit diſtinctio, fieri quippe non poteſt, ut quis ſemetipſum producat, aut a ſemetipſo procedat: atqui in Deo nulla eſt, non tantum realis, ſed ne virtualis quidem diſtinctio inter eſſentiam, ſeu naturam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ſiquidem una eſt ſingularis, & numerica, & individua in tribus perſonis, ergo eſſentia, quæ eſt in Patre, producere non poteſt eſſentiam Filii, ergo eſſentia divina non eſt principium proximum & immediatum divinarum proceſſionum.

22. Verba laudati Doctoris fideliter deſcripſi, ſed miror, non agnoviſſe argumenti infirmitatem, & falſitatem, admitto enim quod dicit in propoſitione, ſed quod in aſſumptione legitur, idem valet de intellectu, ac voluntate; nonne enim etiam intellectus & voluntas Patris ne quidem virtualiter diſtinguitur ab intellectu, & voluntate Filii, & Spiritus Sancti? nonne intellectus unus, ſingularis, numericus, individuus in tribus perſonis? igitur eadem illatio ſubſequetur.

Firmum igitur ſit quod a nobis propoſitum eſt, præſertim in prima probatione.

23. Concluſio Secunda. Relationes divinæ non ſunt principium, ſeu comprincipium *quo* proximum, & immediatum divinarum proceſſionum, ſed tantum conditiones neceſſario requiſitæ.

Prob. prima pars. Principium quo proximum vel adæquatum, vel inadæquatum, eſt id, quo vel adæquate, vel inadæquate agens operatur, ſed relatio non eſt id quo &c. ergo. prob. mi. principium, quo agens operatur, illud eſt, quo res producta ſimilis eſt producenti, ut patet in homine, qui ſimilem ſibi facit hominem genitum, & in igne per reſpectum ad ignem &c. Sed agens in divinis ita operatur, ut res producta non ſit ſimilis producenti in relatione, immo in relatione opponuntur & diſtinguuntur, ergo. Quod ſi dicant, actionem in divinis eſſe æquivocam, falſum dicunt, eſt enim Filius Deus de Deo, & unum cum Deo Patre, & in actione æquivoca cauſa eſt ſemper perfectior effectu, quod inter Patrem & Filium in divinis nefas eſt dicere.

Confirmatur. Relatio in divinis vel ſumitur ut eſt forma hypoſtatica, vel ut eſt ordo unius ad alterum, ſed quomodocumque ſumatur non eſt principium productivum, ergo; non ut forma hypoſtatica, quia ſub hac conſideratione ſe habet, ſicut forma individualis, quæ certe non eſt operandi principium, ſed tantum reddit naturam incommunicabilem alteri, tanquam ſuppoſito, & homo quidem generat hominem, non tamen Petrus generat Petrum. non ut eſt ordo unius ad alterum, etenim ſub hoc conceptu ſupponit terminum generationis jam productum, ergo.

24. Ex iſtis facile conſtat ſecunda pars concluſionis. Quod enim non ſe habet ut principium agendi, & ad agendum neceſſarium eſt, conditio dici debet, ſed ex dictis relatio non ſe habet ut principium agendi, & ad agendum requiritur, nam ea dempta, ratio afferri non poteſt, cur Pater generet, Pater & Filius ſpirent &c. nec habetur diſtinctio requiſita inter id quod producit, & id, quod producitur. Quamvis vero conditio non influat, attamen in eadem forma variat influxum, ut pluribus patet exemplis.

ARTICULUS. III.

Solvuntur objectiones.

25. EA præteribo argumenta, quæ deſumuntur a perfecta identitate, quæ inter naturam divinam & facultates etiam adinvicem reperitur, qua poſita quidquid de facultatibus dicitur etiam de natura dicandum, & quidquid de una facultate, etiam de alia; nam ut præmonui, hoc dato nulla erit controverſia; attamen diſtinctionem ſaltem rationis, & virtualem admittendam eſſe, ſupponimus, & alibi probavimus etiam diſtinctionem formalem ex natura rei.

Itaque opponunt primo ex Sanctis Patribus. Athanaſ. lib. de Synodis ad anathe. 24. ait. *Creaturis ſubſtantiam Dei voluntas attulit, Filio vero natura dedit.* Auguſt. 15. de Trinit. cap. 20. *Verbum, per quod omnia facta ſunt, eſſe Filium Dei natura.* Damaſc. lib. 1. cap. 8. *generationem eſſe opus naturæ.* ergo juxta Patrum doctrinam natura eſt principium quo divinarum proceſſionum; aut ſaltem dicamus, hujuſmodi principium eſſe indiviſim naturam cum facultatibus juxta commune eorumdem Patrum effatum, *Totum de toto, plenum de pleno, perfectum de perfecto, integrum de integro.*

26. Reſp. Si cum Scholaſticis loquamur diſ. conſ. ergo juxta Patrum doctrinam natura eſt principium quo remotum conc. proximum ne. Si vero intentum Patrum velimus exponere, dicimus, eos voluiſſe innuere Verbum non procedere a libera Dei voluntate, ſicut creaturæ, contra Arianos, ſed naturaliter & neceſſario. Quantum ad aliud Patrum effatum, jam notum eſt, Arianos dixiſſe, Filium eſſe portionem Patris, nec ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ; Urgebant Doctores Sancti contra ipſos ſummam Dei ſimplicitatem, qua vel tota communicari debet, vel nullo modo, ideo dicebant, *Totum de toto &c.* quod veriſſimum eſt propter ſummam realem identitatem; Quodnam vero fuerit principium proximum, ne quidem Patres cogitarunt, quamvis juxta noſtram aſſertionem tradiderint, ut oſtendimus.

27. Opp. 2. Præciſis intellectu & voluntate natura divina eſt fæcunda, quia eſt ſimpliciter infinita, continens omnem perfectionem; Neq. dicas eſſe fæcundam remote & radicaliter, non proxime & formaliter. contra enim. Fæcunditas eo modo ſervata proportione convenit Deo, quo convenit aliis creaturis, ſed aliis creaturis convenit tantum ratione naturæ, non vero ratione intellectus, ergo etiam ita convenit Deo; & rurſus ſequeretur, naturas non intelligentes nequaquam generare, & producere. Adde; perperam a nobis hanc vim producendi tribui intellectui, cum juxta Ariſt. 9. Metaphi. tex. 16. *Actus intellectus ſint ſteriles.*

28. Reſp. acceptando reſponſionem ad impugnationem, tranſmiſſa propoſitione, falſa eſt aſſumptio, nam etiam creaturæ immediate producunt non per naturam, ſed per facultates naturæ; Sed ſi hoc in creaturis admittamus, valde diſpar eſt ratio, loquendo de Deo, cujus productionis termini eſſe debent Verbum perfectiſſimum, & perfectiſſimus amor in linea ſubſtantiali, & cujus fæcunditas eſſe debet per actus vitales immanentes, nequaquam infimis creaturis communis, quod totum patet ex probationibus noſtris. Ad Ariſt. textum, variis uti poſſemus explicationibus, præſertim eſſe ſteriles quantum ad opus permanens poſt ſe, e contra actio tranſiens habet terminum poſt ſe permanentem; ſed brevius dicimus, id ad ſummum eſſe verum in actionibus intellectus creati propter ejus limitationem, non ſic in actionibus immanentibus divinis propter rationem oppoſitam.

29. Opp.

29. Opp. 3. Si intellectus & voluntas eſſent principium quo per ſe divinarum proceſſionum, cuicumque conveniret intelligere & velle, conveniret etiam generare & ſpirare, ſed hoc eſt falſum, cum Filius & Spiritus Sanctus intelligant, & velint, & quidem eadem intellectione & volitione, qua Pater, nec tamen generant, & ſpirant, ergo.

Reſp. retorſionem argumenti compertam eſſe. Si natura divina eſſet principium quo &c. cuicumque conveniret natura, etiam conveniret eſse principium quo divinarum proceſſionum, ſed Filio, & Spiritui Sancto convenit natura divina, & quidem eadem, quæ Patri, ergo. Reſponſio itaque patet ex ſecunda noſtra concluſione, nimirum, intellectum & voluntatem eſſentialem convenire quidem omnibus perſonis divinis, non tamen intelligere & velle notionale, ideſt affectum tali conditione, quæ ad generandum eſt paternitas, ad ſpirandum paternitas & Filiatio, proinde mirum non eſse, ſi intellectus in Patre ſit principium generationis, non ſic in Filio.

30. Sed hic movetur difficultas apud Doctores Scholaſticos, utrum actus eſsentiales ſint diverſi ab actibus notionalibus. Scotus in 1. diſ. 2. q. 7. §. *ad ſecundum dubium*; & quodlibeto 14. §. *Hic intelligendum* diſtinguit intelligere, & dicere tanquam duos actus intellectus virtute diverſos, rurſus amare ſimpliciter, & amare productivum, pariter tanquam duos actus voluntatis, hinc docet, actum intellectus, qui eſt dicere, eſse principium Filii, & amare productivum eſse principium Spiritus Sancti; Hos appellat actus notionales, alios vero eſsentiales. Henricus quodlibeto 6. q. 1. & in ſumma quæſt. 54. diſtinguens in nobis duplicem intellectionem & volitionem, unam, quam vocat paſſivam, alteram, quam dicit activam, illam appellat directam, remiſsam, non productivam termini, hanc reflexam, ferventem, & termini productivam, eodem etiam modo duplicem intellectionem, & volitionem in Deo admittit, directam, & quaſi paſſivam, & hæc eſt eſsentialis, reflexam & activam, & hæc eſt notionalis. Thomiſtæ vero ferme cum omnibus aliis doctoribus, unicum admittunt in Deo intelligere & velle, ita ut intelligere eſsentiale, & intelligere notionale inter ſe non diſtinguantur, niſi adinſtar includentis & incluſi, & ita omne intelligere notionale includat primum, quamvis primum non includat ſecundum. In hac difficultate dirimenda immorari non placet, cum ſive unum dicatur, ſive aliud, myſterium Trinitatis in ſuis proceſsionibus ſervetur, & potius Philoſophum agerem, quam Theologum, aliquid tamen in hac re in philoſophicis quæſtionibus ad Tractatum de anima pertinentibus dixi.

31. Interea quid contra ſecundam aſſertionem noſtram dicatur, videamus. 1. Illud eſt principium quo proximum generationis, quo Pater conſtituitur formaliter & proxime generans, ſed hujuſmodi eſt relatio, nempe paternitas, ergo relatio eſt principium quo proximum generationis. prob. mi. eſſe formaliter & proxime generans eſt proprium Solius Patris, ſed quod eſt proprium Solius Patris habetur per relationem, nempe paternitatem, ergo. prob. mi. ſola relatio, nempe Paternitas eſt forma propria Patris, ergo.

32. Reſp. tranſ. indiſ. maj. ne. mi. ad prob. conc. maj. diſ. mi. habetur per relationem tanquam conditionem neceſſariam conc. tanquam per principium agendi ne. mi. & conſ. Per Paternitatem Deus formaliter conſtituitur Pater, & ſic formaliter conſtituitur principium quod generationis, quia per ipſam conſtituitur in ratione ſuppoſiti; per Paternitatem tamen non conſtituitur generans, *ut quo* niſi tanquam per conditionem

ditionem ſicuti probatum eſt; Neque obſtat, hoc eſſe proprium Patris; etenim ſola conditio poteſt ita modificare formam, quæ ſecundum ſe ita ageret, ut ita agat proprie in uno ſuppoſitò, non in alio; Proprium eſt boni abſentis movere ad deſiderium, boni præſentis ad gaudium, nec tamen abſentia, vel præſentia ſunt ratio movendi, ſed ſola conditio.

33. Dices. Generare ita eſt proprium Patris, ut ſit quid perſonale, ergo debet haberi per aliquod proprium, & perſonale, prob. conſa actus proprius & perſonalis per aliquid proprium & perſonale debet haberi, ſicut quod eſt eſſentiale, & commune habetur per aliquid eſſentiale, & commune.

Sed contra. redit retorſio, movere ad deſiderium eſt proprium boni abſentis, ergo debet haberi per abſentiam, tanquam per rationem formalem movendi ad deſiderium; omnes negant illationem; in hoc igitur ſenſu conc. ant. ne. conſ. ad prob. diſ. ant. per aliquid proprium & perſonale tanquam conditionem conc. tanquam rationem formalem ne. ant. & conſ. ad paritatem, clara diſparitas eſt, quia principium commune & eſſentiale aſsimilat in eo, quo agit, non ſic proprietas perſonalis, quæ ſe habet veluti forma individualis &c. ſicuti dictum eſt. & hac doctrina plura alia ſimilia reiicies.

34. Inſtabis. hoc dato vera erit ſententia Durandi docentis, unionem hypoſtaticam factam eſſe in natura ut appropriata Verbo, non ſic in ipſa Verbi relatione. Ut reſpondeas; vide quæ diximus pro hoc puncto in tractatu de Incarnatione q.3. art.5. Hoc unum tibi modo ſufficiat, quod proprietas perſonalis verbi habet vim terminandi humanitatem; Paternitas vero non habet vim agendi; ſicut probatum eſt.

35. Opp. 2. Principium realiter influens diſtingui debet realiter a termino, ſed ſola relatio Patris diſtinguitur a Filio, ergo ſola relatio eſt principium influens. Neque dicas, majorem eſſe veram de principio quod, & hoc eſt perſona, quæ in recto conſtituitur per relationem ab alia relatione diſtincta realiter, falſam tamen de principio *quo*, quod diſtingui debet a termino realiter ſecundum connotatum, & conditionem modificantem, non tamen ſecundum rectum, & rationem formalem aſſimilandi propter ſui infinitatem; ſi enim producere eſt ſimilem reddere, etiam perfectiſſime producere eſt perfectiſſime ſimilem efficere, quæ perfectiſſima ſimilitudo ſibi vindicat identitatem naturæ, intellectus, voluntatis, omniumque abſolutorum tam in principio producente, quam in termino producto. Quod dico de aſſimilatione, dico etiam de communicatione, ita ut ſi producere eſt naturam communicare, etiam perfectiſſime producere erit perfectiſſime communicare, quod non eſt ſine eadem numero natura.

36. Neque inquam illud dicas. etenim etiam de principio *quo* ſervari debet realis diſtinctio, 1. quia magis influit principium *quo* quam *quod*. Hoc enim influit in illius virtute, ergo ſi principium *quod* quia influit diſtinguitur, diſtingui etiam debet principium *quo*. 2. quia etiam principium *quo* habet relationem ad terminum, debet igitur a termino diſtingui.

38. Sed contra accepto reſponſionem datam num. 35. ad impugnationem ne. ant. ad prob. verum eſt antecedens, ſi loquamur de formali ratione agendi, & aſſimiliandi, falſum ſi de omni conditione ex parte principii & termini, nempe de diſtinctione inter utrumque. Neque concedi poteſt principium *quod* diſtingui per influxum, tanquam per rationem formalem, ſed ſolum conſequtive, ita ut ſola relatio ſit cauſa diſtinctionis, ſed quia, ſi non eſſet influxus, neque eſſent perſonæ quæ ad invicem referrentur, ideo valet, principium

pium quod diſtingui, quia influit; Cæterum allatum argumentum eſt ſimile huic: Gaudeo de bono, quia eſt mihi præſens, ergo præſentia eſt ratio formalis, propter quam gaudeo. Hæc illatio eſt falſa, ergo & illa, principium *quod* diſtinguitur, quia influit, ergo influxus eſt ratio formalis diſtinctionis. Ad 2. dico habere relationem ad terminum per modum ſuperadditum a ſe virtualiter diſtinctum, & realiter diſtinctum a termino, non autem per ſeipſum; habet quidem relationem rationis ad obiectum intellectum, quod re eſt idem cum ipſo; & termino perfectiſſime communicatur.

38. Opp. 3. Paternitas tribuit Patri id, per quod operetur, ergo eſt ratio formalis operandi; prob. ant. Paternitas tribuit Patri id, per quod eſt Pater, ergo tribuit id, per quod operetur, juxta illud, quod dat eſſe, dat operari.

Reſponſio patet ex dictis; negatur antec. ad prob. Paternitas dat Patri id, per quod eſt Pater in eſſe perſonæ tanquam forma quaſi individualis, non tanquam forma quaſi ſpecifica, hæc autem eſt principium operandi, non illa.

39. Opp. 4. ex Sanctis Patribus. S. Athanaſ. 1. dialo. de Trinit. quærit diſcrimen, quo Pater generat, & creat; reſpondet. *Hypoſtaſi gignit, mandato condit*. Auguſt. 8. de Fide ait. *Generatio eſt opus paternæ proprietatis*. & 5. de Trinit. cap. 5. *Pater non dicitur Pater, niſi ex eo, quod eſt ei Filius*. ex quo ſic; atqui ei eſt Filius propter potentiam generativam, ergo eſt Pater propter potentiam generativam; Sed eſt Pater Paternitate, ergo Paternitas eſt potentia generativa.

40. Reſp. Patres loqui de principio *quod* non *quo*. illud autem omnes concedunt. vel dicas, hypoſtaſi gignere tanquam conditione; & ſi ſumeretur teſtimonium Athanaſii ſtricte, dicendum foret, quod ſicut condit mandato, quod toti Trinitati eſt commune, ita gigneret hypoſtaſi, quæ toti Trinitati communis foret. Tertia Auguſtini auctoritas probat, Patrem non dici, niſi ad Filium referatur; ad argumentum dico, eſſe Patrem Paternitate tanquam proprietate perſonali, & quaſi individuali, non tanquam principio operativo.

Plura alia opponere ſolent, ſed quia nullius momenti ſunt, a nobis ultro prætermittuntur.

41. Contra id, quod ſtatutum eſt, Relationem eſſe conditionem ad operandum, dici poſſet 1. hanc non eſſe conditionem, ut principium quo ſit, ergo neque ut operetur. Secundo nomen conditionis ſine imperfectione concipi non poſſe, ſicut non poteſt nomen diſpoſitionis. Sed nonne etiam cognitio non eſt conditio, ut bonum ſit, & tamen eſt conditio, ut bonum ametur? Diſpar etiam eſt ratio diſpoſitionis, & conditionis; Id diſponitur, quod tranſit de aliquo gradu imperfecto ad perfectum; Hoc conditio non poſtulat.

ARTICULUS IV.

Utrum aliqua preceſſio in divinis generatio dici poſſit.

42. Occurrit hic neceſſario expendendum, quid ſit generatio quæ juxta doctrinam Ariſt. probl. 14. ſec. 4. a majori Theologorum parte definitur, *origo viventis a vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ* definitionem hanc explicabimus, ut quo pacto intelligenda ſit, non ignoremus. dicitur *Origo*, nimirum proceſſio, & prolatio, *viventis à vivente*, itant tam qui generatur, quam qui generat vere vivat, ideo productio animalium quorumdam ex putri per ſyderum influxum, ut aliqui docent, non eſt generatio proprie accepta, *principio conjuncto* ideſt

modo ſibi proprio effundente virtutem ſuam, & ideo productio Evæ ex coſta Adami non fuit generatio, nec Adam fuit Pater Evæ, quia non prodiit modo illo, quo vir generat ſibi ſimile in ſpecie ſed operatione divina, per quam ſicut facta fuit Eva, ita quodcumque aliud fieri potuiſſet; conjunctum etiam dicitur, quia qui generatur debet eſſe ex generantis ſubſtantia, atque hic vivens ſtrictius ſumi debet, ideſt pro ſenſitivo, vel intellectivo, atque ideoab hac generatione excluduntur vegetabilia,& quãvis planta ſit ex ſubſtantia plantæ ejuſdem ſpeciei, attamen nec genita dicitur Filia, nec generans dicitur parens. *in ſimilitudinem naturæ*, quæ particulæ primo intelligendæ ſunt ſecundum ſpeciem infimam, unde Filius dicitur imago Patris, qua ratione capilli, & ungues, etiamſi viverent, & eſſent a principio vivente, adhuc non poſſunt dici geniti, & vermes ab homine producti non ſunt ejusdem filii, ſecundo intelligendæ ſunt per ſe, & non per accidens, ut contingit in monſtris, & in generatione Muli ex equo & ex Aſina. Addunt aliqui hanc ſimilitudinem *ex vi actionis* eſſe debere, ita ut ad veram generationem non tantum neceſſe ſit, terminum eſſe ſimilem generanti, ſed etiam facultatem, per quam terminus generatur propria notione ad communicandam naturæ ſimilitudinem tendere. Quare autem hoc additum ſit, infra patebit. Hiſce poſitis.

43. Ex iis, quæ in ſcripturis habemus, aliquam proceſſionem, nempe illam divini Verbi, generationem eſſe, compertum habemus; eſt enim *origo* ſeu proceſſio Joan. 8. *Ego ex Patre proceſſi. viventis à vivente. Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo*. Joan. 5. *principio conjunctio*. Joan. 14. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt. In ſimilitudinem naturæ. Ego & Pater unum ſumus*. Joan. 10. Procul dubio ſcriptura ſancta, dum de Filio ſermonem habet, ejus generationem commemorat. Iſaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit* pſal. 2. *Ego hodie genui te*. pſal. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te*. Joan. 1. *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris. & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre*, ubi particula *quaſi* non eſt diminuens, ſed juxta phraſim hebraicam rei veritatem ſignificat.

44. Generationem hanc prorſus abiicere contenderunt ſemper Ariani, putantes eam ſine ſubſtantiæ diviſione fieri nequaquam poſſe, & humanis divina, corporeis incorporea metientes, ſtultiſſime errarunt. contra quos unanimi conſenſu ſcripſerunt Patres, quos adducemus, ubi de Verbi divini conſubſtantialitate pertractabimus. Hinc non nulla, quæ directe contra proceſſionem, quæ generatio ſit, opponuntur, referemus, ut deinde refellamus.

45. Opponunt 1. Generatio opponitur corruptioni, & definitur mutatio de non eſſe ad eſſe, ſeu totius in totum nullo ſenſibili remanente, ſed hoc in divinis reperiri non poteſt, ergo in divinis nulla proceſſio, quæ ſit generatio. Et certe hujuſmodi generatio, vel eſt, vel fuit, vel erit; ſi fuit, ergo mutatio in Deo, ſi eſt, ergo nondum Filius eſt pefecte genitus, ſi autem erit, ergo in Deo non eſt.

46. Præterea. Si Pater genuit, vel genuit filiũ habentē exiſteniam, vel carentem exiſtentia, ſi primum, jam gigni non potuit, quia ante generationem ſupponitur exiſtens, ſi ſecundum, ergo Filius aliquando non fuit, ergo non eſt Deus. Et certe, ſi filius à Patre generatur, habet principium ſuæ exiſtentiæ à Patre, ergo etiam habet principium durationis, cum duratio ab exiſtentia non diſtinguatur.

47. Rurſus. Si in divinis admittenda foret generatio, hæc utique perfectio eſſet, deberet igitur admitti etiam in

aliis

aliis ſubſtantiis ſimplicibus, & intelligentibus, & tamen non niſi ſubſtantiæ naturales generant, ut experimento videmus. Tandem. Filius vel præfuit in Patre actu, vel potentia, vel nullo modo; ſi hoc poſtremum, eſt per creationem ſi actu, fuit antequam gigneretur, ſi potentia, ergo in Deo fuit aliquod reducibile in actum, quod eſt imperfectio.

48. Reſpondeo, hæc omnia ab hæreticis dici, quia humanis divina, corporeis incorporea metiri voluerunt. Illa generatio ſic definita competit quidem rebus materialibus, & corruptibilibus, quæ tranſeunt de potentia in actum vitæ, vitamque deperdunt, non tamen convenit enti ſumme neceſſario, quod ſemper vivit actu, quia ſemper eſt, & ab æterno eſt, ſicut eſt generatio Verbi divini; non igitur dicas, vel fuit, vel erit, iſtæ enim ſunt temporis differentiæ, ſed dicas eſt, & ſemper fuit, quod ſemper eſt. Audi pro prima parte argumenti Gregorium Nazianzenum orat. 35. *Tuas* inquit, *fluxiones, & diviſiones, & ſectiones prius obiice, ac de incorporea illa natura, quaſi de corporea diſputare deſine: atque ita fortaſſe dignum aliquid generatione divina concipere animo queas*. Audi pro ſecunda parte Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, teſte Ario in epiſt. ad Euſebium Nicomedienſem, hæc prædicantem; *Semper Deus, ſemper Filius, ſimul eſt Pater, ſimul & Filius, neque cogitatione, neque momento aliquo Filium Deus antecedit, ſemper Deus, ſemper Filius, ex ipſo Deo Filius eſt*.

49. Ad 2. Accipit Filius exiſtentiam, exiſtens per illam exiſtentiam, quam accipit, & ideo accipit eſſe, quod habet eodem momento æternitatis, quo illud habet à Patre; accipit eſſe, quod habet accipiens, atque ideo non habet principium, ideſt initium, ſuæ exiſtentiæ, quia Pater eſt principium agens immanenter communicando idem numero eſſe. præclare in hac re loquitur Petrus Chryſologus ſerm. 60. *Dicis hæreticus, quomodo Pater, ſi non præcedit? Quomodo filius, ſi non ſequitur? Quomodo non dat initium, qui generat? Quomodo quod generatur principium a generante non ſumit? Hoc ratio docet, hoc natura probat; Erras hæretice, hoc habet humana ratio, non habet hoc divina; hoc accipit natura mundi, deitatis non recepit hoc natura*.

50. Ad 3. Fatemur, generationem ſub conceptu generationis eſſe perfectionem, cum ſic explicet communicationem naturæ propriæ, quæ communicatio perfectio eſt, quælibet autem imperfectio, quæ in generatione reperitur, eſt propter rationem creaturæ quæ cum finita ſit, nequit communicare eamdem numero naturam, & ideo eſt cum deciſione, & diviſione ſubſtantiæ, ſeu termini, atque ideo convenire non poteſt Angelis, qui ſola creatione produci poſſunt.

51. Ad ultimum. Præfuit in ſigno *a quo* originis, non in ſigno *in quo*, præfuit in potentia non paſſiva, ſed activa, quæ tamen fuit ſemper in actum reducta.

Hiſce omnibus, quæ ab hæreticis oppoſita ſunt, eſſe poſſet aliud argumentum ſcholaſticum, ad probandum, Filium non eſſe genitum, quia non eſt in naturæ ſimilitudinem; etenim ſimilitudo verſari nequit niſi inter duo diſtincta, ut manifeſtum eſt, ſed in ſenſu Catholico natura Filii non eſt diſtincta à natura Patris, cum ſit omnino eadem, ergo Filius in divinis non procedit in ſimilitudinem naturæ.

Reſpondeo tamen, ſimilitudinem naturæ poſitam in generationis definitione non ſemper eſſe intelligendam de formali, & poſitivo reſpectu ſimilitudinis, ſed ſufficere, ſi naturæ ſimilitudo reperiatur negative, & eminenter, natura autem, quæ eadem ſit, eſt negative maxime ſimilis, quia omnem diſſimilitu-

ſitudinem negat; hujuſmodi eſt etiam eminenter, cum maxime accedat ad unitatem formæ, quæ præſertim eſt a generante intenta, & ideo non obtinetur, quia natura generantis finita eſt. Sed etiã ſi requireretur poſitivus reſpectus formalis ſimilitudinis, adhuc ſuſtineri poſſet hunc reperiri in Patre, & Filio, identitate naturæ in illorum ſententia, qui dicunt, poſitivam ſimilitudinem non exigere neceſſario diverſam numero formam, ſed ſufficienter haberi per diverſum ſuppoſitum, eo pacto, quo docent, quod ſi Deus eamdem numero albedinem replicaret in duobus ſubiectis, hæc in quantum alba eſſent ſimilia. Hoc tamen non approbo; etenim natura divina eſt eadem in Patre, & Filio, nec replicata.

ARTICULUS V.

Quare Proceſſio Verbi ſit generatio, non illa Spiritus Sancti.

52. Solam proceſſionem Verbi generationem eſſe dogma fidei eſt. Solum enim Verbum genitum eſſe habetur ex ſcripturis, juxta illud Joan. 1. *Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, vidimus gloriam ejus quaſi Unigeniti a Patre*, & cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Et ideo in Symbolo, quod Athanaſio tribuitur, legimus. *Filius a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus Sanctus a Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Quærunt autem a nobis, quare proceſſio unius generatio ſit, non vero alterius, atque Theologi Doctores monitum illud Sancti Petri prima cap. 3. retinentes, nimirum, paratos nos eſſe oportere ad ſatisfaciendum omni petenti rationem de ea, quæ in nobis eſt ſpe, conſequenter fide, varias vias excogitarunt; quibus id demonſtrarent. Horum certe laudandum ſtudium, induſtria commendanda, attamen ſi id aſſequuti ſint, fateor ignorare. Omnium ſententias, rationeſque proferemus, deinde quid ſatius exiſtimandum, & reſpondendum ſit, indicabimus.

53. Atque in primis Patrum rationes expendam. Ariani, Macedoniani, Eunomiani, qui Spiritus Sancti divinitatem, & æqualitatem negabant, hoc argumento utebantur. Spiritus Sanctus, vel procedit a ſolo Patre, & ita erit Filius Patris, & Pater Filii, aut procedit ſimul a Patre, & Filio, & ſic uterque erit parens, cumque nequeat uterque eſſe Pater, unus erit Pater, alter Mater, aut procedit a ſolo Filio, & ſic erit Filius Filii, & Nepos Patris. Reſpondet Athanaſius in epiſt. de Spiritu Sancto ad Serapionem; *Inter homines qui filius dicitur, alterius Pater eſt, & qui Pater, alterius filius eſt, & quiſque filius habet in ſe partem patris, ut et ipſe generare, & alterius Pater eſſe poſſit. At in Deo non ita; Deus enim non habet diviſam naturam, & Pater non eſt diviſus, neque generat filium diviſum, ut ille rurſus alium filium generare poſſit quare quia in divinis filius non eſt pars Patris, ipſe non gignit, ſed genitus eſt.* Hac igitur ratione qua Filius totam accipit naturam Patris probat laudatus Doctor Patrem ſemper eſſe Patrem, filium ſemper eſſe filium illum nunquam filium, hunc nunquam Patrem.

54. Momentum tamen hoc inefficax eſt; etenim ex quo filius non procedat diviſus, non recte probari poteſt, alium filium non gignere, ſicut revera Pater communicans totam, & indiviſam naturam filio, revera Pater eſt; & quemadmodum in creatis filius recipiens a Patre partem ſubſtantiæ, & alteri partem communicans Pater eſt, ita in divinis filius accipiens a Patre totam ſubſtantiam, & Spiritui Sancto totam communicans, Pater dici poſſet, niſi alia ratio producatur.

55. Rationem aliam producit S. Auguſtin. 9. de Trinit. cap. 12. & utriuſque proceſſionis diverſitatem aſſignat,

quia

Digitized by Google

quia filius eſt per intellectum, Spiritus autem Sanctus per voluntatem. Hoc dicunt & S. Thomæ Diſcipuli, ut videbimus, ſed non eodem momento; ait enim eximius Doctor, quando agimus de eo, quod per intellectum procedit, quamdam inquiſitionem præcedere una cum deſiderio reperiendi, quæ autem reperiuntur, quaſi pariuntur; atque ideo notitia per intellectum producta eſt quædam proles ſeu partus, cum intellectus ante illius productionem quodammodo pareret; Hoc autem non conenit voluntati, quia amor, cum feratur in rem poſſeſſam, ſine inquiſitione procedit. Aliam etiam rationem affert lib. 15. de Trinit. cap. 26. dicens, ideo Verbum eſſe genitum, quia procedit ab uno, quia vero Spiritus Sanctus procedit a duobus, nec genitus, nec filius dici poteſt, quia, qui a duobus procedit, ab uno eſt tanquam a Patre, ab alio tanquam a matre, quod in divinis repugnat.

56. Sed neutra ex hiſce rationibus placet. Non prima, quia tam intellectus in Deo fertur in rem intellectam ſine aliqua inquiſitione, ac labore, quam feratur voluntas in rem amatam; deinde, niſi quid aliud addatur, ſicut verbum mentis noſtræ ob rationem illam partus tantummodo & proles metaphorice dicitur, ita etiam tantum metaphorice Verbum divinum eſſet genitum. Non ſecunda. nam quamvis ordinarie loquendo & in humanis, quod a duobus procedit, ab uno ſit tanquam Patre, ab alio tanquam matre, attamen hoc in divinis neceſſarium non eſt; ſi enim in divinis eſt proceſſio unius tanquam geniti & Filii a Patre tantum, quod ſingulare eſt, & ſine exemplo, quare non poſset eſse proceſsio alterius pariter tanquam geniti, & Filii a duobus licet ab uno tanquam a Matre non produceretur? Præterea; licet Spiritus Sanctus procedat a duobus ſuppoſitis, ab his tamen procedit, tanquam ab uno principio; Non eſt igitur, cur dicamus, unum Patrem, alterum Matrem eſse debere.

53. Prætereamus tamen alia, quæ pro aſsignando utriuſque proceſsionis diſcrimine Patres excogitarunt, & Scholaſticorum, qui rem hanc accuratius ac ſtudioſius perpenderunt, ſententias examinemus.

Alens, 1. par. quæſt. 42. mem. 2. §. 1. & mem. 3. artic. 2. ad 3. Major in 1. diſ. 13. quæſt. unica ſequentes Ricardum à S. Vict. lib. 6. de Trinit. cap. 18. & tribus ſequentibus, docuerunt, diſcrimen inter proceſsionem Verbi, & Spiritus Sancti hoc eſse, quod Verbum accipit naturam a Patre cum eadem virtute, & facultate illam communicandi Spiritui Sancto, iſte vero accipit naturam jam exhauſtam, & fœcunditatis expertem, cum Spiritus Sanctus alium non producat; ideo Verbum eſt genitum, non ſic Spiritus Sanctus, cum ad filium pertineat eſse imaginem, & figuram Patris, quæ in eo præſertim habetur, quod poſsit naturam acceptam alteri communicare.

58. Doctrinam hanc approbare non poſſum. Fateor quidem ad notionem filii pertinere, eſſe figuram, & imagiem Patris, at ut ſit hujuſmodi figura, & imago, non eſt neceſſe accipiat naturam cum virtute, & facultate illam communicandi, nec minus eſt filius, & imago Patris qui impotens eſt ad generandum, quam qui alium generare poteſt. Rurſus; etiamſi per impoſſibile Spiritus Sanctus produceret aliam perſonam, adhuc tamen iſta non eſſet Filius, ſicuti modo revera non eſt; ergo ratio illa nihil evincit.

59. S. Bonaventura in 1. diſ. 13. quæſt. 2. ad 1. notat, triplicem eſſe modum, quo res aliqua produci poteſt. Primus eſt ſecundum voluntatem, ſicuti fuit productus Adam. Secundus eſt præter naturam, ſicuti ex coſta Adæ fuit producta Eva. Tertius eſt ſecundum naturam, ſicuti fuit ex Adamo, & Eva pro-

productus Abel. Porro productio, quæ ſit generatio, debet eſſe ſecundum naturam, non præter, vel ſecundum voluntatem; cum igitur proceſſio Verbi ſit ſecundum naturam, quia eſt per intellectum, illa vero Spiritus Sancti ſit ſecundum voluntatem, ſequitur, illam eſſe generationem, non iſtam. Idem videtur docere Durand. in 1. diſ. 6. q. 2. num. 16. & alibi.

60. Neque hoc arridet, vel ſatisfacit. Primo enim inquiro, quare producatur Verbum ſecundum naturam, non ſic Spiritus Sanctus, ſi reſpondet quia Verbum per intellectum, Spiritus Sanctus per voluntatem, reſpondet propoſitione ſatis Incerta; negari enim juſtiſſime poteſt intellectum eſſe naturam, ſicut revera ferme omnes negant, niſi loquamur in ſenſu identico, in quo etiam voluntas eſt natura; ſi autem præciſe velit, proceſſionem Verbi eſſe generationem, quia eſt per intellectum, de hac ſententia inferius dicemus. Secundo; ex quo productio Adæ non fuerit generatio; quia fuit ſecundum voluntatem, & ideo neque proceſſionem Spiritus Sancti eſſe generationem, quia pariter eſt ſecundum voluntatem, nihil evincit, etenim illa ita fuit per voluntatem, ut libere omnino fuerit, & potuiſſet non eſſe, non ſic proceſſio Spiritus Sancti, quæ non potuit non eſſe. Tandem; licet Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, procedit tamen omnino ſimilis in natura, & ex fæcunditate naturæ. Itaque &c.

61. Pater Vaſquez diſp. 113. primæ partis cap. 7. cum Canarienſi ſtatuit, proceſſionem Verbi eſſe generationem, quia non ſolum ex vi ſuæ proceſſionis ſimile eſt in natura, ſed quia eſt etiam imago Patris; Spiritus Sanctus vero procedit quidem ſimilis in natura Patris & filii, ſed nec Patris nec filii eſt imago. illa enim ſimilitudo, quæ eſt in generationis definitione, nec eſt illa, quæ in unitate naturæ ſita eſt, ſed illa, quæ eſt imago, quia non omnis ſimilitudo eſt imago illius, cujus eſt ſimilitudo. Plura teſtimonia Patrum affert laudatus, & vere laudabilis Doctor, probaturus, Verbum eſſe Patris imaginem; ſed fruſtra, cum id nemo neget.

62. Fatemur igitur & nos, ad notionem filii ſpectare eſſe Patris imaginem; ſed oſtendendum ſupereſt, quare Verbum ſit imago Patris, non ſit Spiritus Sanctus. Si hoc nos petamus, ut revera petimus, ſumus in quæſtionis initio. Præterea, ut optime notat Suarez 11. de Trinit. cap. 6. Non eſt excogitabile quid addat imago ſupra perfectam ſimilitudinem, qui enim alteri perfectiſſime, & in omnibus ſimilis eſt, profecto ejuſdem imago eſt; atqui Spiritus Sanctus perfectiſſime ſimilis eſt Patri, ac filio in natura, igitur & imago erit; & ſi non eſt, ut fatemur non eſse, hoc humanæ naturæ impervio adſcribimus myſterio.

63. Itaque Pater Suarez rejecta Vaſquezii opinione, aliam exponit dicens, Proceſſionem Verbi ideo generationem eſse, non illam Spiritus Sancti, quia Verbum procedit per intellectionem actualem, quæ eſt veluti gradus ſpecificus, & ultimus naturæ divinæ, Spiritus Sanctus vero procedit per voluntatem tanquam per actualem amorem, qui amor ſupponit naturam divinam veluti jam conſtitutam.

Optime quidem, ſi hæc non obſtarent; primo in dicta ſententia ſupponi falſum, vel ſaltem valde dubium, nempe actualem intellectionem eſse gradum ſpecificum, ac ultimum naturæ divinæ, ut probavi in priori parte hujus ce libri. Secundo ſicuti non eſt volitio ſine cognitione, ita repugnat alicui communicari volitionem, quin communicetur intellectio, ergo falſum eſt, communicari Spiritui Sancto naturam divinam primario, ut volitio eſt, & non ut intellectio.

64. Quidquid tamen iſti Doctores dixe-

dixerunt fundamentum habuit in ſententia S. Thomæ hic, quem ſequuntur Thomiſtæ omnes, & plerique ex recentioribus cum Cacher. Puteob. Marchino &c. Docet hæc, ideo Verbi proceſſionem generationem eſſe, quia Verbum procedit per intellectum, Spiritus Sanctus vero per voluntatem, atque propterea hujus proceſſio generatio eſſe non poteſt. Ut autem hoc explicent, inquiunt, intellectum præciſum a creato, & increato vi ſua, & modo ſibi proprio agere aſſimilando, atque agendo generationem viventium imitari, ita ut intellectus per obiectum, vel per ſe, vel per ſui ſpeciem reddatur fœcundus, & ab ipſo, tanquam à principio vitæ conjuncto, proles intentionalis, ſeu verbum referens obiecti ſimilitudinem, proferatur. Maximum tamen eſt diſcrimen inter verbum mentis humanæ, & verbum mentis divinæ. Primo quia, obiectum, in quod tendit mens humana, habet eſſe intelligibile diſtinctum ab eſſe naturali, quod in Deo reſpectu Dei non contingit; Secundo quia, verbum humanæ mentis eſt accidens, ſicut accidens eſt creata intellectio; e contrario in Deo intellectio eſt ipſa ſubſtantia & natura divina intellecta, & ideo cum Verbum intellectione exiſtat, exiſtit ex propriis per intellectionem, & naturam divinam ipſi communicatam ex vi proceſſionis, propter quod generationis definitioni additæ fuerunt iſtæ particulæ. Non ſic loquendum de voluntate, quæ ex natura ſua non tendit ad ſimilitudinem, ſed tantum ad unionem, ideſt producit impulſum, & inclinationem in obiectum, non ſecundum quod in ſe eſt, ſed prout eſt in cognitione. Idcirco, cum Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, ex vi ſuæ proceſſionis non eſt in ſimilitudinem naturæ formaliter, adeoque neque per proceſſionem, quæ ſit generatio.

65. Huic dicendi modo non mediocriter favent Sanctorum Patrum teſtimonia, dicentium, ideo ſecundam perſonam eſſe filium, quia eſt Verbum; Pauca ego producam, ſed expreſſiora. Auguſtinus epiſt. 9. & 40. ait. *Chriſtus, dicitur Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, & ideo Filius, quia Verbum*. tract. 55. in Joan. *Eo ipſo filius, quod verbum* trat. 48. *Verbum Dei ſemper cum Patre; & ſemper Verbum, & quia Verbum, ideo filius*. Athanaſ. orat. 3. inquit. *Quomodo igitur per ipſum creat, ſi non eſt Verbum ipſius, & eſt ſapientia? Quomodo vero Verbum erit, & ſapientia, ſi non proprius eſt fetus ſubſtantiæ ipſius?* Baſilius homilia in Evangelii Joan. initium; *Cur Verbum dicitur? Ut oſtendatur ex mente proceſſiſſe. Cur Verbum? Quoniam ſine paſſione genitum eſt. Cur Verbum? Quoniam imago eſt genitoris*. Idem inter vetuſtiſſimos Scriptores dixerunt Theophilus Antiochenus, & Clemens Alexandrinus: *Sapientiam ſi dixero, filium ejus dico*, ita Primus in 1. ad Autolycum; *Sapientia genuinus mentis filius eſt*. Ita ſecundus in Protreptico. Eſt igitur Filius, & genitus, quia Verbum, ſed eſt Verbum, quia procedit per intellectnm, ergo eſt genitus, & Filius quia eſt per intellectum, hoc dici non poteſt de ſpiritu, quia licet habeat, & accipiat eamdem omnino naturam, proinde procedat in ſimilitudinem naturæ, non eſt tamen ejuſdem ſimilitudo, ſed copulatio ac vinculum amantem cum eo, quod amatur, colligans, ac devinciens, ideo proceſſio Verbi eſt generatio, non illa Spiritus Sancti.

66. Huic ſententiæ plura opponuntur ab aliis, quæ prætereo; Hæc tantummodo ſubdam. Primo totum ratiocinium factū a Thomiſtis fundamentum deſumere a principiis Peripateticorum, juxta quæ intellectus dum intelligit, producit, ſeu efformat intra ſe ſpeciem, quam vocant expreſſam, ſeu verbum mentis; Hæc tamen principia valde dubia ſunt, & ab aliis philoſophis negantur.

In quæſtione autem tam gravi, ut eſt præſens, dedecet ad incerta confugere, neque tam ſublimis myſterii dignitati, ac majeſtati conſentaneum eſt. Præterea. Verbum, ut Verbum procedit quidem in ſimilitudinem obiecti cogniti ſecundum eſſe intentionale, & intelligibile, non vero ſecundum eſſe naturale, & ipſi formaliter ex vi proceſſionis communicatur intellectio, quæ tantum identice eſt natura divina; & ſi dicant in divinis idem eſſe intellectionem & naturam etiam formaliter, dicent, quod plerique etiam ex Catholicis negant, ideo ſemper incertis principiis innituntur. Denique; etiamſi Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, attamen procedit formaliter ſimilis in natura divina, quia vi ſuæ proceſſionis eſt Deus unus cum Patre, & Filio, nihil autem magis ſimile alteri produci poteſt, quam quod eſt unum cum illo. Quantum vero ad Sanctos Patres, id quidem ab ipſis dictum eſt, quia ita eſt, ſed quare ita ſit, rationem aliquam intrinſecam non protulerunt, nec proferre eorum erat intentum.

67. Poſt tot ſcholaſticorum placita, numquid omittenda celeberrima, cui in cœteris adeo addicti ſumus, Scotiſtarum ſchola? Hæc communiter docet, Verbum eſſe Filium, non autem Spiritum Sanctum, quia productio Verbi eſt ab intellectu, & naturalis, productio vero Spiritus Sancti eſt a voluntate, & libera, non quidem libertate accidentali, & contingentiæ, ſed eſſentali, quæ non excludit neceſſitatem, pro qua eſſentiali libertate explicanda nihil dicam, ſed te ad Maſtrii Philoſophiam in tract. de Anima quæſt. 2. diſp. 7. deduco. Hic tantum adnotabo ex Scoto quodlibeto 16. art. 2. quatuor eſſe modos operandi; libere, naturaliter, contingenter, & neceſſario. Primi duo agendi modi nequeunt eidem principio convenire, neque reſpectu diverſorum, ſicut duæ differentiæ, dividentes genus, eidem ſpeciei nequeunt ineſſe; Alii vero ab eodem principio ſe non excludunt, ita ut agere contingenter convenire poſſit agenti naturali, & agere neceſſario agenti libero; poteſt enim agens naturale contingenter agere ſi ab extrinſeco impediatur, & agens liberum agere neceſsario, ſi aliunde proveniat neceſſitas. Quare Deus agens per voluntatem ſive ad intra ſive ad extra libere agit, ſed ad extra libere, & contingenter, ad intra libere & neceſſario ſe ipſum amando, quæ neceſſitas non provenit a voluntate, ut voluntas eſt, ſed quia eſt voluntas infinita habens pro ſui obiecto bonitatem infinitam. Quare autem intellectus agat naturaliter; non ſic voluntas, ratio eſt quia intellectus in natura rationali eſt prima potentia, quæ a ſola natura determinari poteſt, voluntas autem eſt ſecunda, quæ non agit ex immediata determinatione naturæ ſed ſolum ſuppoſita cognitione; qua poſita doctrina, ſic argumentum confici poteſt; Generatio eſt actio naturalis, ut frequentius docet Ariſtoteles, ſed operatio intellectus eſt actio naturalis, non ſic illa voluntatis, ergo generatio per intellectum haberi poteſt, non per voluntatem, ergo, ex quo Verbum procedat per intellectum, eſt genitum, non ſic Spiritus Sanctus, ex quo procedat per voluntatem.

68. Hoc autem quod inquiunt Scotiſtæ, illud eſt, quod docet S. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 14. Nimirum, Spiritum Sanctum non eſse genitum, quia procedit ut datus, Verbum vero eſse genitum, quia procedit ut natum; Datus autem dicitur, quia eſt donum libere a Deo prolatum, natum vero Verbum, quia naturaliter, & ſic diſcrimen hoc eſt inter proceſſionem habitam per intellectum, & aliam habitam per voluntatem.

69. Libenti animo doctrinam hanc amplecterer, & momentis aliis confirmarem; ſed jam militat eadem ratio, quæ

quæ primo adducta eſt contra Thomiſtarum ſententiam, nempe plura incerta poſerri, quæ probari debent, & ab aliis negantur, oppoſitumque prorſus ſuſtinetur, & pendeant a Philoſophicis quæſtionibus, quæ in utraquem partem diſcutiuntur, & detorquentur; ideo.

Sentiendũ. Proceſſionem Verbi eſſe generationem, illam Spiritus Sancti generationem non eſse, non poſse tamen afferri aliquam germanam rationem. Ita myſterii inacceſsam majeſtatem magis fatemur, ac veneramur, nec non Socinianorum ora obcludimus, qui varias illas, a Philoſophia ductas rationes, plerumque in erroris ſui patrocinium convertunt. Hanc etiam exiſtimo fuiſse Scoti opinionem, qui cum in 1. ſenten.. diſ. 13. quæſt. unica dixerit, proceſſionem Fili generationem eſse ſe ipſa, ac diſtingui à proceſſione Spiritus Sancti, nec ibi utriuſque diſcrimen protulerit, plane nullam formalem rationem afferri poſse, judicavit. Sed quidquid de hoc ſit, certe ſententia noſtra fuit omnium Sanctorum Patrum, qui etſi pluribus congruentiis, ſimilitudinibus, & argumentiis ab humanis deſumptis de Verbi generatione, ut diſtincta a proceſſione Spiritus Sancti loquuti ſint; attamen ſe id explicare non poſse, fateri non erubuerunt.

70. A Græcis exordiamur. S. Irenæus lib. 2. cap. 29. ait; *Si quis itaque nobis dixerit; Quomodo ergo Filius prolatus a Patre eſt? Dicimus ei, quia prolationem iſtam, ſive generationem ejus inenarrabilem nemo novit*. Sanctus Athanaſ. orat. 3. inquit; *Indecorum eſt quærere, quomodo ex Deo verbum exiſtat, aut quomodo ſit Dei ſplendor, aut quomodo generet Deus, aut quis ſit modus generationis Dei; Inſanus enim ſit, qui talia audeat, cum inexplicabilem rem, ac divinæ naturæ propriam, ſolique ipſi & ejus Filio cognitam, oratione ſua declarare conetur*. S. Joan. Chryſoſtom. orat. 1. de incomprehenſibili Dei natura, hæc habet. *Scio, ipſum genuiſſe filium, quomodo autem, ignoro; novi, Spiritum ex ipſo eſſe, quomodo autem ex ipſo ſit, neſcio*. S. Baſilius hom. 29. ſic hæreticos alloquitur. *Credis genitum eſſe? Ne quære quomodo; ſi enim licet quærere, quomodo ingenitus eſt ingenitus, licet quærere, quomodo genitus ſit, qui eſt genitus. Quod ſi quæſtioni iſti nullus relinquitur locus, quomodo ingenitus non ſit genitus, eodem modo neque qui genitus eſt inquirendum relinquet, quo modo ſit genitus; Ne quæras quæ inveniri nequeunt.... Sin audire me non vis, ſed contentioſe pergis, rideo te, vel potius temeritatem tuam defleo*. S. Gregorius Nazianz. orat. 29. *Audis genetrationem? Modum ne curioſius inquiras, Audis ſpiritũ ex Patre procedere? Id, quomodo fiat, ne omni ſtudio perſcruteris*. Et prius; *Mihi audire ſatis eſt, quod filius eſt, & quod ex Patre, tum quod ille Pater eſt, hic filius, nihil præter ea inveſtigo*. Denique Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 8. *Et quidem generationem inter & proceſſionem diſcrimen intercedere edocti ſumus, cæterum quis ſit hujus diſtinctionis modus, prorſus neſcimus*.

71. Eadem fuit etiam Patrum latinorum doctrina. Hilarius lib. ſecundo de inenarrabili generatione Filii, *Æſtuo*, ait, *differor, hebeſco, & unde incipiam neſcio, neſcio enim quando natus ſit filius, & nefas eſt mihi, neſcire, quod natus ſit*. S. Ambroſ. lib. 1. de Fide cap. 5. *Licet ſcire, quod natus ſit, non licet diſcutere, quemadmodum natus ſit, illud negare mihi non licet, hoc quærere metus eſt*. Et prius. *Mihi impoſſibile eſt generationis ſcire ſecretum; mens deficit, vox ſilet, non mea tantum ſed Angelorum* Petrus Chryſolog. ſer. 61. *Ergo quod natus eſt, confitendum eſt, quomodo natus eſt, tacendum eſt, quia quod ſecretum eſt, ſciri non poteſt, quod clauſum eſt, neſcit aperiri, quod ſingulare eſt, non refertur exemplo*. Ultimo loco

loco ſervavi S. Auguſtinum, qui lib. 2. contra Maximin. cap. 14. ita ſcribit. *Quid inter naſci, & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquens, explicare quis poteſt? Diſtinguere inter illam generationem, & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio.* Et tract. 99. in Joan. *Quid interſit inter procedere, & naſci, & longum eſt quærendo diſſerere, & temerarium, cum diſſerueris, definire.*

Si igitur, a me quærant, quare proceſſio Verbi ſit generatio, non illa Spiritus Sancti, hoc unum dicam, quia ſcriptura id docet, quia Patres id tradunt, quia Concilia ita definiunt.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

De Divinis relationibus.

ARTICULUS I.

Utrum in Deo ſint aliquæ relationes reales.

1. HIC non ea tradenda ſuſcipio, quæ Philoſophi tradunt de relatione, ſed ut Theologũ decet, jam ſuppono; Nihil autem eſt relatio, niſi reſpectus, ſeu ordo unius ad alium. Porro de divinis loquendo, aliæ ſunt relationes communes omnibus tribus perſonis, ut ſunt illæ identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis, aliæ vero quæ appellantur originis, quia in ea ratione fundantur, qua una perſona procedit ab alia; De illis quæſtio nulla, cum certum ſit, aliud non eſſe, niſi aliquid per noſtram cogitationem claritatis, ac diſcurſus gratia in Deo poſitum, De iſtis verò tota controverſia præſens, in quibus rationem duplicem opus eſt conſiderare, unam, quæ dicitur *in* ideſt ſubiectiva, aliam, quæ nuncupatur *ad* ideſt refert illud, in quo eſt, ad alium terminum; Qua in re, ut evitemus omnia, quæ ſuperflue, quamvis ſubtiliter, dixerunt plures Doctores.

2. Sentiendum: in divinis admittendas eſſe aliquas relationes reales. Hoc definitum eſt in Concilio Toletan. XI. in confeſſ. Fidei in Lateran. 3. cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate.

Probatur. ſunt in divinis perſonæ re diſtinctæ, ſed nequeunt eſſe diſtinctæ re, niſi per relationes reales, ergo dantur in divinis relationes reales; Majorem ſuo loco oſtendam, & eſt articulus fidei, minorem probo; non poſſunt perſonæ eſſe diſtinctæ per eſſentiam, & per id, quod eſt abſolutum, quia illa & hoc ſunt aliquod omnibus perſonis commune æqnali modo conveniens, ab eo autem quod utrique commune eſt, diſtinctio oriri non poteſt, ergo nequeunt eſſe re diſtinctæ niſi per relationes reales; Reales inquam, nam ſicuti ex relatione ſimpliciter, habetur diſtinctio ſimpliciter ita nonniſi ex relatione reali haberi poteſt realis diſtinctio.

3. Ex hac ratione conſurgunt aliæ, quæ pro ſententia noſtra confirmanda afferri ſolent à pluribus, nimirum, Patrem re eſſe Patrem, Filium re eſſe Filium, & Spiritum Sanctum re eſſe Spiritum Sanctum, Pater autem conſtituitur per paternitatem, Filius per filiationem, Spiritus Sanctus per ſpirationem paſſivam, ergo relationes iſte reales ſunt, cum nequeat aliquid reale per id, quod tantum eſt rationis, conſtitui. Rurſus; in divinis unam perſonam ab alia originem habere, & procedere, ſicut ſuperius dictum eſt; Hoc autem ſervari non poteſt, niſi unius ad aliud realis relatio affirmetur, niſi confundamus originem, & proceſſionem cum Metapyſica emanatione, qualis eſt inter quamlibet eſſentiam, & ſuas proprietates, quod in hoc myſterio fieri non debet, aliter deſtrueretur.

Adde tandem, quod ſicut ex generatione in creatis oritur relatio realis inter Patrẽ & Filium ita ex generatione in divinis, ſecluſis tamen omnibus imperfectionibus, ſicut in reliquis.

4. Opp.

4. Opp. 1. ex Boetio in fine libri de Trinit. dicente. *Similis eſt relatio Patris ad Filium, & utriuſque ad Spiritum Sanctum, ſcilicet ut ejus, quod eſt idem, ad id quod eſt idem*. Solam igitur fatetur relationem identitatis, quæ non realis, ſed ſolius rationis eſt; atque ibidem; *Cum quis prædicamenta in divinam vertit prædicationem, cuncta mutantur in ſubſtantiam, quæ prædicari poſſunt; Ad aliquid vero omnino prædicari non poteſt*. Si autem relatio eſſet in Deo realiter, procul dubio poſſet de Deo prædicari realiter.

5. Boetii dictis præivit S. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 16. ubi ait, Patrem referri ad Filium, *ſicut nummus ad pretium*, & lib. 7. cap. 1. *ſicut dominus ad ſervum* ſed nummus ad pretium, & dominus ad ſervum referuntur tantum ratione, ergo etiam Pater ad Filium &c. Conſonum eſt etiam quod inquit Damaſc. lib. 1. de Fide cap. 11. ubi hæc ſcribit; *In ſuperſubſtantiali Trinitate commune quidem, & unum re conſideratur, cognitione vero & intellectu eſt quid diverſum, vel diſtinctum*. ergo ſi diſtinctio perſonarum habetur per relationes, iſtæ reales non ſunt, ſed rationis.

6. Reſp. ex eodem Boetio ibidem, *ſola relatio multiplicat Trinitatem, ſubſtantia probat unitatem* ſed multiplicat Trinitatem realiter, ergo eſt realis. Quod igitur Boetius in primo ſenſu intendit, eſt hoc, quod, ſicut relatio ejuſdem ad ſeipſum diverſam non reddit eſſentiam, ita relationes Paternitatis, & Filiationis diverſam non faciunt eſſentiam divinam, & ſecundum hoc ita ſe habent, ſicut ſi eſſent relationes identitatis. Hoc ferme innuit S. Th. in hoc artic. ad 2. quod etiam clarius explicavit q. 8. de Potent. art. 1. ad 3. dicens, *relatio, quæ eſt in divinis perſonis habet quidem ſimilitudinem cum relatione identitatis, ſi unitas eſſentiæ conſideretur, ſed ſi conſideretur origo unius ab alio in eadem natura, ex hoc oportet relationes prædictas eſſe reales*. Pro ſecundo textu, ſi leges S. Thomam, invenies, illum eſſe verum, ſi idem ſumatur ſimpliciter idem, & ibi excludi relationem in divinis, quæ prædicatur adinſtar alicujus inhærentis, non ad aliud ſe habentis. Scholaſtice loquendo, ſumitur illud aliquid reduplicative, non ſpecificative. Si hoc videtur obſcurum, meum non eſt. Marchinus ſic explicat, *ad aliquid omnino prædicari non poteſt* ideſt non eſſentialiter in primo, vel ſecundo modo dicendi per ſe, ſicut prædicantur alia prædicamenta, quæ in divinam vertuntur ſubſtantiam; aut velle Boetium ad aliquid non prædicari de Deo ut unus eſt, prædicari vero, ut trinus eſt. Quid rogo, tot explicationes adhibere? Si licet meam mentem aperire, totum concedo, & quamvis ad aliquid prædicari non poſſit, ut dicit Boetius, poteſt tamen prædicari ad aliquem. Jam me percepiſti; Aliquid enim ſignificat eſſentiam, aliquis perſonam; relatio autem eſt quid reale, ut in perſona, ſicut probatum fuit.

7. Quod attinet ad S. Auguſtinum, hic manifeſte eodem lib. 5. cap. 5. noſtram docuit aſſertionem, ait enim. *Si quod dicitur Pater ad ſe ipſum diceretur, non ad Filium, & quod dicitur Filius ad ſe ipſum diceretur, non ad Patrem, ſecundum ſubſtantiam diceretur, & ille Pater, & ille Filius, ſed quia Pater non dicitur Pater, niſi ex eo quod eſt ei Filius, & Filius non dicitur, niſi ex eo quod habeat Patrem, non ſecundum ſubſtantiam hæc dicuntur*. intellige ſecundum eſſentiam & naturam; dicuntur igitur ſecundum relationem; Comparatur itaque Pater ad Filium, ſicut nummus ad pretium in hoc ſenſu, quod ſicuti idem manet nummus, quamvis idem non maneat pretium, ita multa in tempore relative de Deo dicuntur, abſque aliqua Dei mutatione. Secundum

Digitized by Google

cundum exemplum in omnibus non tenet, alioquin ſicut relatio domini ad ſervum accidentalis eſt, ac adventitia, ita foret illa Patris ad Filium; Intentum Auguſtini eſt hoc, quod ſicuti tota ratio domini, ut dominus eſt, in eo conſiſtit, ut referatur ad alium, ita eorum natura, quæ relativa ſunt, in eo ſita eſt, ut ad alium referantur. Damaſcenus id dicit de relatione comparata ad eſſentiam, a qua certe re non diſtinguitur, ut fides docet, & nos infra trademus. non comparata ad perſonam, & perſonam.

8. Op. 2. Si darentur in divinis relationes reales, Pater eſſet ſimul natura & cognitione cum Filio, juxta illud relativa ſunt ſimul natura & cognitione, ſed id eſt falſum, ergo. prob. mi. Perſona patris in primo ſigno, antequam generet filium, eſt, ergo. prob. ant. actio generativa Patris ſupponit perſonam patris jam conſtitutam, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, ergo.

Præterea. Deus eſt creator & dominus omnium creaturarum, & tamen nulla eſt relatio realis in Deo per ordinem ad creaturas, ergo etiam erit Pater Filii, quin detur in ipſo aliqua relatio realis.

Item, quæcumque relatio realis ſit per quamdam reſultantiam ex fundamento & termino, ſed in Deo nihil eſſe poteſt per reſultantiam, cum hæc ſine imperfectione non ſit, ergo, quod magis valet, ſi perpendamus, relationem realem eſſe non poſſe ſine dependentia, unum enim relativum dependet ab alio tam in cognoſci, quam in conſervari ſecundum notionem relativi.

Rurſus. Subſtantiæ perfectiſſimæ, qualis eſt eſsentia divina, nihil addi poteſt, ergo nec relationes.

9. Reſp. ad 1. conc. maj. ne. mi. ad prob. ſi intelligatur in primo ſigno *a quo*, id concedimus, ſi *in quo* negamus, eſſe autem ab iſto, non ab illo deſumitur; abſolute tamen falſa eſt minor, ad prob. ne. ant.: & cum dicitur, actiones ſunt ſuppoſitorum, ita debet accipi, ut vel actio præſupponat ſuppoſitum, vel ſit una ſimul cum ſuppoſito. Reſpondent alii; In paternitate duplex reperiri munus, unum, quod ſit forma hypoſtatica, ſeu perſonalis, alterum, quod ſit referre perſonam ad perſonam; In priori ſenſu Pater intelligitur eſſe antequam generet filium, in poſteriori vero eſt ſimul natura & cognitione cum filio; De hoc alibi.

Ad 2. conc. ant. ne. conſ. cum valde diſpar ſit ratio, etenim relatio creatoris & domini, ut explicat actualem ordinem ad creaturas, non eſt abſolute neceſſaria, & ita eſt, ut non eſſe potuiſſet, ſine aliqua mutatione vel detrimento eorum omnium, quæ ſunt in Deo, atque ideo conſurgit tantum ex aliquo reali, quod ſit in creaturis, habita extrinſeca denominatione in Deo; at relatio, quæ eſt Patris ad filium, eſt abſolute neceſſaria, ita eſt, ut non potuiſſet non eſſe, atque ea ablata foret mutatio in ipſo Deo, proinde &c. Si autem argumentum hoc probaret, ſequeretur, quod ſaltem in Filio eſſet relatio realis ad Patrem, quamvis non eſſet in Patre ad Filium, ſicuti licet non ſit relatio realis in creatore & domino ad creaturas, eſt tamen in creaturis ad creatorem & dominum; Porro cum Pater & Filius ſint ejuſdem ordinis, ejuſdemque naturæ, non eſt potior ratio, quare una realis ſit, & non ſit alia.

Ad 3. in creaturis major eſt vera, falſa in divinis; Ideo autem illud, quia in ipſis relatio eſt accidens inhærens ſubiecto, ſupponens jam ſubiectum perfecte conſtitutum, non ſic in Deo, in quo ſunt eadem neceſſitate, qua eſt ipſe Deus. Ad additum, ſi loquamur de dependentia connexionis, habitudinis, & illationis conc. ſi de dependentia cauſalitatis, & inferioritatis, nego, hæc autem eſt dependentia imperfectionis, non illa.

Ad

Ad Ultimum; Utrum relationes habeant aliquam perfectionem,infra ſtatuetur; interim ſcias, relationem ita afficere naturam divinam, ut identice ſit perfectiſſime natura divina, & ideo nihil imperfectionis eſt in natura, ex quo hujuſmodi relatio detur.

ARTICULUS II.

An relationes diſtinguantur a natura divina, & inter ſe.

10. DE illa diſtinctione, quam appellant rationis vel rationantis, vel ratiocinatæ, vel formalem ex natura rei, nihil hic dicturi ſumus, cum de hac ſatis & ex inſtituto dictum fuerit in priori parte hujuſce libri,& quidquid dicatur ad dogma fidei, quod nos præſertim intendimus, non pertineat. Itaque de ſola diſtinctione reali ſermo noſter habendus eſt, quam inter eſſentiam, & relationes admiſſam fuiſſe a Gilberto Porretano, fatetur S. Bernardus ſerm. 8. in Cantica, affirmat S. Th. hic, & ſcribit Patreolus verbo *Gilbertus*.

11. Fuit hic Gilbertus auctor ſex principiorum apud logicam Ariſtotelis, Epiſcopus Pictavienſis tempore Eugenii 3. Papæ, & Conradi 3. Imperatoris, & in Concilio Remenſi a S. Bernardo convictus, ab Eugenio 3. damnatus. aſſerebat divinas relationes, & perſonalitates eſſe tres res æternas ad invicem & ab eſſentia numero diſtinctas, atque ideo ponebat in Deo quaternitatem, ſcilicet tres perſonarum relationes & divinam eſſentiam inter ſe diſcretas, quidquid dicat Vaſquez diſp. 120. cap. 1. & 2. qui in hoc errore Gilbertum non fuiſſe, ex hiſtoria ſcripta ab Othone Trinſigenſi epiſcopo an. 1260. centum & amplius annos poſt S. Bernardum. Quare ſic voluerit Vaſquez Gilberti partes ſuſtinere, ſuſpicor, ut oſtenderet, Gilberti ſententiam ab illa Scotiſtarum, dictinctionem formalem ex natura rei propugnante, nequaquam diſferre, ut ipſe probare pluribus contendit; Quo pacto autem differat, in proprio loco declaravi; & certe non eſt, cur Gilberti doctrinam ex aliis hiſtoricis inveſtigemus, ſed ab ipſo Remenſi Concilio miſſo ex Gallia ad Gregorium 13. a Jacobo Ancioto epiſcopo Antiſiodorenſi, facile perſpicere non prohibemur; & quamvis in codice Vaticano ſolum canones pertinentes ad mores, nihil vero contra Gilbertum reperiatur, non obeſt, etenim qui illum ſcripſerunt, definitiones iſtas apponere non curarunt, & quia propter Gilbertum coactum non fuit, & quia res omnes cum illo erant compoſitæ, cum in eodem concilio errorem ſuum jam retractaverit. Sic autem in eodem concilio legitur.

I. Quod divina natura, quæ divinitas dicitur, Deus non ſit, ſed forma, qua Deus eſt, quemadmodum humanitas homo non eſt, ſed forma, qua eſt homo. ideo aſſerebat, Deum non eſſe deitatem, ſed eſse Deum deitate.

II. Quod cum Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unum eſſe dicuntur, nonniſi una divinitate eſſe intelligantur, nec converti poſſit, ut unus Deus, vel una ſubſtantia, vel unum aliquid Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſſe dicantur.

III. Quod tres perſonæ tribus unitatibus ſint tria, & diſtinctæ proprietates tribus, quæ non ſunt ipſæ perſonæ, ſed ſunt tres res æternæ, & ab invicem a divina ſubſtantia in numero differentes. Quid clarius dici poterat ad inferendam diſtinctionem realem inter eſſentiam & relationes?

Magis inſuper quam Othoni Triſigneſi credendum eſt S. Th., S. Bonaventuræ, Alenſi, aliiſque antiquioribus, & gravioribus viris, qui omnes, diſtinctionem hujuſmodi vere realem a Gilberto admiſſam eſſe, nec ſolum contentum fuiſſe diſtinctione quacumque

que ante opus intellectus, abſque aliqua hæſitatione teſtantur.

12. Concluſio Catholica eſt, relationes ab eſſentia divina nequaquam re eſſe diſtinctas.

Probatur 1. ex Concilio Remenſi, cujus duas hic appono definitiones. Prima eſt iſta. *Cum de tribus perſonis loquimur, Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, ipſas unum Deum, unam divinam ſubſtantiam eſſe, fatemur, & e converſo, cum de uno Deo, una divina ſubſtantia loquimur, ipſum unum Deum, unam divinam ſubſtantiam eſſe tres perſonas confitemur*. Secunda eſt hæc. *Credimus, & confitemur, ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum æternum eſſe, nec aliquas omnino res, ſive relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates, vel unitates dicantur, vel alia hujuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.*

13. Nihil ex hoc concilio evinci poſſe, reſpondent, cum inter edita concilia non inveniatur, & tantum unius Remenſis concilii extent ſcripta non ſub Eugenio 3. ſed ſub Leone 3., in quo nihil ex ſupradictis habetur. Sed jam huic reſponſioni occurrimus ſupra num. 10. & concilium Remenſe ſub Eugenio 3. celebratum eſſe, in eoque damnatam eſſe diſtinctionem realem inter relationes, & eſſentiam, in dubium revocare non poſſumus, niſi negemus quod ſcribit S. Bernardus pluribus in locis, & præſertim lib. 1. de conſideratione ad eundem Pontificem.

14. Sed eſto ex laudato Concilio nihil certi colligeremus, aliud nobis non deeſt, nimirum Lateranenſe ſub Innoc. 3. in quo cap. *Damnamus* de Summa Trinit. & Fide, non eſſe in Deo quaternitatem rerum, definitum habemus; ſed admiſſa diſtinctione reali inter relationes, & eſſentiam, haberetur quaternitas rerum, quia tres res eſſent relationes, una foret eſſentia, ergo.

15. Non me latet, dici poſſe, a concilio laudato damnatam eſſe quaternitatem perſonarum, & rem ibi accipi per perſonam, quod manifeſtum eſt, quia damnata fuit ſententia Abbatis Joachimi, qui aſſerebat, eſſentiam generare, & generari, ſpirare, & ſpirari, ſeu eſſe terminum, & principium generationis, ac ſpirationis. Sed hoc nullo pacto ſuffragatur, etenim abſolute damnatur quaternitas rerum, ſive poſtea res iſtæ ſint perſonæ, ſive res, argumentum noſtrum ex Concilio petitum nequaquam infringitur; Atque falſum omnino aſſumitur, dum dicitur, tantum damnatam eſſe quaternitatem perſonarum, nam quis unquam ex hæreticis quatuor admiſit perſonas, contra quem a Concilio res ageretur? Ecce quomodo tunc negotium ſe habebat; Sententiarum Magiſter docebat, perſonam generare, & aliam generari, non ſic eſſentiam; reponebat Joachimus; ſi ita eſt, ergo ſunt in divinis res quatuor, nempe, præter perſonas, etiam eſſentia. decernit concilium, ita non eſſe, quamvis verum ſit, quod Magiſter aſſerebat; ergo juxta definitionem Concilii non quaternitas perſonarum, ſed rerum damnata fuit.

15. Progredior ulterius ad aſſertionem probandam. eſt commune proloquium in Theologia, ut habetur ex Concilio Toletano 2.& 11. tum ex Florentino. *In divinis omnia eſſe unum, ubi non ſit oppoſitio relativa*, & quamvis diſparata ſufficeret, ut ſuo loco dicemus, attamen de facto ita eſt, atqui inter eſſentiam & relationes nulla eſt oppoſitio relativa, & neque diſparata, ergo eſſentia & relationes ſunt quid unum; nulla igitur inter illas diſtinctio.

17. Amplius etiam ex rationibus Theologicis. 1. Si paternitas, idem dicito de aliis relationibus, eſt re diſtincta ab eſſentia divina, ſeu deitate, jam re non eſt Deus, ſed hoc dici non poteſt, ergo. prob. mi. Si Paternitas re

re non eſt Deus, eſt aliquid creatum, cum ratio creati & increati perfecte dividat ens, ut conſtat, & ut docet S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 6. Sed nequit eſſe aliquid creatum, alioquin Deus conſtitueretur partim ex aliquo increato, & partim ex aliquo creato, & dici poſſet cum Arianis Filium eſſe creaturam, quia filiatio creatura eſſet, ergo. 2. Paternitas, diſtincta ab eſſentia, vel eſſet accidens, vel ſubſtantia, non accidens, quod ſine imperfectione ſaltem radicali non eſt; ſi autem ſubſtantia, vel incompleta, vel completa; ſi incompleta, ergo Deus non eſset ens infinite perfectum, cum haberet partem, ſi completa, ergo Deus conſtitueretur ex duobus entibus completis, & ſic eſset unum per accidens dictum. Tandem. Paternitas, ita ab eſsentia diſtincta, jam non eſset Deus, inquiro, eſset ne minor, vel major, vel æqualis Deo? Si minor, ergo creatura; ſi major, ergo ipſa eſt Deus, non divina eſsentia; ſi æqualis, ergo ſunt plures dii.

18. Ita actum eſt contra Gilbertum, & contra Gualterum, & Jacobum de Viterbo, quibus tribuitur ſententia affirmans diſtinctionem realem etiam inter eſsentiam, & attributa; Sed quid ſentiendum de Durandi doctrina, qui in 1. diſ. 13. aſserit, eſsentiam, & relationes diſtingui, non quidem tanquam rem, & rem, ſed tanquam rem, & modum rei? Si recte perpendantur, quæ ſuperius dicta ſunt, procul dubio etiam hunc modum re diſtinctum excludendum eſse, reperiemus, neque dari poſse diſtinctionem realem etiam modalem ſine imperfectione limitationis, fatebimur.

19. Hæc dicta ſunt de relationibus eſsentiæ comparatis, ſecus vero ſentire debemus de relationibus ad invicem conſideratis, nam ubicumque reperitur oppoſitio poſitiva realis, neceſse eſt reperiri diſtinctionem realem, atqui relationes mutuam habent inter ſe oppoſitionem poſitivam realem, nec enim paternitas eſse poteſt filiatio, alioquin paternitas eſset ſui paternitas, & daretur paternitas paternitatis, ergo. Hoc tamen magis declarabitur, ubi de reali perſonarum diſtinctione ſermo inſtituetur.

20. Opp. 1. contra primam ex S. Auguſt. 7. de Trinit. cap. 1. dicente, *Omnis res, quæ relative dicitur eſt aliquid excepto relativo* ergo in Deo eſt aliquid a relatione diſtinctum, ſed hoc aliquid eſt eſsentia, ergo eſsentia eſt a relatione diſtincta, cap. 6. *Deus non ex eo Deus eſt, quo Pater eſt, ſed eſt Deus deitate, Pater Paternitate*. lib. 5. cap. 5. *Non omne quod dicitur de Deo dicitur ſecundum ſubſtantiam, dicitur enim ad aliquid ſicut Pater ad Filium*. Sed quod non dicitur ſecundum ſubſtantiam, non eſt eſsentia, ergo aliquid dicitur de Deo, quod non eſt eſsentia, hoc eſt relatio, ergo relatio non eſt eſsentia.

21. Reſp. recte id dictum eſse ab Auguſtino, ſed hæc omnia ſervari a Thomiſtis per diſtinctionem virtualem, fortius vero a Scotiſtis per diſtinctionem formalem ex natura rei; quod ſi ex iis probari poſset diſtinctio realis, tunc non ſumeretur relatio eſsentiæ comparata, ſed una relatio comparata alteri relationi.

22. Op. 2. Quando duo ſunt hujuſmodi, ut unum reperiatur in aliquo ſuppoſito, & non reperiatur aliud, hæc debent diſtingui realiter, ſed eſsentia & relatio ſunt hujuſmodi, ut una reperiatur in aliquo ſuppoſito, & non reperiatur alia, nam in Filio eſt eſsentia, ſed non eſt paternitas, & ſimiliter in Patre eſt eſsentia, & non eſt Filiatio, ergo eſsentia & relatio debent diſtingui realiter; & certe quodnam majus realis diſtinctionis argumentum, quam unum eſse ſine alio?

23. Reſp. primo majorem eſse veram

ram, ſi abſolute & ſimpliciter unum exiſtat ſine alio, non ſi è contrario. divina autem eſsentia ſimpliciter nequit eſse ſine paternitate, nec paternitas ſine divina eſsentia, quamvis enim paternitas non ſit in filio, attamen eſt cum eſsentia, quæ eſt in Filio, cum Filio communicetur eadem eſsentia, quæ eſt in Patre, in quo eſt paternitas.

Reſp. ſecundo majorem abſolute eſse falſam, ut enim unum eſse poſſit in aliquo, in quo non ſit aliud, ſatis eſt, ſi unum adæquate & convertibiliter non identificetur cum alio. Ita autem res ſe habet, ut divina eſsentia non adæquate & convertibiliter identificetur cum paternitate, nam etiam identificatur cum filiatione, & ſpiratione paſſiva, & ideo divina eſsentia eſt in filio, quin ſit paternitas, & vice verſa.

24. Op. 3. Perſonæ divinæ, quæ, ut fides docet, diſtinctæ ſunt realiter, vel diſtinguuntur propter realitem eſſentiæ, & hoc non, aliter eſsent tot dii, quot perſonæ, vel propter realitatem diſtinctam ab eſsentia, & hoc dato, jam ponitur realitas ab eſsentia diſtincta, ſed hæc eſt relatio, ergo.

25. Reſp. ut ſupra, nec diſtingui propter realitatem eſsentiæ, nec propter realitatem diſtinctam ab eſsentia, ſed propter realitatem, cum qua adæquate non identificatur eſsentia, diſtinguuntur enim per paternitatem & Filiationem quæ, cum opponantur relative, diſtingui debent, & cum quibus adæquate eſsentia non ſervat identitatem.

Atque ex hac doctrina ſolves alia, quæ ducuntur ex contradictoriis, nimirum, eſsentiam eſse ad ſe, relationem ad aliud, illam communicari, hanc non communicari, Patrem generare, eſsentiam non generare, quæ, juxta aliorum reſponſiones per diſtinctionem virtualem, vel formalem ex natura rei, non videntur ſatis poſse ſervari. Illas hic exponerem, & ſingillatim refellerem, ſed tot inſignibus doctoribus parco; & potius mea afferre placet, quam de alienis inquirere, vel illa reprehendere. Utinam quod ego aliis, alii mihi.

26. Dicet tamen Durandus, etſi per reſponſiones noſtras reiiciatur diſtinctio in re, non tamen in modo, nempe diſtinctio realis modalis dicta; ſiquidem Paternitas eſt eadem cum eſsentia Filii, non tamen eſt eadem cum filiatione, cum qua eſt eadem eſsentia, non igitur eſt eadem omni modo cum eſsentia, quod autem omni modo non eſt idem cum alio, realiter modaliter ab illo diſtinguitur, ſicuti quod non eſt idem re, diſtinguitur re.

27. Reſpondemus, argumentum æquivoce eſse propoſitum, nec omnem modum inferre diſtinctionem realem modalem, de qua hic ſermo; tunc habetur hujuſmodi modalis realis diſtinctio, quando, licet modus rei nequeat eſse ſine re, attamen res eſse poteſt ſine modo, ſicuti v. c. hæc figura diſtinguitur a quantitate, quia licet hæc figura ſine quantitate eſse non poſſit, poteſt tamen eſse quantitas ſine hac figura, atqui nec paternitas eſse poteſt ſine eſsentia divina, neque hæc ſine paternitate, ergo nulla modalis diſtinctio inter utramque; Non eſt igitur paternitas omni modo cum eſsentia divina, quia eſsentia divina adæquate, & convertibiliter non identificatur cum paternitate, non tamen, quia ſimpliciter eadem non ſit cum paternitate. Quod vero relationes dicantur modi divinæ ſubſtantiæ, nolo quæſtionem de nomine inſtituere, & tranſmitto, præſertim cum ex Damaſceno ita appellentur, ſed aliud eſt, eſse modos, & aliud eſse modos diſtinctos.

28. Oppones ultimo; Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, ſi ergo relationes idem eſsent cum eſsentia divina, eſsent etiam inter ſe, atque ita deſtrueretur myſterium Trinitatis.

Reſpondeo; De hoc alibi; interim audias hoc aliud argumentum; Quæ non ſunt eadem inter ſe non ſunt eadem uni

uni tertio eadem ratione , ſed perſonæ divinæ non ſunt eædem inter ſe, ergo non ſunt eædem uni tertio , ideo non erunt unus Deus , & ſic deſtruetur myſterium unitatis .

29. Quæres , qnot ſint relationes originis .

Reſpondeo , eſse quatuor , nempe Paternitatem , Filiationem , ſpirationem activam , & ſpirationem paſſivam .

Ratio eſt,quia juxta dicta duæ ſunt in divinis proceſſiones , una per intellectum , alia per voluntatem , ex duabus autem proceſſionibus quatuor relationes conſurgunt , quia duæ ſunt perſonæ producentes, & duæ productæ , producitur Filius a Patre , ecce paternitas , & Filiatio , producitur Spiritus Sanctus a Patre , & Filio , ecce ex parte Patris & Filii ſpiratio activa , ex parte vero Spiritus Sancti ſpiratio paſſiva , proinde &c.

ARTICULUS. III.

An relationes habeant propriam perfectionem .

30. Non conſideramus hic relationes prout realem identitatem habent cum eſſentia divina , ſic enim certum eſt ſummam præſeferre perfectionem , quemadmodum eſſentiam divinam perfectionem eſſe negari non poteſt , ſed ipſas perpendendas accipimus prout ſunt ab eſſentia divina , vel virtualiter , vel formaliter ex rei natura diſtinctæ , ſeu aliis terminis non prout ſunt in ſubiecto, ſed prout habent reſpectum ad terminum , alii dicunt , non ſecundum *in* ſed ſecundum *ad* .

31. Videtur hæc difficultas nullius momenti fere cenſenda apud quoſdam recentiores , qui , ſi antiquis magnæ notæ Theologis poſſint opponere , in ſpeculationibus vanis ſtudium impendiſſe , magnam referre victoriam arbitrantur , & ſi ipſi quaſdam incertiſſimas hiſtorias ad critices trutinam, nihil unquam pro utraque parte reſolvendo , poſſint revocare , ſe tantum doctos exiſtimant ; Attamen in hac ego ſententia non detineor , & neque antiquos in omnibus approbo , nec recentiores in omnibus ſequor , ſed plerunque reiiciendos , tanquam piſciculos , farina ad coquendum paratos , reor ; præſertim vero in propoſito puncto, in quo celebriores , quos oportet venerari , Doctores non mediocriter inſudaſſe perſpicio .

32. Fuit itaque cum Ochamo , & Gabriele nominalium ſententia, relationibus propriam perfectionem , ab eſſentia ſuo modo diſtinctam, concedens , atque hanc ex Neotericis ſequuti ſunt ex Patribus Societatis Suarez, Vaſq. Fonſeca &c. ex meis Cacheranus , & Marchinus , ex Thomiſtis Joan. a S. Th. ex Scotiſtis Pontius . Contrarium ſenſerunt celebriores Scoti , Sanctique Thomæ diſcipuli , ex illis Baſſol. Mairon. Vulpes Faber. &c. ex iſtis Cajetan. Capreol. Salmantic. juxta quos Puteobon. ex meis &c. ita ut dicant , divinas relationes nec perfectionem nec imperfectionem habere , ſed ab utraque præſcindere .

33. Qui ſuſtinent priorem ſententiam , adnotare ſolent , duplicem eſſe perfectionem , unam intenſivam , aliam extenſivam . Porro inter utramque hoc diſcrimen eſſe videtur 1. perfectionem intenſivam reſpicere ſubiectum proprium , extenſivam vero ad alium tendere , ideo illa ita afficit ſubiectum , ut ejuſdem perfectionem ſecundum aliquem gradum adaugeat,iſta autem nullo pacto augeat , ſed eamdem pluribus communicet , quod aliis terminis diceretur , perfectionem intenſivam eſſe ad magis , extenſivam eſſe ad majus . 2. Perfectio intenſiva ita ſe habet , ut ea ablata res remaneat ſimpliciter imperfecta , non ſic extenſiva , cum adhuc in ipſa remaneat quidquid requiritur ad ejus perfectam & eſſentialem conſtitutio-

tionem; ex: cauſa, ſi homo remaneret vivens, ſentiens, rationalis, ſed non eſſet multiplicabilis, ſua perfectione intenſiva præditus eſſet, quamvis extenſiva careret.

34. Hoc præmiſſo, non intenſivam perfectionem, ſed ſolum extenſivam relationibus concedunt, atque ita omnes Patrum authoritates, vel conciliorum definitiones explicantur, ut, quando relationibus perfectio negatur, de intentiva ſint intelligendæ.

Adeo mihi hujuſmodi opinio plauſu digna videtur, ut ſi eam etiam S. Thomæ, & Scoti doctrina munire non prohiberer, hanc certe præferendam eſſe, decernerem. Quanquam, niſi non me fallat exiſtimatio, id mihi nequaquam deeſſe, ex aliquibus eorundem locis poſſum oſtendere. & primo S. Thom. 1. par. quæſt. 27. art. 2. ad 3. inquit. *In ipſa perfectione divini eſſe continetur, & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, ſicut & quæcumque ad ejus perfectionem pertinent*, & quæſt. 29. art. 3. in corp. *Perſona ſignificat id, quod eſt perfectiſſimum in tota natura, ſcilicet ſubſiſtens in natura rationali, unde cum omne illud, quod eſt perfectionis, ſit Deo tribuendum, eo quod ejus eſſentia continet in ſe omnem perfectionem, conveniens eſt, ut hoc nomen perſona de Deo dicatur*. quæſt. 9. de potent. art. 5. *Non eſſet omnimoda perfectio in divinis, niſi eſſet ibi proceſſio verbi, & Amoris*. at non ne verbum intelligibiliter procedens, & principium verbi, proceſſio verbi & amoris ſignificant relationem ſecundum reſpectum ad terminum, ergo ex mente S. Thomæ colligitur, relationes divinas ſuam habere perfectionem. Secundo accedat ſubtiliſſimus Doctor; Hic autem quodlibet. 7. §. *Contra* aſſerit, *actum notionalem habere rationem boni, & perfecti* atqui actus notionalis eſt ille, qui actui eſſentiali addit relationem, ergo per Scotum relatio ſpectat ad bonitatem, & perfectionem, Rurſus in 1. diſ. 1. quæſt. 2. §. *Ad argumenta principalia* admittit in Deo perfectionem ſuppoſiti diſtinctam à perfectione quidditativa, perfectio autem ſuppoſiti diſtincta a quidditativa alia eſſe non poteſt, quam perfectio relationis diſtincta a perfectione eſſentiæ. Quapropter, ubicumque Doctores laudati perfectionem relationibus negant, de intenſiva loqutos eſſe, dicendum videtur.

35. Verum & huic aſſertioni ſuffragantur non mediocriter Sanctorum Patrum teſtimonia, Conciliorum decreta, imo ipſius Eccleſiæ conſenſus. Ex Patribus eſt Cyril. lib. 1. Theſauri cap. 6. dicens. *Quomodo poteſt eſſe perfecta deitas, niſi filium habeat?* & expreſſis verbis docet, *Patrem non ſolum eſſe perfectum, quia Deus eſt, ſed etiam quia Pater eſt*. S. Hilarius lib. 2. de Trinit. in fine ſic ſcribit; *Quia nec ſine filio aliquando fuiſſe credendus eſt, ne aut ſine generatione imperfectus, aut poſt generationẽ ſuperfluus eſſe videatur*. notentur illa verba *ſine generatione imperfectus*, deinde concludatur per generationem haberi perfectionem, ſicut habetur relatio, non natura. His ſimilia docet S. Ambr. lib. 4. de Fide cap. 4. inquiens, *Si aliquando Filius non fuit, non fuit ergo in Deo aliquando perfectionis plenitudo*, & clariſſime S. Gregor. Nazianz. orat. 2. de pace. *Deo quidnam majus, ac præſtabilius erit, quam Filii Patrem eſſe? quod quidem gloriæ acceſſio eſt*. nota verba illa, *gloriæ acceſſio*. Ex conciliis, occurrit 6. Synod. generalis act. 18. ubi ſtatuitur, *Credimus unam ſubſtantiam in tribus ſubſiſtentiis, unitatem quidem propter naturalem unionem, Trinitatem vero propter ſubſiſtentiarum perfectionem*. Eccleſiæ tandem conſenſus colligitur ex eo, quod habetur in quadam præfatione; *Ut in confeſſione veræ, ſempiternæque deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia unitas, & in majeſtate adoretur æqualitas,*

tas, adoranda igitur exhibetur perſonarum proprietas, ſed hæc in relationibus conſiſtit, ergo ſunt adorandæ relationes; quomodo autem, ſi nullam perfectionem haberent, ſed a perfectione & imperfectione præſcinderent?

36. Sed jam ad rationes Theologicas, quæ ex dictis eruuntur, deveniendum eſt. Atque in primis nullam in relationibus eſſe intenſivam perfectionem non unico argumento demonſtro; 1. paritate eorum, quæ in creatis contingunt, etenim, ſicuti inter nos, eſſe Patrem non ſpectat ad perfectionem intenſivam hominis, ita etiam in Deo. 2. quia Deus, ut Deus, nequaquam ut trinus, ſed ut unus ita ab omnibus concipi debet, ut eo melius & perfectius nihil excogitari poſſit, hoc autem non eſſet, ſi relationes ſpectarent ad ejuſdem intenſivam perfectionem, quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus Deo ut Deo adderent perfectionem. 3. quia perfectio eſſentiæ divinæ infinita eſt, ei autem, quod eſt infinitum, nihil addi poſſe, ex infinitatis terminis manifeſtum eſt.

37. Neque contra hoc dici poteſt, divinam eſſentiam eſſe infinitam, & perfectiſſimam in radice, quatenus eſt radix omnis perfectionis, non vero formaliter, quia revera attributa ſpectant ad intenſivam Dei perfectionem, & quamvis Deus ſit id, quo perfectius nihil, attamen attributis illa perfectio non eſt deneganda, ergo à pari; etenim valde diſpar eſt ratio, jam à nobis adducta, ubi inter perfectionem intenſivam, & extenſivam diſcrimen attulimus num. 43. & revera, ſi divina demeres attributa, Deum ſecundum divinitatis unitatem deſtrueres, nec amplius eſſet Deus niſi metaphyſice, at ſi divinas auferres relationes, deſtrueres quidem Deum trinum, adhuc tamen ſervares Deum unum; Retorſio manifeſte eſt in homine; ſi enim riſibilitatem ab homine auferres, deſtrueres hominem, non ſic ſi auferres paternitatem, & producendi virtutem; non eſt igitur eadem ratio de relativis, quæ de abſolutis.

38 At relationes propria perfectione, quæ per reſpectum ad Deum extenſiva ſit, gaudere, multifariam declarari poteſt; 1. Relationes divinæ etiam ſormaliſſime acceptæ ſunt ens reale, non enim ſunt rationis, ſicut ſuperius demonſtratum eſt, ſed omne ens reale habet perfectionem, ergo relationes &c. Probatur min. omne ens reale eſt bonum, cum bonitas ſit proprietas entis, cum quo per convertentiam prædicatur, & ut ait S. Auguſtin. lib. 83. quæſt. 24. *Omne quod eſt*, *in quantum eſt*, *bonum eſt*. Sed quod bonum eſt habet perfectionem, quia tantum perfectionis habetur, quantum bonitatis, ergo.

39. 2. Per relationes formaliſſime conſideratas perſonæ divinæ perficiuntur, ergo habent perfectionem, concipi enim non poteſt, quo pacto id, quod a perfectione, & imperfectione præſcindit, perficere poſſit; Probatur ant. Per relationes formaliſſime conſideratas perſonæ divinæ conſtituuntur, ut ſuo loco tradetur, nec ab adverſantibus doctoribus negatur, ſed perſonæ divinæ per quod conſtituuntur, & diſtinguuntur, etiam perficiuntur, ergo. Et profecto, ſi res ita non eſſet, myſterium Trinitatis, quod ex perſonarum diſtinctione conſurgit, eſſet tantum nomen, & vox, nec melius eſset divinæ eſsentiæ eſse in tribus perſonis, quam in una tantum, quod nemo dicet, melius enim eſt, eſse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, cum ſic habeantur operationes ad intra in propria linea infinite perfectæ. ergo.

40. 3. Quod per reſpectum ad divinam voluntatem ſumme amabile eſt, eſt in ſua linea ſumme perfectum, ſed divinæ relationes per reſpectum ad divinam voluntatem ſumme amabiles ſunt, ergo. min. prob. etenim Pater non ſolum amat eſsentiam ſuam, ſed etiam ſe ipſum, & Filium, & Spiritum Sanctus ex utriuſ-que

que amore procedit; dixi, *in ſua linea ſumme perfectum*; non enim relationibus conceditur perfectio pertinens ad ens abſolutum, ſicut conceditur attributis, ſed perfectio relativa, ſicut ſunt tantum ens relativum. Alia argnmenta prætereo; ſed de ipſis inferius.

41. Alii vero qui dicunt, relationes divinas neque perfectionem, neque imperfectionem habere, ſua præſeferunt momenta, quæ parvi ponderis habenda non ſunt; atque in primis non nulla ad notant, quibus & propriam ſententiam ſtabilire, & contraria argumenta diſsolvere arbitrantur. Pluribus quibem ſe explicant; atque, ut opinor, inutilibus, cum quidquid per non nulla præmiſsa dicunt, paucis verbis dicere potuiſsent. Totus enim ipſorum cardo iſte eſt quod perfectio rei, proprie dicta, deſumi debet ab eo, quod eſt actu, & exiſtentiam concernit, & ideo quod hujuſmodi non eſt, nullam perfectionem proprie dictam involuit, ut frequenter docet S. Thomas; ſicut de matematicis rebus, ut tales ſunt, & de poſſibilibus docent Thomiſtæ. Hinc, inquiunt ipſi, cum relationes divinæ, quamvis ſint entitates reales relativæ, attamen ſecundum ſuum formalem conceptum referendi ad aliud, neque exiſtant, neque ordinem habeant ad exiſtentiam, quia non habent ordinem ad ſubiectum, in quo ſunt, & & cujus eſt exiſtentia; ſit, nullam ipſis perfectionem poſse concedi. Totum hoc etiam oſtendunt ratione S. Th. hic art. 1. & 2. nam quemadmodum in creatis exiſtentia cujuſcumque accidentis eſt ineſſe ſubiecto, ita in divinis exiſtentia relationis, eſt exiſtentia quædam actualiſſima in eſsentia divina.

42. Dixi ſupra, *paucis verbis dicere potuiſſent*; quia, ſi dixiſsent, relationes habere perfectionem, ut ſunt in ſubiecto, (eo modo, quo dici poteſt ſubiectum) non ut ſunt ad terminum, ſatis dixiſsent.

43. Horum doctrina nullo pacto placet; Primo quia afferunt pro ſui argumento, quod eſt principii, ut ajunt, petitio; quod enim omnis perfectio debeat in abſoluto conſiſtere, hoc negatur & hoc debet probari, nequaquam ſupponi; & ſicuti omne ens non eſt abſolutum, ita non omnis perfectio eſt abſoluta; ſed in ea linea, in qua aliquid eſt ens, eſt etiam perfectum, & ſi eſt ens reale, eſt perfectio realis, & ſi dicant, omnem perfectionem ei ineſse, quod perficitur, iterum petitur principium, quia perfectio ſuppoſiti nulli ineſt, & de hac inquiritur. Non placet ſecundo; quia aſſumitur exemplum a poſſibilibus, quæ cum non habeant ordinem ad exiſtentiam, a Deo non amantur, quod per Scotiſtas, alioſque falſum eſse, in priori parte demonſtravimus, non placet tertio propter exemplum adductum ex S. Th. etenim ex eo firmiſſimum argumentum in oppoſitum haberetur, ſicut namq; exiſtentia cujuſcumq. accidentis eſt in eſse ſubiecto, & tamen accidens habet aliquã veram perfectionem, quam non habet ſubiectum, ita quamvis exiſtentia relationis eſset in divina eſsentia, adhuc haberet aliquam perfectionem præter illam divinæ eſsentiæ.

Nihilo tamen minus præcipua Thomiſtarum fundamenta afferamus, deinde ad Scotiſtarum principia deveniemus.

44. Probant autem Thomiſtæ primo afferendo textus Sancti Th. quæſt. 42. art. 4. ad 2. dicentis. *Æqualitas attenditur ſecundum magnitudinem, magnitudo autem in divinis ſignificat perfectionem naturæ, & ad eſſentiam pertinet, & ideo æqualitas in divinis ſecundum eſſentialia attenditur*. & infra. *Vere ergo dicitur, quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius &c.* Deinde ratione, qua etiam occurrunt oppoſitis argumentis. Si relationes divinæ aliquam perfectionem habent, vel intenſivam, vel extenſivam, ſed neutram ergo. Prima pars minoris concedi de-

bet propter dicta probatur ſecunda. Perfectio extenſiva illa eſt, vel qua ponitur in ſubiecto multiplex perfectio diverſæ lineæ, vel qua eadem perfectio extenditur ad plura ſubiecta, ſed relationes divinæ neutro modo habent perfectionem, ergo. Probatur min. non primo modo, quia ut ponant in ſubiecto perfectionem diverſæ lineæ, debent ſubiectum, ſeu eſsentiam reſpicere, non reſpiciunt autem in eo ſenſu, quo hic à nobis conſiderantur, non ſecundo modo, quia licet relationes extendant divinam eſsentiam ad diverſa ſuppoſita, infertur tantummodo eſse conditiones & terminos divinæ eſsentiæ fœcunditatis, eſse autem terminos & conditiones hujuſmodi eſt accipere ab eſsentia divina perfectionem, non autem perfectionem habere, proinde &c. Ratio autem eſt, quia, naturam divinam tribus ſuppoſitis communicari, non oritur a relationibus, ſed ex præſtantia naturæ divinæ, quæ indiviſa petit ſeſe pluribus communicare, ergo.

45. Scotiſtæ aliis argumentis, quæ tamen etiam Thomiſtis communia ſunt, utuntur. Primum deſumitur ex infinitate, & ſic proponitur. Si relationes divinæ haberent perfectionem, hæc vel eſset finita, vel infinita, ſed neutra, ergo. Probatur min. non finita, aliter eſset creata, & in divinis perſonis eſset aliquod infinitum, & aliquod finitum; non infinita, & probatur; ad infinitam perfectionem pertinet in ſe continere omnem lineam perfectionis, ſi non formaliter, ſaltem identice, ſed divinæ relationes non continent omnem lineam perfectionis, neque identice, quia una relatio re diſtinguitur ab alia relatione, ergo.

46. Atque ex hoc ſequitur alia ratio, quæ ſic promovetur. Si relationes haberent perfectionem, perſonæ divinæ forent in perfectione inæquales, quæ propoſitio manifeſta eſt, quia una haberet perfectionem paternitatis, alia filiationis, alia ſpirationis paſſivæ, atqui hoc non eſt dicendum, cum perfectionis æqualitas omnibus ſit tribuenda, nec alio titulo, niſi quia in omnibus eſt eadem eſsentia divina, ergo. Atque hoc eſt, quod docent Patres, præſertim S. Auguſtinus, & S. Anſelmus; Primus lib. 3. contra Maximin. cap. 10. & 6. de Trinit. cap. 8. pluribuſque in aliis locis aſserit, bonitatem, & magnitudinem perfectionis non relative, ſed ad ſe dici, & tres perſonas dici non poſse tres magnos, vel tres bonos, quia magnus, & bonus ſubſtantialia nomina ſunt. Secundus vero in Monol. cap. 53. *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt inter ſe invicem tanta æqualitate, ut nullus alium excedat, quia unuſquiſque eorum eſt perfecta, & ſumma eſsentia*. His accidit Ric. Victorinus lib. 5. de Trinit. cap. 24. dicens *Inter hæc aliquis fortaſſis humanum aliquid cogitans de divinis perſonis, illam perſonam majoris dignitatis, & cæteris excellentiorem judicat, quæ a ſemetipſa habet totum quod eam habere conſtat; ſed abſit, quod ibi videatur eſſe aliqua dignitatum diſtantia, ubi vere, & abſque dubio eſt æqualitas ſumma*. Quid plura? Audiatur Concilium Toletan. XI. ante medium ita docens, ac ſtatuens; *Nec minoratur in ſingulis, nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet, cum unaquæque perſona Deus ſingulariter dicitur nec amplius, cum totæ tres perſonæ unus Deus enuntiantur*. Immo, cum relationes inter ſe opponantur, reperireretur in perſonis divinis non ſolum inæqualis pefectio, ſed oppoſita.

47. Hæc ſunt argumenta potiſſima, ad quæ revocantur ea omnia quæ celeberrimæ Thomiſtarum, ac Scotiſtarum ſcholæ pro ſententia ſua producere ſolent, ſed arbitratu meo facillime ab aliis Doctoribus reiiciuntur; atque hic afferre nolo omnes reſponſiones, quibus alii occurrunt, quos apud Maſtrium quiſque legere poterit, ſed paucis brevibuſque

que contentus, ea, quæ dixi de perfectione intenſiva, atque extenſiva ſufficere poſſe, non ambigo, de qua perfectionum diſtinctione, nunquam in ſuis impugnationibus quidquam movet laudatus Doctor, niſi num. 20. ſed inefficaciter.

48. Ad primum igitur ex Thomiſtis adductum; dicta illa S. Th. explicantur de magnitudine & æqualitate intenſiva, non extenſiva, & idem dicas de dignitate, quæ proprie loquendo deſumitur a perfectione formali & intenſiva exiſtente in ſubiecto, non ſe explicante ad plura per varios reſpectus. Hinc ad rationem idem affirmamus, & concedendo, relationes eſſe ſolum conditiones, ac terminos divinæ fæcunditatis, quæ habetur ex infinita perfectione naturæ, negamus, relationes iſtas, iſtoſque terminos a perfectione & imperfectione præſcindere, ſicut à nobis probatum fuit, & hoc eſt in quæſtione, quod debet probari.

49. Ad argumenta Scotiſtarum ea utimur reſponſione; dicimus enim perfectionem relationum eſſe infinitam in propria linea, paternitatem infinitam in linea paternitatis, & ideo tantum una eſt paternitas, Filiationem in linea Filiationis, & ideo tantum una Filiatio; neque hoc mirum videre debet Scotiſtis, idem ſuſtinentibus etiam de ſingulis attributis; & quod una relatio realiter diſtinguatur ab alia relatione, infertur tantum divinas perſonas inæquales eſſe in perfectione extenſiva, in quo nihil abſurdi ſequitur, niſi aliunde probetur; nam quemadmodum etiam per contrarios doctores, datur una res, & una entitas relativa in una perſona, quæ non datur in alia, ita per nos datur una perfectio relativa in una, quæ in alia non reperitur, ex quo tamen non ſequitur, unam eſſe perfectam, aliam imperfectam, quia ſibi non identificare perfectionem impoſſibilem, imperfectioni tribui non poteſt, ſed perfectioni, cum ſic ſervetur fecunditas producentis & producti, præſertim quod licet in Patre non detur Filiatio, in Filio non detur paternitas, & in Spiritu Sancto non detur ſpiratio activa, attamen in omnibus reperitur natura, quæ identica eſt cum Paternitate Filiatione, ſpiratione activa, & paſſiva; quæve natura radicaliter eſt quælibet ex relationibus: Quod ſi dicimus, ut communiter dicitur, Deum & mundum eſſe quid extenſive perfectius Deo ſolo, quare dici non poterit, tres perſonas divinas eſſe quid perfectius extenſive, quam unica tantum perſona? Ex hoc habes, quid reſpondeas argumento ſecundo, & quo pacto explices omnia producta teſtimonia; niſi forte velis dicere, tantæ perfectionis eſſe in Filio filiationem, quantæ eſt paternitas in Patre, & tantæ ſpirationem paſſivam in Spiritu Sancto, quantæ Paternitas, Filiatio, & Spiratio activa in Patre & Filio, & ſic nihil reperiri, quo una perſona alia ſit perfectior & excellentior.

50. Quod autem a nobis dictum eſt, ut perfectionem in relationibus reperiri probaremus, ab aliis ſolvitur, per illam diſtinctionem ſecundum *in*, & ſecundum *ad*, ut dictum fuit; Quod utrum valeat nec ne, tibi perpendendum relinquo.

Ut vero plenius omnia reſolvantur, nonnulla alia propono inquirenda; & primo utrum perfectio, quam relationibus concedimus, ſit ſimpliciter ſimplex.

51. Reſpondeo. niſi ludamus in verbis, eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem; dixi, *niſi ludamus in verbis*, quia aliqui doctores, ut Sylvius 1. p. q. 28. art. 2. Suarez lib. 3. de Trinit. cap. 10., aliique concedunt relationem divinam eſſe perfectionem ſimpliciter, prout negat quamcumque imperfectionem, non tamen juxta definitionem Anſelmi, in qua dicitur, *melior ipſa, quam non ipſa in unoquoque* genere

genere conſtat enim, inquiunt, Paternitatem non eſſe meliorem Filiatione, & ſic loquendo. at poſito, quod relatio ſit talis perfectio, ut nullam habeat imperfectionem, non apparet, quare perfectio ſimpliciter ſimplex dici non debeat; cum apud omnes Theologos, alia ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, alia ſecundum quid, nec reperiatur nomen alterius mediæ perfectionis; & ideo ſi aliqua non eſt ſecundum quid, ideſt alicui imperfectioni admixta, debet eſſe ſimpliciter ſimplex; tantum obeſſe videntur illæ particulæ *in unoquoque genere*; quæ tamen difficultas facile ſolvitur, ſi advertamus cum Cajet. de ente & eſſentia cap. 1. illa verba non eſſe referenda ad unumquodque ſuppoſitum, ſeu perſonam, ſed ad unumquodque individuum, & hoc dato, quod improbari non poteſt, reſpectu divinæ naturæ, ſeu individui ſignificati per hoc nomen *Deus* relatio eſt melior ipſa, quam non ipſa, hoc eſt, quam quælibet alia perfectio incompoſſibilis cum ipſa; quia reſpectu divinæ naturæ, ſeu Dei, melius eſt eſſe Patrem, quam non Patrem, Filium, quam non Filium, ergo. Quod ſi etiam, illud *in unoquoque* vellet quis explicare non de natura, ſed de perſona, adhuc nihil evinceret, quia ſicut v. g. ſapientia non eſt melior ipſa, quam non ipſa in lapide, quia lapis non eſt illius capax, ita Filiatio non eſt melior ipſa, quam non ipſa in Patre, quia Pater non eſt capax filiationis, & idem dicito de aliis perſonis; Præterea dici poteſt, quod, licet Paternitas non ſit melior ipſa, quam non ipſa poſitive, eſt tamen melior negative, quia eſt æque perfecta cum aliis relationibus, & iſtæ æque perfectæ cum Paternitate.

52. Ratio autem aſſertionis meæ, quam defendunt Cach. March. Vaſq. Arriag. aliique plures, deſumitur ex generali regula, quæ nos docet, quidquid formaliter reperitur in Deo, & eſt perfectum, eſſe perfectum non ſecundum quid, ſed adinſtar perfectionis ſimpliciter ſimplicis, atqui relationes reperiuntur in Deo formaliter, Pater enim formaliter Pater eſt, & ſic de aliis, ergo. Si autem dicas, ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem pertinere facere rem meliorem; jam reſponſum eſt; Perfectio ſimpliciter ſimplex intenſiva & abſolute facit rem meliorem intenſive & abſolute, perfectio vero ſimpliciter ſimplex extenſiva, & relativa, facit ſimiliter ſuo modo rem meliorem.

53. Quæritur ſecundo. an iſtæ tres diſtinctæ relationes ſin tres realiter diſtinctæ unitates.

Reſponſio eſt affirmativa, eſt enim in divinis numerus ternarius, hic autem eſſe nequit, niſi dentur tres unitates, quia unica unitas principium quidem numeri eſt, non eſt autem numerus. Totum hoc definitum habemus in Concil. Lateranen. cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, ubi ſic legitur. *Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam individua, ſecundum proprietates perſonales diſcreta*; in concil. Tolet. XI., ubi ſic. *Hæc Sancta Trinitas, quæ unus etiam verus eſt Deus, nec recedit a numero, nec capitur numero; in relatione enim perſonarum numerus cernitur*. Accedit Sanctorum Patrum ſuffragium, Auguſtini lib. 7. de Trinit. cap. 4. dicentis. *Placuit ita dici, ut diceretur aliquid cum quæreretur, quid tria ſint, quæ tria eſſe fides vera pronuntiat, cum & Patrem non dicit eſſe Filium*. Damaſceni lib. 1. de Fide cap. 10. *Porro unumquemque ex his tribus plenam, atque integram hypoſtaſim habere dicimus*. Bernardi lib. 5. de conſiderat.: *Cum ſint tres perſonæ quis numerum neget? nam vere tres ſunt, Quis numerat tamen, nam vere unum ſunt*. Exiſtimo tamen, abſolute dici non poſſe, eſſe in divinis tria entia, quia in communi uſu loquendi, entis nomine intelligitur id quod eſt abſolutum, & pertinet ad eſſentiam, quare addi debet,

tria

tria entia relativa; ſi tamen cum Theologo ſermo ſit, etiam ſine addito id dici poterit.

54. Quæritur 3. an in divinis ſint tres exiſtentiæ relativæ.

ARTICULUS IV.

Reſolvitur propoſita difficultas.

IN hoc puncto exiſtentiæ nomine non intelligitur id, quod diſtincte & ſeparabiliter ſine alio eſſe poteſt a parte rei, ut ajunt, ſed tantum actualitas a parte rei, quæ licet cum alio identitatem realem ſervet, attamen non eſt eadem omnino, ſed aliquid ſuperaddit, immo per reſpectum ad alium re diſtinguitur, nec poteſt diſtingui propter id, cum quo habet identitatem; Si recte perpendantur, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, plane videtur hujuſmodi difficultas conſectarie reſoluta; & nihilominus non deſunt doctores, qui concedentes divinis relationibus ſuam propriam perfectionem, attamen negant propriam exiſtentiam, ſeu actualitatem, & aſſerunt, ipſas exiſtere tantum per exiſtentiam divinæ naturæ, inter hos eſt Pater Marchinus cum Vaſquez. Illis, qui propriam perfectionem negant, utique aſſentiendum, neque propriam habere exiſtentiam; præſertim vero aſſentiendum Thomiſtis, qui juxta principia ſua aſſerunt exiſtentiam diſtingui a re exiſtente, & actualitatem a re actuali, immo per exiſtentiam formæ exiſtere totum compoſitum, & plures per exiſtentiam Verbi exiſtere ejuſdem humanitatem, Quæ res cum philoſophica ſit, & a nobis in noſtris quæſtionibus ſtabilita, hoc in quæſtionem vocari non debet. Interim.

55. Sentio; tres relationes in divinis habere tres diſtinctas exiſtentias, ſeu actualitates. Hanc exiſtimo fuiſse doctrinam Scoti in 1. diſ. 11. q. 2. §. *ad Rationes*. & quodlib. 4. §. *ad argumentum principale*; Id tamen docent Suarez de Incarnat. diſp. 11. ſer. 2. & de Trinit. lib. 3. cap. 5. Averſa, Arriaga, Lugus, & Cacheranus cum pluribus aliis.

Fateor tamen ſententiam hanc eſſe alienam à mente S. Th. & miror aliquos illum explicare contendere, cum ſatius dicerent, ſe in hac re ab ipſo recedere cum ipſe loquatur juxta ſuorum principiorum connexionem, de quibus num. præcedente, quare ſicuti nullo aguntur ſcrupulo, ſi illis non adhæreant, cur agentur, ſi in hoc non aſſentiuntur? Oppoſitum autem S. Thomam perpetuo diſerteque docuiſse, ex pluribus ejuſdem dictis declarari, ac evinci poteſt, in 1. diſ. 20. quæſt. unica artic. 1. hæc habet: *Nullum eſt eſſe Patris, quod non ſit Filii, quia omne eſſe in divinis eſt eſſentiale*. diſ. 33. quæſt. 1. art. 1. ad 1. ait. *Eſſentiam, & relationes uniri in actu eſſendi*. quæſt. 2. de potent. art. 6. *Non eſt concedendum, quod aliquid abſolutum in divinis multiplicetur, ſicut quidam dicunt, quod in divinis eſt duplex eſſe, eſſentiale, & perſonale; omne enim eſſe in divinis eſſentiale eſt, nec perſona eſt niſi per eſſe eſſentiæ*. & q. 9. art. 3. *Nullo modo credendum eſt, quod in divinis ſit niſi unum eſſe, cum eſſe ſemper ad eſſentiam pertineat, cujus eſſe eſt ſua eſſentia, relationes vero non addere aliquod eſſe, quia alias illud eſſet accidentale*. Idem alibi.

56. Porro aſsertio noſtra in primis probatur, quia ſicuti per nos, & per plures in hoc puncto nobis contrarios Doctores tres relationes habent ſuam propriam perfectionem, ergo etiam ſuam propriam exiſtentiam; prob. conſa perfectio non poteſt deſumi niſi ab eo, quod res actu ſit, vel quo ad ſui eſſentiam, vel quo ad ſui exiſtentiam, ergo ſi relationes habent propriam perfectionem, habent etiam &c.

57. Atque hic advertendum eſt; aliud

aliud eſſe, dicere, divinam eſsentiam non exiſtere alia exiſtentia, quam exiſtentia relationum, & aliud, dicere, præter exiſtentiam abſolutam divinæ eſſentiæ convenientem, dari alias exiſtentias, quibus relationes in ſe ipſis exiſtant, tanquam propria actualitate gaudentes; Hoc tantum ſecundum a nobis aſseritur, in quo quidem nihil falſi, nihil ſuſpecti, nihil periculoſi, ut perperam opponit, ſed non probat Marchinus, nihil inquam falſi, quia licet in communi uſu loquendi eſsentiæ nomine intelligatur natura ſubſtantialis, quæ ſit radix & principium cæterarum perfectionum, atque operationum, attamen tunc ſermo eſt de eſſentia abſoluta, non de relativa, & ideo probari deberet, non dari eſsentiam relativam; nihil ſuſpecti, ac periculoſi, quia hoc aſserendo, non videmur concedere tres deitates, ſed tantum melius ſervamus tres perſonas, neque apud rudes, & imperitos ſermo noſter, ſed ſapientiam loquimur inter perfectos. Valde tamen mirum eſt, abſque aliqua hæſitatione ab ipſo, & ab aliis tres quidditates concedi, tres vero eſſentias negari, cum tamen in eo genere, in quo eſt quidditas, etiam ſit eſſentia, & exiſtentia; ex quo novum argumentum deſumo.

55. Sed ulterius ſic probatur. Quod eſt terminus productionis habere debet exiſtentiam diſtinctam ab eo, quod non eſt terminus hujuſmodi, atqui divina eſſentia non eſt terminus productionis, filiatio vero eſt hujuſmodi terminus, ergo. Si autem producitur filiatio, certe & produci debet ejuſdem actualitas. min. prob. ex toties repetitis, ideſt eſſentia non generat, nec generatur, quod quidem intelligi debet de eſſentia abſoluta, non de relativa, aliter nihil generaretur, & ſicuti licet communicatur natura, non tamen producitur, producitur tamen perſona, ita communicata eſſentia debet produci id, per quod conſtituitur perſona, ſed perſona conſtituitur per relationem, ut dicemus, ergo.

59. Dices. Realem productionem ſatis per hoc intelligi, ſi terminetur ad rem exiſtentem, cum prius non exiſteret, ſive poſtea res illa exiſtat exiſtentia propria, ſive aliena, non intereſt; conſtat hoc in materia prima exiſtente per exiſtentiam materiæ, & in humanitate Chriſti exiſtente per exiſtentiam Verbi; Ut igitur ſervetur generatio Filii, ſufficit, ſi ex vi paterni influxus fiat exiſtens novo modo exiſtentia deitatis, quæ identificatur cum ipſa filiatione, cum in priori ſigno rationis eſſe exiſtentiæ abſolutum nondum intelligeretur filiationi communicatum.

Sed contra; falſum aſſumitur, & exempla adducta nec a nobis, nec a majori Theologorum parte, paucis exceptis ex Thomiſtis, concedi poſſunt; concedo autem eſsentiam, ſeu exiſtentiam abſolutam pro illo priori jam exiſtentem communicari, ſed quo pacto communicatur? Certe aliquid producendo, quid autem produci poteſt præter Filiationem in filio, at ſpirationem paſſivam in Spiritu Sancto? quod autem eſt terminus veræ productionis debet eſse aliquid exiſtens, ſeu actuale, proinde &c.

60. Porro ex eo quod diximus ideſt per relationes conſtitui perſonas, novum pro aſsertione noſtra inſtauratur argumentum, etenim perſonæ non ſolum in actu ſignato, ſed exercito conſtitutæ actu inter ſe diſtinguuntur, atqui non diſtinguuntur per exiſtentiam eſsentiæ, quæ omnibus communis eſt, ergo diſtingui debent per aliquam aliā actualitatem, ſeu exiſtentiam.

61. Nec præterire placet momentum aliud, quod ſic proponitur. Relationibus divinis formaliter acceptis nequit convenire niſi exiſtentia relativa, ergo nequeunt exiſtere per exiſtentiam abſolutam; Prob. antec. ſi relationibus divinis poſset convenire exiſtentia abſoluta non eſsent relationes, ergo. Probatur

bat. ant. Si relationibus divinis poſſet convenire exiſtentia creata, non eſſent quid increatum, ergo ſi relationibus divinis poſſet convenire exiſtentia abſoluta, non eſſent quid relativum; & quemadmodum ratio creati & increati, dividunt ens, ita etiam ratio abſoluti & relativi.

62. Dices hoc non tenere, alioquin ſequeretur, quod ſicut creatum & increatum nequeunt eſſe idem, ita etiam abſolutum & relativum non poſſunt eſſe idem, quod eſt contra fidem, atque etiam admiſſo argumento, jam ſequeretur, relationes habere exiſtentiam increatam, eſſent igitur tres increati, contra id, quod ait Athanaſius in Symbolo. *Non tres increati*.

63. Fateor, non in omnibus tenere quod propoſitum eſt, immo a me propoſitum eſt, ut ejus infirmitatem innuerem in data reſponſione, quam tamen aliis uſque modo occurriſſe, non legi; & certe etiam in creatis reperitur in eodem ſuppoſito eſſe abſolutum, & eſſe relativum, nec tamen in ente aliquo reperiri poteſt ratio creati, & increati; quare valde diſpar eſt ratio; nihilo tamen minus tenet quantum noſtro ſufficit intento, nam ſicuti non reperies creatum aliquod exiſtere per exiſtentiam increatam, ita neque invenies relativum aliquod, ſi reale ſit, exiſtere per exiſtentiam abſolutam. Quid hoc inquies? neque reperies aliquod relativum, ſi reale ſit, identitatem habere cum abſoluto, & tamen hoc invenies in divinis, neque invenies aliquod relativum eſſe ſubſtantiale, & tamen id fatearis in Deo, neceſſe eſt, ut ſis catholicus. Verum reponis, ſeu ego ipſe repono; ſed advertas velim, non tam ſumi hic a nobis relationes comparatas eſſentiæ, cum qua idem ſunt, quam ipſas comparatas aliis relationibus, ut conſtitutivis perſonarum, ſicut dictum eſt & perſpicies, relativum, etiam in divinis, non exiſtere per exiſtentiam abſolutam, ſed per diſtinctum non quidem ab eſſentia, ſed mutuo; quod nobis ſufficit. Quanquam quid hæc excogito? negatur ſuppoſitum, quia non datur hæc exiſtentia relativa; ſed ego negabo ſuppoſitum; quia hoc eſt in quæſtione, & alio ex capite debet probari; A me autem probatum eſt, quod ſicut datur perfectio relativa, ita debet dari exiſtentia relativa, & hoc contra illos, qui primum admittunt.

64. Quantum vero ad dictum Athanaſii, facilis reſponſio eſt, ſi dicamus, non dari tres increatos, ideſt tres Deos, dari tamen tres increatos, ideſt tres perſonas, ideſt non dari tres increatos abſolute, dari tamen relative; dixi tamen id ſine addito non eſſe proferendum, cum hoc principalius dicatur de eſſentia, ſeu natura, per quam ſicut dicimus unum Deum, ita dicimus unum increatum; Atque hic, ne calamum ad alia protraham, ſicut a me fieret, ſi de æternitate, immenſitate, omnipotentia differendum ſuſciperem, adnotandum arbitror, quædam de Deo abſolute, & propter eſſentiam dici, hæc nequaquam plura facienda ſunt; quædam vero relationibus affixa eſſe, & hæc plura fieri nemo prohibet ſed adhibita additione, ut prænotavi, cæterum, juxta fidem Catholicam dicimus, Filium eſſe incarnatum, non Patrem, & Spiritum Sanctum; Unio autem hypoſtatica, facta immediate in Verbi perſonalitate, facta eſt in aliqua actualitate propria perſonalitati, non eſſentiæ divinæ, alioquin nullum argumentum eſſet, ad probandum, omnes tres perſonas, non eſſe incarnatas; habuit perſonalitas Verbi vim terminandi immediatam, ergo habuit a ſemetipſa, non ab eſſentia. Hæc dixi, ſed nullibi legi.

65. Legi quidem duos præſertim Patres expreſſe meam tradidiſſe ſententiam; Iſti ſunt S. Auguſtinus, & Ricardus a S. Victore. Primus lib. 5. de Trinit. cap. 6. ait; *Aliud eſt eſſe Deum, aliud*

aliud eſſe Patrem. Duo igitur eſse admittit in Deo. Si dicis, Auguſtinum velle, aliam eſſe quidditatem Paternitatis, & aliam Deitatis, hoc, quod tu quidditatem appellas,ego appello actualitatem, ſeu exiſtentiam, non quidem comparatam ad eſsentiam, ſed ad perſonas; Si inſtes, etiam ſapientiam, miſericordiam, & alia attributa eſse quidditates per Scotiſtas, nec tamen habere diverſam exiſtentiam, reſpondebo, eſse quidditates, ſed abſolutas convenientes Deo, ut uni, & ideo unicam habere exiſtentiam, non Deo, ut Trino, ſicuti quidditates, de quibus eſt noſtra diſputatio. Secundus vero magis expreſse, ac diſerte pro re noſtra ſe explicat; lib. 4. de Trinit. cap. 15. ſic effatur. *Ut igitur breviter perſtringamus, quod diffuſius diximus, patet, quod in divina natura variatur exiſtentiarum pluralitas ſecundum ſolam originem*, & in fine cap. 12. *In divinis namque naturam circa originem ſolam oportet quærere tam perſonarum, quem exiſtentiarum differentiam*, & cap. 17. *Sed, ut de cæteris taceamus, in divina procul dubio natura eſt exiſtentia, quæ eſt pluribus communis, & eſt ibi exiſtentia, quæ omnino eſt incommunicabilis*.

66. Sed neque Auguſtinum, neque Ricardum id dixiſse, quod a nobis aſseritur, contendunt alii; Si de Auguſtino loquamur, non aliam ipſe exiſtentiam, niſi abſolutam, agnovit. Vis hoc aperte videre? lege quæ habet lib. 7. de Trin. cap. 9. in fine, ſunt iſta; *Aliud eſt Deum eſſe, aliud Patrem eſſe. Quod enim eſt, ad ſe dicitur, Pater autem ad filium*. ergo omne quod eſt, ſeu exiſtit, juxta Auguſtinum ad ſe dicitur, ergo eſt abſolutum; & addidit præclariſſimus Doctor; *Sicut enim non dicuntur tres eſſentiæ Dei, non tres ſapientiæ, ita nec tria eſſe*. Si vero de Ricardo, in laudatis teſtimoniis, nomen exiſtentiæ late, & improprie ſumptum eſt, non in ſenſu metaphyſico, vel Theologico, quod ex aliis ejuſdem verbis colligi poteſt, etenim in 12. capite præter multa ita ſe explicat; *Quid enim eſt exiſtere, niſi in aliquo ſiſtere, hoc eſt ſubſtantialiter ex aliquo eſſe? in uno itaque hoc verbo exiſtere, vel ſub uno nomine exiſtentiæ datur, intelligi poſſe, & illam conſiderationem, quæ pertinet ad rei qualitatem, & illam, quæ pertinet ad rei originem?* loquitur igitur Ricardus de qualitate; vel modo eſsendi, non de exiſtentia ut ſignificat actum, ſicuti modo a nobis conſideratur; dici etiam poteſt, loquutum eſſe de exiſtentia, ideſt de ſubſiſtentia, & perſonalitate, hanc autem triplicem eſſe, refragatur nemo. *Ut intelligas*, ſunt ipſius verba cap. 20. laudati libri, *unde illi in Trinitate dicantur ſubſtantiæ, quamvis improprie, & idcirco perſonæ rectius dicentur exiſtentiæ, quam ſubſtantiæ, vel ſubſiſtentiæ*.

67. Sed revera eo loci Auguſtinum duplicem exiſtentiam agnoviſse, ſi ejus verba perpendantur apparet, atque dum dicit, *quod enim eſt, ad ſe dicitur* non excludit exiſtentiam relativam, ſed loquitur de exiſtentia abſoluta, & dum proſequitur, negans tria eſse ſicut tres eſſentias Dei, clarum eſt negare tria eſſe abſoluta, cùm ſtatim poſt eſsentiam ſubdat unum prædicatum abſolutum, quale eſt ſapientia. Quantum vero ad Ricardum, plura, & clariora ſunt teſtimonia, in quibus exiſtentiarum pluralitas exprimitur, quam illa, in quibus exiſtentiam improprie ſumendam eſse contenditur, & obſervandum, ita loqui de exiſtentia, quæ omnino eſt incommunicabilis, ſicut de exiſtentia naturæ; ſed dum loquitur de exiſtentia naturæ, utique ſumit exiſtentiam in ſenſu metaphyſico, ac Theologico, ergo etiam dum loquitur de exiſtentia relationum Quod ſi dicit, ſub uno nomine exiſtentiæ utramque conſiderationem intelligi poſse, quid inde? exiſtentia eſt quodammodo genus, quod contrahi poteſt; vel ad abſolutum, vel ad relativum; ul-

tima

ma vero authoritas nobis favet,cum iſtas incommunicabilites, ſeu ſubſiſtentias potius dicit appellandas eſse exiſtentias.

68. Op. 1. Exiſtentia relationum in divinis debet eſse abſoluta, ergo relationes exiſtunt per exiſtentiam abſolutã, prob.ant. exiſtentia, ut talis eſse nequit, quin ſit abſoluta, ergo. prob. ant. exiſtentia, ut talis, exigit eſse extra ſuas cauſas, vel extra ſuum principium, non vero referri ad terminum oppoſitum, ergo. 2. Exiſtentia, vel eſt ſubſtantialis, vel accidentalis, ſed quovis modo conſideretur, eſt abſoluta, prob. min. ſi eſt ſubſtantialis eſt eſse in ſe, & per ſe, ſi accidentalis eſt ineſse ſubiecto, ſed quovis modo exiſtentia eſt abſoluta,nec reſpicit terminum oppoſitum, & correlativum, ergo.

69. Reſp.neg.ant. ad prob. pariter, ad prob. ſimiliter, exiſtentia enim, ut exiſtentia eſt, exigit quidem eſse extra ſuas cauſas, vel extra ſuum principium, indifferens vero eſt, ut ſit vel ad ſe, vel ad aliud, ſicut eſse extra ſuas cauſas eſse poteſt, vel alicujus abſoluti, vel alicujus relativi, cum utrumque ſit ens reale, habens perfectionem, ſicut dictum fuit antec. Ad ſecundum conc. exiſtentiam, vel eſse ſubſtantialem,vel accidentalem, ſed exiſtentiam ſubſtantialem divido in abſolutam, & relativam, ſicut divido perfectionem.

70 Op. 2. Poſsunt relationes divinæ exiſtere per eamdem infinitam exiſtentiam naturæ divinæ, ergo per illam revera exiſtunt; conſa tenet,quia in divinis.idem eſt eſse & poſse; prob. ant. Quando duo extrema actualia re identificantur, poſsunt eadem indiviſibili exiſtentia exiſtere, ſed ita ſe habent natura divina, & relationes, ergo. Secundo. poteſt eſsentia creaturæ exiſtere per exiſtentiam etiam re diſtinctam, aut diſtinctam ſolum formaliter ex natura rei per Scotiſtas, ergo. Confir. Per naturam, & exiſtentiam abſolutam una cum relatione paternitatis tanquam modo, ſine alia exiſtentia relativa, Pater, v. g. habet omnia, quæ Patris ſunt, exiſtit actu per ſe incommunicabiliter, opponitur filio, & ad hunc refertur, ergo ſuperfluunt exiſtentiæ relativæ.

71. Reſp. neg. antec. ad prob. diſ. maj. ſi ambo extrema ſint abſoluta, & & ubi idem eſt unum ſit etiam aliud conc. ſi ſecus neg. maj. econtra diſtinc. min. neg.conſa. Identificantur quidem eſſentia divina, & relationes, attamen non ubique reperitur eſſentia divina reperitur omnis relatio, ideo diverſa dedet eſſe actualitas relationis. Ad 2. per me eſſentia, & exiſtentia ſolum nomine differunt, ut docui in quæſtionibus Philoſophicis, & ubicumque reperitur eſſentia etiam reperitur exiſtentia, & e contra, unde diſpar eſt ratio. Ad confirm. nolo modo contendere de Paternitate tanquam modo, vel re, ſed dico ſolum, hoc ipſum quod eſt eſſe Patris, exiſtere actu incommunicabiliter, opponi Filio, & ad Filium referri ſine actualitate, quæ non ſit abſoluta, intelligi non poſse, ut probatum fuit.

72. Op. 3. Conceſsa ſententia noſtra tria ſequuntur abſurda; Primum eſt, quod etiam ſpiratio activa ſuam haberet propriam exiſtentiam; ſecundum eſt, quod tot eſsent admittendæ exiſtentiæ, quot ſunt attributa divina, non minus enim iſta ſunt actualia in Deo, quam ſint relationes divinæ, ſed illud non eſt dicendum, ergo neque aliud; Tertium eſt, quod pari ratione darentur tres durationes, æternitates, & hujuſmodi.

73. Reſp. Primum non ſequi, etenim, ſicut ſpiratio activa non diſtinguitur re a paternitate, & Filiatione, ita non facit numerum diſtinctum ab iiſdem, econtra cum paternitas, Filiatio, & ſpiratio re diſtinguantur, tres actualitates conficiunt. Idem dicendum de attributis, quæ omnibus perſonis communicantur,ſicut communicatur eſsentia, & nullo modo inter ſe realiter diſtinguuntur. Ad 3. jam dictum eſt,& diſparitas

ritas petitur ex iis, quæ de attributis protulimus.

Ex his ſatis habes, relationes non eſſe de conceptu eſſentiæ, & per meam doctrinam magis ſervari diſtinctionem formalem Scoticam inter relationes, & eſſentiam.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

De Divinis Perſonis generatim inſpectis.

ARTICULUS I.

Traduntur plura de Perſona.

1. PLuribus definitionibus perſonam explicarunt Doctores Theologi Alber. Magn. in 1. diſ. 25. art. 2. dicit. *Perſona eſt hypoſtaſis proprietate diſtincta ad dignitatem pertinens*. Sanct. Bonavent. ibid. quæſt. 1. *Perſona eſt rationalis naturæ ſuppoſitum proprietate diſtinctum*. Communiſſime tamen recepta eſt definitio illa, quam tradidit Boetius Severinus in lib. de duabus naturis, & una perſona Chriſti, nempe, quod ſit *rationalis naturæ individua ſubſtantia*, a qua definitione nec diſcrepavit Scotus, ſed ad tollendam quamcumque æquivocationem, & ne etiam anima rationalis, quæ eſt natura, & ſubſtantia individua, diceretur perſona, loco particulæ *individua* dixit cum Ric. de S. Vict. lib. 4. de Trinit. cap. 23. *eſſe rationalis naturæ incommunicabilem ſubſtantiam, ſeu exiſtentiam*. Pro hac re nonnulla dixi, in metaphyſica quæſt. 6. & certe magis determinate perſona explicatur per incommunicabilitatem, quam per individuationem, certum enim eſt, per humanitatem aſſumptam à Verbo divino fuiſſe rationalem, & individuam ſubſtantiam, nec tamen fuiſſe perſonam, atque hoc pacto individuam ſubſtantiam intellexiſſe etiam S. Th. dubitare non poſſumus ex iis, quæ habet hic art. 1. ad 2. inquit enim. *Non dicimus, quod homo communis ſit hypoſtaſis, neque etiam manus, cum ſit pars, ſed per hoc, quod additur individuum, excluditur a perſonis ratio aſſumptibilis*, quid eſt autem eſſe aſſumptibile, quam eſſe communicabile.

2. Hanc definitionem reprobare tantummodo auſus eſt quidam Laurentius Valla, contendens, perſonam eſſe qualitatem, qua unus ab alio differt tum in animo, tum in corpore, proinde dixit tres divinas perſonas eſſe tres qualitates, quod ſi etiam ſubſtantiam ſignificaret, tum non ſolum Deus, & homines poſſunt dici perſonæ, ſed etiam bruta; ejus autem fundamentum jocularium ac inane eſt, quia hoc nomen perſona derivatum eſt a perſonando, quod ſignificat aliquid accidentarium aſſumere, ſeu larvam induere ad aliquid repræſentandum; & ſic dicimus, hic agit perſonam ducis, ille militis &c.

3. Grammaticus iſte, factus ſutor ultra crepidam, de Theologicis rebus auſus eſt diſſerere, & grammaticæ etiam ignarus apparuit. Nonne Tullius perſonam per ſubſtantiam uſurpavit? in Lucullo ita ſcribit; *At vereor, ne talium perſonarum cum amplificare velim, imminuam etiam gloriam*, & infra. *Reſtat, ut iis reſpondeam, qui ſermonibus ejuſmodi nolint perſonas tam graves illigari*. Hunc etiam ſilere jubent Juriſconſulti, qui ipſam hominis ſubſtantiam perſonam appellare ſolent. *Omne jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones*. Sic loquitur Juſtin. lib. 1. inſtit. tit. 2. lib. 4.

tit. 6. Sed ſi auſus eſt Boetium reprehendere, Paulum etiam accuſet, cum dixerit, Deum non eſſe acceptatorem perſonarum.

4. Utrum autem perſona idem ſit quod *hypoſtaſis*, & *hypoſtaſis* quod *Uſia*, magna olim contentio excitata fuit; atque in hac re paululum immorari non erit incongruum.

Olim, ut ex vocis origine atque ethimologia habetur, nomen hypoſtaſis ſignificabat ſubſtantiam, ideſt ſubeſse, ſeu ſubſtare, quare fæces, ſeu craſsum illud, quod in vaſis liquore plenis reperitur, ſubſtantia vocabatur, juxta illud pſ. 68. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia* græce legitur hypoſtaſis, ideo etiam ſumitur pro fundamento, unde Paulus ad Hebr. 1. *Fides*, inquit, *eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*. in græco textu habetur *hypoſtaſis*. Quamobrem cum ſubſtantiæ nomine intelligatur, tam eſsentia, quam perſona, Arianorum tempore valde fuit Eccleſia enunciata pro hoc nomine, quia ſi una hypoſtaſis admittebatur, tres perſonæ negarentur, oportebat, & nunc hæreſis Sabelliana; ſi tres hypoſtaſes affirmabantur, tres ſubſtantiæ, ſeu naturæ adſtruebantur; & ecce hæreſis Ariana.

5. Hinc ortum habuit non leve diſſidium inter latinos, ac græcos, Patres. Illi etenim tres hypoſtaſes nolebant admittere, quia ſic tres uſias, ſeu ſubſtantias approbare videbantur, iſti vero tres hypoſtaſes defendebant, quia, ſi ſecus factum eſset, verebantur, tres negare perſonas; atque ideo per illos idem erat hypoſtaſis, quod uſia, ſed non quod perſona; per alios vero idem erat quod perſona, ſed non quod uſia. Adeo lis, contentioque efferbuit, ut in Antiochena Eccleſia ſchiſma peringens commotum fuerit, ut narrat Baſilius epiſt. 349. Alii ſequebantur Euſtathium ejuſdem Epiſcopum, qui ob Catholicæ fidei conſtantiam, & Nicæni dogmatis profeſſionem in exilium ejectus fuerat; Alii Eudoxium Arianum, qui ſubmoto Macedonio, Antiochenum reliquerat, & vacuam Conſtantinopolitanam ſedem occupaverat; Alii Meletium, qui Eudoxio ſucceſserat, quique ob deſertum Arianæ ſectæ patrocinium a Conſtantio fuit relegatus, ejus loco Euzojo, qui cum Ario condemnatus fuerat, conſecrato. Interim mortuo Conſtantio Juliani edicto omnium exulum Epiſcoporum reditus conceſsus fuit; & Euſebius Vercellenſis, nec non Lucifer Calaritanus, qui in propinquis Ægypto locis commorabantur, varias in partes abierunt, ille quidem Alexandriam, ad Athanaſium, Lucifer vero Antiochiam, ubi conciliandarum ſtudio partium Paulinum, virum ſanctum, & hoc gradu digniſſimum, creavit Epiſcopum; Spes tamen eum fefellit, nam Meletio Antiochiam reverſo, pro uno in catholicorum parte duo fuerunt Epiſcopi, & annumerato, Euzojo Ariano, tres. Alia plura narrant Sozom. lib. 4. cap. 28. Socr. lib. 2. cap. 44. Ruf. lib. 1. cap. 27. aliiſque ſequentibus, quæ cum ad rem noſtram non faciant, conſulto prætermittuntur.

6. Res tota ad Concilium Alexandrinum delata eſt, atque ut narrat Niceph. lib. 10. cap. 15. nec non Socrat. lib. 3. cap. 7. ſtatutum in eo fuit, ut nomine *hypoſtaſis* quiſque uteretur, ſive ad ſignificandam perſonam, ſive ad *Uſiam* ideſt naturam, quo inde factum eſt, ut in Concilio Sirmienſe, & Ariminenſi definiretur, ut hiſce nominibus *Uſia*, & *Hypoſtaſis* nemo uteretur, ut liberius nomen *Homouſion* reiicerent, ut hæreſim Arianam, quam illi Patres profitebantur, confirmarent, de qua re alibi.

7. Ad noſtra redeundo, quæſtionem illam in Alexandrina Synodo excitatam compoſuit Athanaſius, de quo Nazianzenus orat. 21. de ejuſdem laudibus ita ſcribit. *Utraque parte leniter, & humane averſita, verborumque ſen-*

tentia

tentia diligenter, & accurate perpenſa, poſtea quam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam quidquam inter ſe diſſidentes, ita negotium, ut nomina ipſis concedens rebus eos adſtringeret. atque ideo nomen hoc *hypoſtaſis* tunc temporis tam pro ſignificanda *perſona*, quam *Uſia* poterat uſurpari.

8. Cæterum, nomen hoc *hypoſtaſis* valde latinis Patribus ſuſpectum fuiſse; eo quia per illud ſignificaretur ſubſtantia, & natura divina, ideſt *Uſia*, atque ab illo propterea abſtinendum fore, teſtes habemus plures. Inter hos Sancti Hieronymi celeberrima eſt ſententia, immo celeberrimæ ſententiæ, quas omnes afferam, & ſi tædio lectoris ſit, mihi ignoſcat exoro; In epiſt. ad Damaſ. 57. ſic ſcribit. *Taceant. tres hypoſtaſes, ſi placet, & una teneatur, nomen hoc non eſt bonæ ſuſpicionis .... Mihi credite venenum ſub melle latet*, concludit tandem; *Tota ſæcularium ſchola nil aliud hypoſtaſin, quam Uſiam, ſignificare novit; & quis ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit?* Hoc quidem merito dicebat, non ſolum propter ea, quæ a nobis dicta ſunt num.4.ſed etiam ex aliis momentis, quorum primum eſt, quia, ex eo, id quod legitur ad Hebr. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*, ideſt hypoſtaſis, ut habet græca lectio, inferebatur, Filium non eſse ejuſdem ſubſtantiæ, ſed figuram & ſimilitudinem; ſecundum eſt, quia, ut notat Budæus in com. linguæ græcæ, hyparxis, quod Uſiam ſignificat, ab hypoſtaſi parum difert, immo Athanaſ. in epiſt. ad Epiſcop. Affricæ ait, *Hyparxis, & Uſia idem ſignificat. quod hypoſtaſis*; quod etiam confirmat S. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 8. Hac de re ipſe Hieronymus eadem epiſt. fatetur, ſe ab Antiochenſibus, & Syris exagitatum fuiſse, quia tres hypoſtaſes profiteri nollet, & poſtquam dixerat, ſe nulli adhærere velle per illa verba; *Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum.* (erant iſti Epiſcopi) tandem, ut quæſtionibus petitionibuſque finem imponeret, reſpondet. *Nunc igitur poſt Nicænam fidem, poſt Alexandrinum, juncto pariter, occidente, decretum trium hypoſtaſen ab Arianorum Præſule, & Campſenſibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur; Qui, quæſo, iſta Apoſtoli prodidere? Quis novus magiſter gentium Paulus hæc docuit? Interogamus quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi; Tres perſonas ſubſiſtentes ajunt. Reſpondemus nos ita credere. Non ſufficit ſenſus; ipſum nomen efflagitant, quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet. Clamamus, ſi quis tres hypoſtaſes, aut tria ethypoſtata, hoc eſt tres ſubſiſtentes perſonas non confitetur, anathema ſit; Si quis autem hypoſtaſim unam intelligens, non in tribus perſonis uſiam hypoſtaſim dicit, alienus a Chriſto eſt.* Vides ergo, Hieronymum, linguarum recte peritiſſimum, dubium fuiſse, an per hypoſtaſis nomen ſignificaretur *Uſia* ſeu natura, & ſubſtantia, an vero perſona.

9. Quid tamen dicendum ſit, prorſus ignoro, & perperam ſenſiſse Hieronymum, Auguſtinum, immo & Concilium Sardicenſe in epiſt. ad Epiſc. dicere non audeo; me tamen ad dicendum impellerent alii, ut Gregor. Nyſ. in lib. de differentia Uſiæ, & Hypoſtaſis, Baſil. epiſt. 43. Damaſc. lib. 1. de Fide cap. 3. Cyril. Alexand. Epiſc. 10. Athanaſ. lib. de definit. qui & in ſuo Symbolo dicit, *Alia eſt hypoſtaſis Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti* qui omnes hypoſtaſim pro perſona, ſeu ſubſiſtentia ſumi, aperte teſtantur. His etiam accedunt concilia plurima Epheſinum, Alexandrinum, Calcedon. Conſtantinopol. Sexta Synodus gener. act. 4. in epiſt. Agath. & ac. 11. in epiſt. Sopron.

10. In hoc diſſidio caute, ſapienterque actum eſt a latinis, qui videntes, interdum ſubſtantiam uſurpari pro *Uſia* & natura, interdum pro *hypoſtaſi* evita-

ri quamlibet æquivocationem, errandique periculum, maluerunt pro hypoſtaſi ſubſiſtentiam vocare, quamquam modo apud Theologos ita uſus hypoſtaſis invaluerit, ut non pro natura, ſed pro perſonali proprietate uſurpatur, ideo etiam unio, in myſterio incarnationis facta, appellatur hypoſtatica, quia facta in verbi perſona. Atque hæc ſatis pro hiſce nominibus, & concludendum ſupereſt, perſonam idem eſse, quod hypoſtaſis, hypoſtaſim vero idem non eſse cum Uſia ſeu natura.

11. Certum autem eſt, hoc perſonæ nomen in divinis admittendum eſſe, cum Symbolo Athanaſii legatur, *Alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*, & in Concil. Tolet. XI. *Cum relative tres perſonæ dicantur*, & idem in aliis Conciliis; Si quid vero obſtat, illud præſertim eſt, quod nomen hoc non reperitur in ſcripturis, vel quia juxta Boetium videtur deſumptum à perſonis, quæ in commædiis repræſentantur, vel quia cum perſona ſubſtantia ſit, accidentibus ſubſtat, in Deo autem nullum eſt accidens; at non primum, quia licet nomen hoc in ſcripturis non inveniatur, invenitur tamen ratio ſignificata per nomen, cum Deus maxime per ſe ſit, atque perfectiſſime intelligat; non ſecundum, nam quamvis non conveniat Deo ſecundum id, a quo nomen impoſitum eſt, convenit tamen ſecundum id, ad quod ſignificandum inſtitutum eſt, quia in tragediis, & commædiis repræſentantur viri in dignitate excellentes, Deus autem eſt ſumme & infinite excellens; non tertium, quia Deus eſt ſubſtantia perfectiſſimo modo, immo ſuperſubſtantia, nec ita dicitur, quia ſubſtat, ſed quia ſubſiſtit.

12. Immo fuerunt aliqui, qui inter hypoſtaſim, & perſonam, hoc attulerunt diſcrimen, quod, etſi utraque ſubſtantia ſit, attamen illa ſit ſubſtantia individua, ſoliſque individuis proprietatibus affecta, ſed veluti iners, & nihil operans, perſona vero ſit eadem ſubſtantia, ſed ut eſt actuoſa, & aliquid efficiens; Unde Damaſcenus in dialect. cap. 43. & Theorianus in legatione ad Armenos, poſtquam docuit *hypoſtaſim* eſſe ſubſtantiam, ſive rem ſubſiſtentem, quæ certorum accidentium congerie afficitur, *proſopon* ita definit, ut ſit id, *quod per operationes, & proprie tales ſuas manifeſtum, & diſtinctum ab aliis ejuſdem naturæ conſortibus indicium ſui præbet*; atque ideo omnis res ſubſiſtens, & completa hypoſtaſis eſt, non tamen omnis perſona eſt; ſed perſona eſt perfectior, quare in Deo ſummopere admittenda.

ARTICULUS II.

Utrum in divinis ſit admittenda ſubſiſtentia abſoluta.

13. Ut verum fateor, quæſtionem hanc de puro nomine exiſtimarem, & ſi a me quæreres, utrum ſubſtentia abſoluta datur in divinis etiam ratione diſtincta a natura divina, negarem; Quia tamen aliqui nimis ſubſiſtentiæ nomen coarctare, itant nihil ſubſiſtens ſit, quod non ſit perſona, & aliquid incommunicabile, ſic de divinis loquendo, ſicut reperimus in humanis, quod eſt falſum omnino, ideo propoſitam difficultatem reſolvendam inſtituo.

14. Falſum inquam eſt omnino, omne ſubſiſtens eſse perſonam, & aliquid incommunicabile, nam licet hoc in creatis contingat præſertim in Scotiſtarum ſententia, quam in philoſophicis meis diſputationibus propugno, attamen directo modo in divinis habendus eſt ſermo; etiam in creatis omnis ſubſiſtentia eſt abſoluta, ut experientia fatemur & tamen in divinis datur ſubſiſtentia relativa; in illis omnis ſubſiſtentia eſt diſtincta a natura, & tamen in Deo identice ſe habet; in divinis natura eſt infinita, in

in humanis natura eſt finita; Itaque non æquali modo ratiocinandum eſt; neque ex quo, quidquid apud nos ſubſiſtit, perſona ſit vel ſuppoſitum, id concludendum in divinis.

15. Quanquam ſi vellem ſuſtinere, etiam per ſubſiſtentiam abſolutam conſtitui perſonam, nihil dicerem quod reprobari poſſet, niſi reprobarentur illi, quos impugnant Henric. in ſum. art. 56. quæſt. 6. & Argent. in 1. diſ. 26. q. 1. art. 4. immo niſi reprobetur Cajetan. 3. part. quæſt. 3. art. 2. ubi ait, ſubſiſtens in natura divina eſſe perſonam incomplete, & art. 3. ubi inquit, quod ſi natura creata aſſumeretur ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia abſoluta naturæ divinæ, futuram per ſe primo aſſumptam ad perſonam incomplete. Hanc ego doctrinam non approbo, attamen, cum tradita ſit ab aliis non damnatis doctoribus, facile non condemno.

16. Quantum vero ſpectat ad incommunicabilitatem, propter quam, cum natura divina communicetur pluribus perſonis, videtur non eſſe aliqua ſubſtantia abſoluta ſubſiſtens, dicere poſſem, etiam per hujuſmodi abſolutam ſubſiſtentiam incommunicabilem reddi, non quidem per reſpectum ad ſuppoſitum intraneum, & proprium, attamen per reſpectum ad ſuppoſitum alienum, & extraneum, cui nullo pacto communicari poteſt, ideo habet incommunicabilitatem, quod ad ſubſiſtentiam requiritur, quamvis, ut dicebam, hujuſmodi incommunicabilitas indiſtincta ſit a natura, de qua diſtinctione, & identitate nihil apud Scotum invenies, cujus ſententiam in hac re defendi non poſſe, arbitrantur aliqui.

17. Nunc devenio ad punctum propoſitum, in quo negativam partem ſuſtinent Alenſ. 3. p. q. 2. Henric. quodlib. 5. q. 8. Rich. in 1. diſ. 26. art. 1. q. 1., Vaſq. 1. p. diſp. 125. cap. 4. Valentia, Arriaga, De Quiros, Sylvius &c. affirmativam vero nobilior Theologorum pars cum S. Th. & Scoto, & præter Thomiſt. & Scotiſ. Suarez, Marchin. Averſa, Molina &c. &c. Cum quibus.

Dicendum; admittendam aſſe in Divinis ſubſiſtentiam communem, & abſolutam; an vero hæc ſubſiſtentia communis, & abſoluta ſit eadem natura divina etiam ſecundum ſe conſiderata, non definio, atque ex iis, quæ afferemus, colligi poterit.

18. Ad hanc aſſertionem probandam afferre poſſem epiſt. Agathonis Papæ, quæ legitur in 6. Synodo gener. act. 4. ubi ſunt hæc verba, *Confitemur unum Deum eſſe, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum, ſeu perſonarum unã ſubſiſtentiam.* Sed contrarii doctores opponunt mendum irrepiſſe, nec legi debere trium ſubſiſtentiarum unam ſubſiſtentiam, ſed unam *ſubſtantiam*. Quo momento hoc dicatur, non video; an quia in pluribus latinis exemplaribus ſic legitur? hoc affirmat Vaſquez, ſed etiam in aliis pluribus legitur, ſicut nos protulimus. omittere tamen non poſſum S. Hilarium, S. Hieronymum, S. Auguſtinum; Primus lib. 7. de Trinit. circa finem inquit de divina eſſentia, *ita eſſe, ac ſubſiſtere, ut in ſubſiſtente inſit, ita vero ineſſe, ut & ipſa ſubſiſtat*. Secundus epiſt. 57. ad Damaſ. ait. *Una eſt Dei, ac ſola natura, quæ vere eſt, id enim quod ſubſiſtit, non aliunde habet, ſed ſuum eſt*. Tertius lib. 7. de Trinit. cap. 4. poſt plura ita concludit; *Omnis res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus*? Hæc tamen omnia nobis non ſuffragantur, cnm non placeat afferre, ac refellere, quæ pro iis explicandis producuntur.

19. Alia quidem nobis argumenta non deſunt, & Primo ſi ad dicta S. Thomæ vellemus confugere, plura occurrunt, in quibus hanc ſubſiſtentiam abſolutam affirmat. in 1. ſent. diſ. 21. q. 2. art. 1. in corp. ait, *Iſte terminus Deus prædicat. naturam divinam de tribus per-*

perſonis, quæ etiam in ſe habet eſſe ſubſiſtens, nulla perſonarum diſtinctione intellecta. in 3. diſ. 6. q. 2. art. 2. ad 2. dicit, *dicendum, quod aliud eſt de Deo, & de omnibus aliis rebus, quia in Deo ipſa eſſentia ſubſiſtens eſt, unde ſibi ſecundum ſe debetur eſſe, immo ipſa eſt ſuum eſſe ſubſiſtens*. 1. p. q. 40. art. 2. ad 2. inquit; *Perſonæ non diſtinguuntur in eſſe, in quo ſubſiſtunt, neque in aliquo abſoluto*; Supponit ergo eſſe, quod ſubſiſtat, in quo non diſtinguuntur perſonæ, ſed hoc eſt natura divina, ergo natura divina ſubſiſtit, ſed per ſubſiſtentiam abſolutam, ergo.

20. Scotus vero apertiſſimis verbis idem docet in 3. diſ. 1. q. 2. §. *ad Quæſtionem*: ubi ſtatuens, poſſe aliquam naturam terminari per divinam eſſentiam immediate, & aſſumi a tribus perſonis mediante una natura in ipſis exiſtente, inquit; *Quod autem ipſa eſſentia per ſe exiſtens poſſet eſſe terminus primus illius unionis videtur, quia ipſa nullum habet eſſe a perſona, ſed eſt prius naturaliter, quam ſit in perſona, & dat eſſe perſonæ, eſt enim natura de ſe hæc, & per ſe ſubſiſtens*; addit deinde, *licet non incommunicabiliter, videtur autem, quod incommunicabilitas non eſt neceſſario ratio propria terminandi iſtam dependentiam, ſed ſubſiſtentia ſingularis*. Affertur etiam Doctor ſubtilis quodl. 4. §. *Ad argumentum autem pro iſta via*.

21. Sed ita rationem Theologicam proponamus; Quam ſic promoveo. Natura divina, ut præciſa a relationibus, ſubſiſtens eſt, ſed non per ſubſiſtentias relativas, ergo per ſubſiſtentiam abſolutam; prob. maj. natura divina, ut præciſa a relationibus, eſt in ſe completa, omnino perfecta, & intenſive infinita, ſed ita præciſa a relationibus, eſt ſubſiſtens ergo; atque ita quidem completa eſt & infinita, ut, non intellectis relationibus, non ſolum intelligatur deitas in abſtracto, ſed intelligatur Deus unus in concreto, aliter Deus unus talis conſtitueretur per relationes, atqui Deus unus in concreto, cum ſit ſubſtantia completa & infinita, ſine ſubſiſtentia eſſe non poteſt, ergo; & quemadmodum per hoc nomen *homo* intelligitur aliquid ſubſiſtens in natura humana, ita per hoc nomen *Deus* intelligi debet aliquid ſubſiſtens in natura divina.

22. Argumentum hoc ſatis efficax exiſtimo; & perperam reſpondent, vel qui dicunt, hunc Deum ſignificare hoc individuum deitatis, non vero quid ſubſiſtens in natura divina, vel ſupponere indeterminate pro aliqua Trinitatis perſona, etenim, quantum ad primum, hoc ipſum deitatis individuum, quod tamen dici non poteſt, cum Deus, nec ſit in genere, nec in ſpecie, nec in individuo, niſi latiſſime hæc conſiderentur, hoc inquam ipſum deitatis individuum ſignificat aliquid in divinitate ſubſiſtens, ſicut hoc individuum humanitatis ſignificat aliquid ſubſiſtens in humanitate; Quantum vero ad ſecundum. Quid eſt hæc indeterminata perſona? Eſt ne aliquid abſolutum, vel alioquid relativum; ſi aliquid abſolutum, ergo datur alia perſona præter tres, quod non approbavi num. 15. immo ab aliquibus cenſetur hæreticum, ut ipſe cenſeo, & ſi velis, verum eſſe quod dicis, jam affirmas ſubſiſtentiam abſolutam etiam in eo ſenſu, quo a me reperitur; Si aliquid relativum, falſum aſſeris, quia præciſa quacumque relatione, adhuc concipitur hic Deus, & unus Deus, ut dixi, & quidem ut quid commune toti Trinitati, quod de relativo dici non poteſt.

23. Plures aliæ rationes proponi poſſent, quas tamen minus convincentes exiſtimo, neque hoc demonſtrare placet, ne videar aliorum doctrinæ cenſor; hanc brevem tantummodo ſubiiciam; Deus omnino independenter a relationibus eſt principium operatiuum ad extra, aliter hujuſmodi operationes non con-

venirent toti Trinitati, aut convenire poſſent uni perſonæ, quin convenirent alteri, ſed operationes ſunt ſubſiſtentium, ergo Deus independenter a relationibus eſt ſubſiſtens, ſed ſic admitti debet ſubſiſtentia abſoluta, ergo. Totum autem, quod dicimus, & quod dici poſſet, magis declarabitur reiiciendo oppoſita argumenta.

24. Op. 1. In Conciliis, & Patribus non reperitur hoc, quod eſt naturam divinam habere aliquam ſubſiſtentiam, quæ ſit abſoluta, immo omnino oppoſitum; eſt enim ſubſiſtentia latine idem, quod hypoſtaſis græce, poſtquam controverſia illa de voce *hypoſtaſis* declarata, ac definita fuit; atqui apud Patres, & Concilia tres tantum hypoſtaſes reperiuntur, ergo etiam tres tantum ſubſiſtentiæ, quod verum non eſſet, ſi admitteretur alia ſubſiſtentia abſoluta, & communis. Quo pacto etiam concedi poteſt ſubſiſtentia, niſi admittatur ſuppoſitum, & perſona? Si ergo præter tres ſubſiſtentias conceditur alia abſoluta, dicatur, neceſſe eſt, præter tres perſonas eſſe quartam perſonam, quæ tribus perſonis communis ſit. Valet hoc magis contra Scotiſtas, non aliam notionem, conceptumque ſubſiſtentiæ concedentes præter incommunicabilitatem, atqui natura divina, non eſt incommunicabilis abſolute, ergo neque eſt ſubſiſtens abſolute.

25. Reſp., a nobis pro ſententia noſtra adductos eſſe Patres, adducta Concilia, neque ex iſtis oppoſitum probari poteſt; Quod olim a conciliis, & Patribus nomen hypoſtaſis ſumeretur juxta dicta pro perſona, & quod hypoſtaſis nomine intelligeretur ſubſiſtentia, verum eſt, ſi loquaris de ſubſiſtentia incommunicabili, & relativa, falſum ſi loquaris de ſubſiſtentia abſoluta & communi, quare tibi probandum ſupereſt, hanc ſubſiſtentiam abſolutam & communem dari, nec unquam probabis, niſi ex alio capite argumentum ſumas. Qua in re adnotandum eſt cum doctiſſimo P. Suarez in T. 1. diſp. 11. ſec. 3., hoc ſubſiſtentiæ nomen ſumi poſſe vel ut concretum, vel ut abſtractum; in priori ſenſu ſignificat id, quod per ſe exiſtit, in poſteriori formam illam, ſeu illum formalem modum, (de quo hic non diſputo), quo res habet, ut per ſe exiſtat; Iterum in priori ſenſu ſignificare poteſt vel id, quod per ſe ſimpliciter exiſtit, vel ſingulariter id, quod incommunicabiliter, & quaſi ultimate exiſtit; tantum in hoc poſteriori modo ſumunt Patres & Concilia pro eodem, ſubſiſtentiam, hypoſtaſim, ac perſonam, & ita tranſmitto, dari in divinis tantum tres hypoſtaſes, ac ſubſiſtentias; Hoc, quo nos loquimur, modo loquutus eſt etiam Severinus Boetius, qui in lib. de duabus naturis ennumerat tria græca vocabula, ſcilicet, *Vſiam*, *Vſioſim*, *Hypoſtaſim*, *Perſonam*, atque iſtis aſſerit correſpondere tria nomina latina, videlicet, *Eſſentiam*, *Subſiſtentiam*, *Hypoſtaſim*, *Perſonam*. Non igitur ſemper ſubſiſtentia eſt hypoſtaſis, & perſona, ergo quamvis admittatur ſubſiſtentia præter hypoſtaſim & Perſonam, non tamen admittuntur tres hypoſtaſes, & perſonæ in eo ſenſu, quo nobis opponitur; & certe Bartolomæus Miranda, qui concilia ſummo ſtudio perſcrutatus eſt, noſtræ adhæſit ſententiæ in ſua ſumma Concil. in annotat. ad epiſ. Sophronii, quæ habetur in 6. Synodo act. 11. ex qua epiſt. hic nobis opponitur, quod *Sabelliana iſta ſit pravitas, in unam ſubſiſtentiam tres confundere ſubſiſtentias*, quod certe a nobis non fit, cum admittamus ſubſiſtentiam abſolutam, & tres relativas, quidquid poſtea iſtæ ſubſiſtentiæ relativæ ſint, de quo infra. Ex his habes, quomodò admittatur una ſubſiſtentia præter tres, quin præter tres perſonas admittamus aliam perſonam, quæ ſit quarta, de qua re diximus num. 15.

26. Quod poſtremo loco addebatur

tur contra Scotiſtas, jam rejectum fuit, cum aliquo modo etiam ſubſiſtentiæ abſolutæ ſuam incommunicabilitatem concedamus, quamvis enim ſit communis toti Trinitati, & ſuppoſitis intraneis, & propriis, communicari tamen non poteſt ſuppoſitis extraneis atque alienis; Secundo attendendum eſt, quomodo explicent Scotiſtæ hanc incommunicabilitatem, profecto non alio modo, niſi per independentiam ab alio ſuppoſito, atqui natura divina non dependet ab alio ſuppoſito, immo, ſi ita loqui licet, potius ſuppoſita dependent a natura divina, a qua habent eſſe abſolutum, ergo in Scotiſtarum ſenſu etiam ſubſiſtentia abſoluta eſt incommunicabilis, quin tamen conſtituat ſuppoſitum novum, quia identice eſt in tribus ſuppoſitis. Tandem, Scotiſtæ ſtatuentes ſubſiſtentiam in incommunicabilitate loquuti ſunt de ſubſiſtentia, prout de facto in creatis contingit; nec poſſumus autem ex iſtis argumentum ad divina protrahere, nam licet in creatis quælibet ſubſiſtentia abſoluta ſit, attamen in divinis eſt etiam relativa, ergo quamvis quælibet ſubſiſtentia in creatis incommunicabilis ſit, non tamen quælibet in divinis; in creatis quælibet diſtinguitur, in divinis quælibet identificatur, nihil ergo concluditur.

27. Op. 2. Quod eſt in alio, tanquam in ſuppoſito, nequaquam ſubſiſtens eſt, ideo humanitas Chriſti caruit ſubſiſtentia propria, quia licet non eſſet in alio, tanquam in ſubiecto, erat tamen in alio tanquam ſuppoſito, atqui divina natura eſt in divinis ſuppoſitis, ſeu perſonis, ut frequenter dicunt Patres, & Concilia, ergo in ſeipſa ſubſiſtens non eſt, nulla igitur ſubſiſtentia abſoluta. Præterea; Si divina eſsentia, ut præciſa a perſonis, includeret ſubſiſtentiam abſolutam, non poſset in abſtracto concipi; Quod enim ſubſiſtens eſt, concretum eſt, ſed natura divina concipi in abſtracto poteſt, ergo min. pat. quia concipi poteſt Deitas, quin concipiatur Deus.

28. Reſpondeo; quamvis, ut verum fatear, jam ſatis dictum eſset; argumentum verum eſse, ſi loquamur de eo, quod finitum eſt, & in alio ſuppoſito ſubſiſtit, falſum vero de eo, quod eſt infinitum, & eſsentialiter fæcundum, immo ex natura ſua exigit in pluribus ſuppoſitis eſse, & ex quo infinitum ſit, in ſe ipſo debet ſubſiſtere, quia debet eſse completum, & omnino independens; præſertim quod, cum hujuſmodi infinitum nullam habeat cum ſuppoſitis, ſeu perſonis oppetitionem, neque diſparatam debet illis eſse commune. Repete ulterius, & tamen ob tenuem aliquantum conſiderationem, repetamus, oportet, ſubſiſtens eſse non poſse in alio ſuppoſito, quando a ſuppoſito dependet, & aliquid a ſuppoſito accipit, in re noſtra nihil horum; nam, licet natura divina in ſuppoſitis ſit, attamen a ſuppoſitis eſſe non habet; immo ſuppoſita ab ipſius infinitate, ac eſſentiali fæcunditate habet; præterea dici poſſet; totum verum eſſe, ſi ſermo ſit de ſuppoſito, ſeu de ſubſiſtentia re diſtincta, non tantum ratione, vel formaliter ex natura rei, ut in noſtra quæſtione. Ad ultimum; admiſſo argumento nihil probatur; nam juxta expoſita in eodem, concipi poteſt deitas, quin concipiatur Deus, ſed etiam poteſt concipi Deus, quin concipitur Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus, ergo concipi poteſt concreatum ſubſtantiale, adeoque ſubſiſtens, quin concipiantur perſonæ; dari igitur debet ſubſiſtentia abſoluta; & hoc fuit fundamentum noſtrum n. 21. Tranſmitto tamen, concipi poſſe deitatem in abſtracto, quin concipiatur Deus, ſed numquid non ſubſiſtens? minime; ſed tantum evinci poſſet, hanc ſubſiſtentiam abſolutam aliquo modo a deitate diſtingui; concipitur Deitas ſine ſapientia, numquid ergo Deitas non ſapiens? Et tamen ita loquitur Auguſtinus de ſubſiſtentia

ſtentia deitatis, ſicut de ſapientia; Si ambigis, audias quid dicat laudato loco de Trin. *Hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtat, ſicut eſt hoc Deo eſſe, quod ſapere*. Atque in eam ſententiam deveniunt Patres a nobis adducti n. 18. Dixi, tranſmitto, nam concipiendo Deitatem, concipio rationem infinitam, & completam in linea Deitatis, concipio ergo Deum, & ſi non concipio ita deitatem nequaquam deitatem, ut concipi debet, concipio, e contrario contingit v. g. dum concipio humanitatem, ideo nihil mirum eſt, ſi non concipio hominem; Dixi, in linea deitatis ne mihi opponeres, etiam dum concipio deitatem, a me concipi ſapientiam, & reliqua attributa.

29. Opp. 3. Si natura divina præciſa a perſonalitatibus eſſet ſubſiſtens etiam præciſa a perſonalitatibus eſſet principium operationum, ſed hoc non eſt dicendum, ergo. Neque reſpondeas, ſic præciſam eſſe principium operationum adextra, ſeueſſentialium, non ad intra, ſeu notionalium. Contra enim; ſi natura divina, ſic præciſa, eſſet principium operationum eſſentialium, cum ſic præciſa concipi poſſit in priori ad perſonas, prius eſſe poſſet principium ad extra, quam ad intra, ſed hoc non, ergo.

30. Reſp. admittendo reſponſionem datam, ad impugnationem, loquendo per locum ab extrinſeco conc. loquendo abſolute, nego, non enim eſſet amplius Deus, cum careret natura fæcunda, & optima; Deus autem, cujus natura fæcunda, & optima eſſe debet, prius agere debet ad intra, quam ad extra, prius naturaliter, quam libere, ideo &c.

31. Opp. 4. Et ſimul inſtaurantur argumenta ſuperius expoſita, ac reiicta; Non poteſt intelligi, quo pacto admitti poſſit hæc ſubſiſtentia abſoluta, & non conſtituatur quarta perſona; prob. hæc natura ſic ſubſiſtens eſſet incommunicabilis cuicumque ſuppoſito creato, ergo haberet incommunicabilitatem, ergo. Secundo ſubſiſtentia abſoluta creata conſtituit perſonam, ergo etiam ſubſiſtentia abſoluta divina; 3. Si natura divina ita ſubſiſtens terminaret immediate naturam humanam, faceret perſonam, & illam redderet incommunicabilem, ergo etiam terminans naturam divinam.

32. Reſp. neg. ant. ad prob. diſ. ant. eſſet incommunicabilis ſuppoſito creato titulo ſuppoſiti creati, quod utpote terminatum nequit ulterius terminari, utpote creatum, nequit reddere incommunicabile, quod eſt increatum conc. ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, quæ communicabilis non ſit, neg. ant. & Conſ. Ad 2. conc. ant. quia eſt natura finita neg. conſ. quia eſt natura infinita, & eſſentialiter ad intra fæcunda. Ad 3. admitto ant. quod eſt verum propter finitatem naturæ, quæ fuiſſet a ſubſiſtentia divina abſoluta terminata, quæ ratio non probat de natura divina.

ARTICULUS. III.

Utrum in divinis admittendæ ſint tres ſubſiſtentiæ relativæ.

33. DOctores illi, qui negant ſubſiſtentiam abſolutam, proculdubio tres ſubſiſtentias relativas admittunt, ut dogma Catholicum trium perſonarum non deſtruatur. Illi vero, qui ſubſiſtentiam abſolutam, omnibus perſonis communem propugnant, in duas ſententias diviſi ſunt. Aliqui enim, quamvis affirment tres perſonas, ac tria ſuppoſita per relationes conſtituta, & diſtincta, negant tamen habere quod ſubſiſtant a relationibus, ſed ſolum ab eſſentia, ita ut duplex illa ratio, quæ invenitur in ſuppoſito; ideſt eſſe ſubſiſtens, & eſſe incommunicabile, una & prior ab eſſentia habetur, altera, & poſterior a relatione, atque ideo relationes nequaquam ſubſiſtentias vocandas eſſe, ſed ſolum incommunicabilita-

efficientes naturam divinam; Ita ex antiquis defendunt Durandus, Capreolus, Paludanus, & ut plures dicunt etiam Scot. cujus nos teſtimonia proferemus, ex recentioribus vero Marchinus de Trinit. quæſt. 29. diſp. 29. Aliqui vero, licet nobiſcum aſſerant ſubſiſtentiam abſolutam, attamen affirmant etiam vere tres ſubſiſtentias relativas, ita Cajetan., Bannes, Nazar., Joan. a S. Thom. Suarez, Molina, Chacheran. &c. Atque hanc ſententiam probabiliorem magiſque tutam exiſtimo, niſi fortaſſe hanc litem de nomine placeant appellare.

34. Antequam illam probem, operæ pretium eſt, mentem Scoti perpendere, cum in duas contrarias partes plerique velint illum deducere. Deducitur in partem ſententiæ Durandi, aliorumue, ex eo, quod tradit quo: 3. art. 3. §. *Reſpondeo*, ubi docet, relationem in divinis non eſſe ſubſtantiam, quia tantummodo habet incommunicabilitatis rationem; & quo: art. 1. §. *Contra iſtam rationem*, aſſerit (utar ejuſdem verbis,) quod eſſentia eſt ratio perſonæ eſſendi ſimpliciter, & cuilibet perſonæ etiam ratio eſſendi hæc, nil ultra requiritur ad rationem perſonæ, niſi incommunicabilitas, & quo: 5. art. 3. §. *Ad Primum iſtorum*, ait perſonalitas non addere, niſi incommunicabilitatem ipſi eſſentiæ; idem in 1. d. 5. q. 2. §. *Tertio principaliter*, & alibi.

35. Scotiſtæ tamen melioris notæ, ut Faber, Vulpus, Reda, Maſtrius &c. pro parte noſtra Doctorem ſubtilem ſtetiſſe defendunt; etenim quo: 5. art. 3. §. *Ad primum* habet hæc verba de relatione, *eſt ratio ſubſiſtendi, quia eſt ratio incommunicabiliter per ſe eſſendi*. In 1. diſ. 7. quæſt. unica §. *Ad argumenta igitur in oppoſitum*. ubi vocat relationes *ſubſiſtentes*, & concludit, *igitur tantam differentiam habent in quantum ſubſiſtentes, quantum habent in rationibus propriis, ſubſiſtentes autem ſunt perſonæ, igitur tantam differentiam habent perſonæ, quantum habent relationes*. Hoc unum certe ſufficeret, ut quod intendimus, diceremus ſed afferri etiam poteſt Doctor in 1. quæſt. adducta, & in 3. diſ. 1. quæſt. 1. ubi negat perſonalitatem divinam conſiſtere in aliquo negativo, ſicut conſiſtit perſonalitas creata.

36. Quamobrem hiſce inhærendo dicendum eſt; in primo loco negare relationibus eſſe ſubſtantiale, prout ſubſtantia ſpectat ad perfectionem intenſivam, non ad perfectionis extenſionem, modo a nobis alibi explicato; in ſecundo loco negat, relationes tribuere perſonæ eſſe ſimpliciter, quia prius habent eſſe ab eſſentia, non negat tamen omni modo, & dum dicit incommunicabilitatem, intellige ſubſiſtentiam incommunicabilem; Ita ad 3. locum; In ultimo docet oppoſitum.

37. Ita expoſita Scoti mente, quod tamen ad me non pertineret, dummodo ſuorum ſequar doctrinam, quibus ſuppono, notam eſſe proprii Præceptoris ſenſum, deveniendum eſt ad aſſertionis noſtræ momenta; atque nulla eſſe poteſt difficultas, ſi ſubſiſtentiam in concreto ſumamus, nimirum pro eo, quod ſubſiſtit, quia in hoc ſenſu idem ſignificat, quod ſignificat perſona; aſſertio igitur procedit de tribus ſubſiſtentiis relativis, pro ut ſubſiſtentia eſt ratio, propter quam aliquid ſubſiſtit.

38. Probatur autem primo ex modo, quo loquuntur Concilia, & Patres. In tertio Conſtantinopolitano, generali ſexto, ſub Agatone Papa, act. 11. leguntur hæc verba. *Trinitatem in unitate credimus, & in unitate Trinitatem glorificamus: Trinitatem quidem pro tribus ſubſiſtentiis, unitatem vero propter ſingularitatem deitatis. Seu igitur Sancta Trinitas numerabilibus perſonalibus facta eſt ſubſiſtentiis, ſive ſancta unitas extra omnem numerum eſt, & hæc quidem indiviſibilem habet diviſionem*

nem, & inconfuſam gerit conjunctionem; cum dividitur namque numerabilibus ſubſiſtentiis, & numeratur perſonalibus alternitatibus, identitate eſſentiæ atque naturæ conjungitur, & omnimodam partitionem non recipit. Idem in Concil. Conſtantinopolit. 5. conſult. 8. can. 5. in Lateran. ſub Martino Primo, in Vormatienſi can. 5. de Sacram. Bapt. Ex Patribus vero habemus S. Hieronymum, qui in epiſt. 17. Tomi novi (ſi tamen ejus eſt) dicit. *Ut confundentes Arium, unam, eamdemque dicimus Trinitatis eſſe ſubſtantiam, & unum in tribus perſonis fatemur Deum, ita impietatem Sabellii declinantes, tres perſonas expreſſas ſub proprietate diſtinguimus, hoc eſt tres ſubſiſtentias confitemur*. Auguſtinum, qui 7. de Trinit. cap. 8. inter multa, hæc habet de Patre; *Relative ergo ſubſiſtit, ſicut relative gignit*. Damaſcenum qui in lib. 1. Fidei cap. 6. ait. *Filius, quatenus ſeorſim ſubſiſtit, ab eo, a quo hoc habet, quod ſubſiſtiſſe diſtinguitur*.

39. Non me latet, contrariæ partis propugnatores dicere; In omnibus hiſce, aliiſque ſimilibus teſtimoniis ſermonem eſſe, non de ſubſiſtentia ſumpta in abſtracto, ſed in concreto; Verum autem eſt perſonas ſubſiſtere, non tamen propter relationes, quæ tantummodo dant incommunicabilitatem naturę, per quam ſubſiſtunt. Reſponſionem hanc prorſus improbare non poſſumus, & propter hanc noſtra concluſio non poteſt dici de fide, ſicut nec oppoſita damnari, vel tanquam erronea, vel tanquam hæretica; attamen Theologica noſtra probabilior eſt, præfatas authoritates ponderando; nam cum dicitur, *Trinitatem perſonalibus ſubſiſtentiis numerabilem eſſe; diviſam numerariis ſubſiſtentiis, & perſonalibus alteritatibus numeratam*, & adduntur alia hujuſmodi, plane de relationibus ſermonem eſſe debet connaturalius exiſtimari.

40. Attamen Theologica ratione id magis ſuadeamus, & dicta confirmamus, Tres ſunt in divinis perſonæ, ergo tres in divinis relativæ ſubſiſtentiæ. Prob. conſa; non poſſunt multiplicari perſonæ, quin multiplicentur ſubſiſtentiæ, ſeu poſitiva ratio ſubſiſtendi, quia nequit multiplicari concretum, quin multiplicetur id, quod tale concretum ſibi poſtulat in recto, tanquam ejus conſtitutivum, & ideo in perſonis non multiplicatur Deus, quia non multiplicatur deitas, atqui perſona concretum eſt, & in recto ſibi poſtulat relativas ſubſiſtentias, ergo ſi tres ſunt perſonæ, tres etiam ſubſiſtentiæ relativæ; Perſonam in recto ſibi poſtulare ſubſiſtentiam relativam, ſeu relationem quæ ſubſiſtens ſit, oſtenditur ex definitione perſonæ quæ eſt, rationalis naturæ incommunicabilis exiſtentia, ergo in recto non ſignificat ſolum incommunicabilitatem, ſed incommunicabilitatis exiſtentiam.

41. Ita argumentatur præ cæteris Chacheranus, ſed bona venia nihil evincit, cum fundamentum deſumptum ex definitione perſonæ ſtatim corruat, ſi diverſo modo grammaticali conſtructio fiat, & verbum illud *exiſtentia*, ſeu, ut alii dicunt, *ſubſtantia* non applicetur alteri verbo *incommunicabilis*, ſed *rationalis naturæ*, ita ut ſenſus ſit, perſona eſt exiſtentia, ſeu ſubſtantia rationalis naturæ incommunicabilis, & ſic incommunicabilis non ſit in recto, ſeu in caſu nominativo, ſed in obliquo, & in genitivo, quo dato, ſit perſona per hoc præciſe, quod naturæ rationali alias ex ſe ſubſiſtenti, ut nos dicimus, ſubſiſtentia abſoluta, tantum addatur incommunicabilitas.

42. Aliter igitur probandum ſupereſt, quo pacto, ex quo dentur tres perſonæ, admitti debeant ſubſiſtentiæ relativæ; ſic autem probo, occurrendo ſimul præcipuo contrariæ ſententiæ fundamento; Perſonæ non poſſunt in divinis conſtitui per ſubſiſtentiam abſolutam addita ſola incommunicabilitate, ergo

ergo debent conſtitui addita ſubſitentia incommunicabilitatis, ergo quot ſunt perſonæ tot ſunt ſubſiſtentiæ; prob.ant. Incommunicabilitas in divinis non poteſt immediate afficere ſubſiſtentiam abſolutam, ſed debet præſupponere poſitivum aliquod, in quo fundetur, ergo. Si vera eſt prima pars antecedentis, ſecunda negari non poteſt, ex qua ſequitur illatum; illam autem veram eſſe oſtendo, quia, cum inter negationem, & fundamentum debeat eſſe proportio, aliter quælibet negatio cuilibet rei convenire poſſet, ſi incommunicabilitas immediate poſſet afficere ſubſiſtentiam abſolutam, afficeret id, cum quo nullam proportionem habet, quid, enim magis diſtans ab incommunicabilitate, quam id, quod eſſentialiter, & neceſſario communicabile eſt? Hoc autem non contingit, ſi admittamus ſubſiſtentiam relativam, quia, cum hæc ex intrinſecis ſuis communis non ſit, eſſe poteſt, & debet incommunicabilitatis fundamentum, ideo &c.

43. Atque ex hoc conſurgit, quomodo ſi dicamus relationem divinam eſſe quid poſitivum, in quo fundatur incommunicabilitas, melius explicamus proceſſiones, quæ cum ſubſtantiales ſint, habere debent pro termino aliquid ſubſiſtens, habent autem pro termino filiationem in filio, ſpirationem paſſivam in Spiritu Sancto, ergo filiatio, & ſpiratio paſſiva vere ſunt rationes ſubſiſtendi.

44. Hiſce omnibus addo, in adverſariorum ſententia plures Theologicas veritates, communiter acceptas, difficile poſſe explicari; difficile, quo pacto tres ſint, habentes deitatem, id enim quod conſtituit habens naturam, ſubſiſtentia eſt; difficile, quomodo relationes ſint proprietates perſonales, nam ſi ſunt ſolæ incommunicabilitates, & negationes, valde improprie proprietates conſtitutivæ dicuntur; difficile, quomodo unio hypoſtatica facta ſit in aliquo proprio Filii, ut definivit Concilium Toletanum VI. cap. 1. & 11. ſicut a nobis dictum fuit tom. 3. ſic enim facta fuiſſet in ſubſiſtentia abſoluta, ut modificata filiatione, tanquam ſola incommunicabilitate, proinde in aliquo appropriato, non proprio, & omnia ea, quæ afferri poſſunt, ut ſervetur Concilium, & revera afferuntur a Doctoribus contrariis in hac re, a nobis ibi rejecta ſunt. Alia proferrem, niſi ex obiectionum ſolutione magis declararentur.

45. Opp. 1. Perſonalitas nihil aliud eſt, quam ſubſiſtentia incommunicabilis, ſed data ſubſiſtentia abſoluta, & addita incommunicabilitate, habetur ſubſiſtentia incommunicabilis, ergo habetur perſonalitas, igitur præciſe additis tribus incommunicabilitatibus habentur tres perſonalitates, adeoque tres perſonæ. Hoc amplius confirmatur, ſi nequeat intelligi, quo pacto ſimul cohærere poſſint ſubſiſtentia relativa, & abſoluta; Quid enim ſubſiſtentia eſt, niſi terminus naturæ, ut natura eſt, & quaſi ſuſtentans illam, faciens per ſe eſſe? Si autem natura divina ex propria ratione habet per ſe eſſe, ab alia ratione non poteſt recipere, ut per ſe ſit, ergo.

46. Reſp. juxta dicta num. 42. negando ſuppoſitum minoris, nam ſubſiſtentiæ abſolutæ non poteſt immediate addi incommunicabilitas, ſed debet concipi aliquod poſitiuum medians, quod non ſit omnibus perſonis commune, hoc autem poſitiuum eſſe nequit niſi relatio; Præterea, ſi de ſubſiſtentia abſoluta loquamur, hæc non redditur incommunicabilis, quia licet ſit affecta relatione, adhuc illa communicatur, & tantum relatio illa eſt, quæ nequaquam communicatur; ex quo novum argumentum pro ſententia noſtra conficitur.

Ad confirm. ego non intelligo, quo pacto ſubſiſtentia abſoluta divina, & incommunicabilitas ſimul cohæreant, immo per hanc incommunicabilitatem natura divina, ſeu ſubſiſtentia abſoluta com-

communicatur, tanquam per conditionem neceſſario requiſitam, ut dictum fuit in proprio loco; cohærent autem ſimul ſubſiſtentia abſoluta, & relativa, quia utraque diverſimode terminat, illa facit naturam per ſe eſſe eſſentialiter, iſta vero rationaliter, & perſonaliter, per illa conſtituitur Deus, ut Deus, per hanc conſtituitur Deus Pater, Deus Filius, Deus Spjritus Sanctus, in ratione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

47. Neque ita loqui debemus de natura divina, ſicut de natura creata, hæc enim, non habet per ſe eſſe, cum humanitas non ſit homo, ſed ſolum ſit homo prout eſt perſona, & ideo Verbum aſſumpſit humanitatem, non aſſumpſit hominem, quia aſſumpſit humanitatem, non ſubſiſtentiam humanitatis, contra natura divina eſt per ſe Deus, ut probavimus in ant. & intelligitur Deus, quin intelligatur perſona, ut ibidem diximus. Ex quibus omnibus refelluntur ea, quæ diuturno calamo afferuntur a ſententiæ contrariæ propugnatoribus, adductum argumentum, tanquam præcipuum, exiſtimantibus; & propter hoc ſubſiſtentia creata in ſola incommunicabilitate admitti poteſt, non ſic loquendo in Deo.

48. Op. 2. Admiſſis hiſce ſubſiſtentiis relativis præter abſolutam, daretur in divinis unum per accidens, ſed hoc non, ergo. Prob. maj. admiſſis hiſce ſubſiſtentiis relativis præter abſolutam, illæ huic advenirent, atque ideo advenirent naturæ jam completæ, & ſubſiſtenti, ſed ita daretur unum per accidens, cum hoc non aliter explicetur, niſi per hoc quod unum alteri jam completo addatur; unde illud tritum, *ex duobus entibus in actu non fit unum per ſe*, ergo.

49. Reſponſio patet ex ſuperiore doctrina; nego maj. ad prob. dico, quod ratione noſtra, vel ſolum formaliter ex natura rei ſubſiſtentiæ relativæ advenirent ſubſiſtentiæ abſolutæ ſecundum diverſum eſſe completæ, ideſt in linea eſſentiali, & illam formaliter complerent in linea perſonali, quod complementum ex dictis in ante: quæſtione non ſpectat ad intenſionem, ſed ad extenſionem; & quamvis ſubſiſtentia abſoluta ſit radix ſubſiſtentiæ relativæ, non eſt tamen ipſa formalis ratio perſonaliter ſubſiſtendi; & ideo non fieret unum per accidens propter identitatem, quæ ſervatur inter utramque ſubſiſtentiam, præſertim quia ſubſiſtentiæ relativæ eſto identicæ cum abſoluta, attamen conſtituerent tres perſonas diſtinctas realiter; Propter illam identitatem caute loquentium abuſus eſt cavendus, ut quamvis propter abſolutam admittamus tres ſubſiſtentias relativas, attamen non dicamus quatuor ſubſiſtentias, quia identitas numerum non auget; niſi fortaſſe id dicamus, ſicut dictum fuit de perfectionibus, quas præter eſſentiam conceſſimus relationibus; Atque hic miror, quo pacto Marchinus, aliique concedant, relationes habere diſtinctam perfectionem, & poſtea negent ipſis ſubſiſtentiam in propria linea.

50. Dicas; ergo ſaltem ſequeretur, ſubſiſtentiam abſolutam terminari per ſubſiſtentiam relativam, hoc autē dici nō poteſt, quia ſi ſubſiſtētia eſt, terminus eſt, ſi terminus, terminari ab alio non poteſt.

Sed contra; ſi ſermo ſit de termino, qui ſit prima ratio per ſe eſſendi, & ſe habeat proprie ad inſtar ſuſtentantis naturam, nego, ſubſiſtentiam abſolutam terminari per relativam, neque ad hanc ſpectat hoc modo terminare, ſed id tantum in creatis contingit, ſi autem ſermo ſit de termino, qui non ſit prima ratio eſſendi per ſe, ſed ſolum adinſtar cujuſdam modificationis, ſeu determinationis, ſeu eſſendi per ſe incommunicabiliter, dico, hoc modo ſubſiſtentiæ abſolutæ terminari non repugnare, quia hoc modo ipſa non eſt terminus; quæ reſponſio eſt juxta dicta num. ſuperiore. Neque dici poteſt, quod ita natura divina

vina eſſet in ſe, & eſſet in alio, nam jam dictum eſt, illam ſubſiſtentiam abſolutam communicari multis, illa tamen multa non ſunt aliud ab ipſa propter identitatem.

51. Op.3. Teſtimoniis S. Auguſtini; inquit præclariſſimus Doctor loco ſæpe laudato, ideſt 7. de Trinit. cap. 4. *Omnis res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus?* ubi nullam ſubſiſtentiam relativam agnoſcit; & cap. 6. expreſſius ait, *Perſona Patris non aliud, quam ipſe Pater eſt, ad ſe quippe dicitur perſona, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum, ſicut ad ſe dicitur Deus.* Item lib. 5. cap. 8. *Illud præcipue teneamus, quidquid ad ſe dicitur, præſtantiſſima illa & divina ſublimitas ad ſe dici, quod autem ad aliquid, non ſubſtantialiter, ad relative.* & infra. *Quidquid ad ſe dicitur, non pluraliter ſed ſingulariter, dici.* Cum igitur relationes non dicantur ad ſe, & dicantur pluraliter, nequaquam ſubſiſtentiam habent propriam, & diſtinctam. Auguſtino autem addi poſſunt alii Patres, quos attulimus art. præced. num. 18.

52. Reſp. a nobis pro ſententia noſtra adducta eſſe Concilia, & Patres, inter quos Auguſtinum; immo loquendo de Auguſtino, & Patribus, contendit Vaſquez, illos tantum admiſiſſe ſubſiſtentias relativas, nequaquam abſolutam; Nos vero utrumque aſſerimus, & breviter ab argumento propoſito expedire nos poſſemus, dicendo, in aliquibus locis Patres probaſſe ſubſiſtentiam abſolutam non excludendo relativas, in aliquibus probaſſe relativas, non excludendo abſolutam. Aliter tamen Auguſtini mentem expendere non prohibemur; ſciendum namque eſt, adeo vocem iſtam hypoſtaſis, ut etiam nos ſuo loco præmonvimus, ſuſpectam fuiſſe apud latinos, ut idem ſignificaret, quod eſſentia, eſſentiam vero idem, quod ſubſtantia, ideo nunquam Auguſtinus uti voluit nomine hypoſtaſis, timens, ne affirmando tres hypoſtaſes, tres etiam aſſereret eſſentias, ſeu ſubſtantias; Quid igitur mirum, ſi etiam ſubſiſtentias relativas, ideſt tres hypoſtaſes negaverit? Hæc, quæ olim fuit, noſtris temporibus non eſt controverſia; atque ideo ex Auguſtino nihil in oppoſitum afferri poteſt; immo ſi Auguſtino adhæreamus, ipſe 7. de Trinit. cap. 6. dicit, quod ſi ſcandalum non eſſet, poſſemus Deo concedere tres ſubſtantias, ſicut græci concedunt tres hypoſtaſes, ſicut a nobis ſuo loco dictum fuit; *Quidquid igitur ſubſiſtit ad ſe ſubſiſtit, & quidquid ad ſe dicitur, non pluraliter, ſed ſingulariter dicitur*, in ſenſu ita explicato; Quod ſi relationem a ratione ſubſtantiæ excludit, vel loquitur de relatione creata; vel de relatione prædicamentali, nequaquam tranſcendentali; de relatione, quæ poteſt eſſe, & abeſſe, non de illa, quæ neceſſario eſt, & identica eſt; quam ſubſtantiam eſſe, nemo negat, niſi qui terminos ignorat.

53. Quoniam vero ſub initio dictum eſt de mente Scoti, patiaris benigne lector, ut ſub fine etiam de mente S.Th. aliqud proferam, ne videar ſublimem adeo, & Angelicum Doctorem, tanquam opinionis contrariæ patronum relinquere; Gloriantur quidem pro ea ejuſdem dicta militare; ſed immerito. Utrum hoc vere dicamus, intueamur, & prius, qui nobis opponuntur textus, exponamus. P. p. quæſt. 40. art. 2. ad 2. ait. *Perſonæ divinæ non diſtinguuntur in eſſe, in quo ſubſiſtunt, neque in aliquo abſoluto, ſed ſolum ſecundum id; quod ad aliquod dicuntur. Unde ad earum diſtinctionem ſufficit relatio.* quæſt. 8. de potent. art. 3. ad 7. *Relatio in quantum relatio non habet, quod ſubſiſtat, vel ſubſiſtere faciat, diſtinguunt autem relationes, in quantum relationes ſunt.* quæſt. 9. art. 6. ad 3. *Nomen perſonæ non deſignat hoc ſolum, quod eſt ſubſiſtere, quod videtur ad eſſentiam pertinere, ſed etiam hoc, quod eſt diſtinctum*

eſſe

eſſe, & incommunicabile, quod eſt propter proprietates perſonales in divinis.

54. Contrarium tamen tradit aliis in locis. 1. p. quæſt. 40. artic. 3. dicit. *Proprietates perſonales non intelligi advenire hypoſtaſibus divinis, tanquam formas ſubiecto, ſed ferre ſecum ſuppoſita*, & ad 2. *Paternitate non ſolum Pater eſt Pater, ſed etiam eſt quis, ſive hypoſtaſis*. De potent. quæſt. 9. art. 4. aſſerit, *perſonam divinam ſignificare diſtinctum ſubſiſtens in natura divina*, & Rurſus 1. p. quæſt. 30. art. 1. docet; *Perſonam in divinis ſignificare relationem, ut rem ſubſiſtentem in natura divina, & ideo eſſe in Deo tres res ſubſiſtentes, ſicut ſunt tres perſonæ*, & q. 50. art. 3. in corp. *Relatio eſt, quæ diſtinguit hypoſtaſes, & conſtituit &c. relationes advenientes quaſi proprietates ad dignitatem pertinentes conſtituunt rationem perſonæ*. Qua propter, ne ſibi ipſi contradixiſſe dicatur tam egregius Doctor, dicendum eſt in prioribus locis, vel loquutum eſſe de ſubſiſtentia, quæ ſit prima ratio exiſtendi per ſe, vel de relatione, ſecundum conceptum magis expreſſum, quem prima facie exhibet, vel de relatione prædicamentali, non tranſcendentali, ideo &c.

ARTICULUS IV.

Quomodo ſe habeant relationes ad perſonas divinas.

55. IN hoc puncto plura a nobis breviter expendenda ſunt, quæ fuſius a Theologis Doctoribus pertractantur, ſic tamen, ut nec ſuperflua proferemus, nec omittemus neceſſaria.

Atque in primis inquiritur. Utrum perſonæ divinæ conſtituantur ex eſſentia, & proprietate perſonali.

Præpoſitivus, & Gregorius in 1. diſ. 26. & 27. ex eo, quod divinæ perſonæ ſint res omnino ſimplices, eas conſtitutionis incapaces exiſtimarunt, atque ideo quamlibet perſonam ex ſe totam eſſe, & ſecundum ſe totam ab alia diſtingui, non vero in ea aliquid commune, & aliquid proprium reperiri.

56. Hoc quam alienum ſit a veritate, conſtat primo ex leviſſimo, quo ducitur, momento. Quid enim prohibet, perſonam divinam eſſe rem omnino ſimplicem, & tamen ex aliquo communi, proprioque diſtingui? numquid divina ſimplicitas virtualem, aut formalem ex natura rei diſtinctionem excludet? an non dicimus Deum conſtitui omnipotentem omnipotentia, ſapientem ſapientia, & ſic de reliquis? dicamus igitur æquali ratione, etiam Deum conſtitui perſonam proprietate perſonali; Si rationem petis, clara eſt, etenim in qualibet divina perſona eſt aliquid, quod communicatur, aliquod, quod non communicatur, ſed hoc nequit eſſe, niſi proprietas perſonalis, ſicut illud, niſi eſſentia, ergo in qualibet perſona, & datur eſſentia, & perſonalis proprietas.

57. Sed ad hoc oſtendendum apertius argumentum deſumitur ex Conciliorum definitionibus; legitur enim in Concil. Lateran. cap. *Firmiter*. *Hæc Sancta Trinitas ſecundum eſſentiam una & ſecundum proprietates diſcreta*. In 6. Synodo generali approbante act. 11. epiſtolam Siphronii, *Hoc quidem* (ideſt identitas) *propter naturam, illud vero*, (nempe diſtinctio) *propter alterificas horum trium proprietates, proterque diſſimilitudinem proprietatum, quæ inconfuſe unamquamque figurant perſonam*. Idem ſtatutum eſt in Concil. Florent. ſeſſ. 19. frequenterque invenies apud Sanctos Patres, inter quos Baſilius epiſt. 43. ait; *Filius in proprietate ſua nihil cum Patre, & Spiritu Sancto habet commune*. Quid plura? Eccleſia in Trinitatis præfatione canit; *Ut in perſonis proprietas, in eſſentia unitas, & in majeſtate adoratur æqualitas*.

58. Sed

Digitized by Google

58. Sed in hucuſque dictis parum difficultatis apparet; Potius Doctores Theologi diviſi ſunt, in ſtatuendo, quodnam ſit formale conſtitutivum divinarum perſonarum; Aliqui enim dixerunt hujuſmodi conſtitutivum eſſe proprietates abſolutas; ita præſertim Joan. de Ripa in 1. ſent. diſ. 26. cujus opinionem refert Scot. in 1. diſ. 26. quæſt. *Unica* §. *Tertia opinio*, quamque probat deffendi poſſe: Aliqui; eſſe origines tam activas, quam paſſivas, ideſt generare, & generari, ſpirare, & ſpirari; Ita S. Bonavent. ibidem quæſt. 3. Aliqui vero, eſſe ipſas relationes, quæ ſunt perſonales propietates; Ita cum S. Th. quæſt. 40. art. 2. & 3. Thomiſtæ omnes, ac recentiores Theologi, quorum aliqui nimis rigide, ac injuſte ſe geſſerunt, notantes primam ſententiam, vel tanquam temerariam, ac erroneam, vel tanquam falſam, & parum in fide tutam, ut videri poteſt apud Scotum loco laudato, qui ſolvit omnia argumenta, quæ contra ipſam afferuntur; Ipſe tamen tenet ſententiam tertio loco adductam, tanquam magis communem, ut apparet ibidem §. *Tenendo opinionem ſecundam*.

59. Ideo interroganti, quodnam ſit formale conſtitutivum divinarum perſonarum.

Reſpondeo; eſſe relativas proprietates perſonales, immo ipſas relationes.

Momentum primum hujuſce reſponſionis deſumitur ab auctoritate. Concilium Toletan. XI. in confeſ. fidei habet; *In relatione perſonarum numerus cernitur, hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt*. Florent. in lit. unionis ſtatuit, *Patrem dediſſe omnia Filio, præter eſſe Patrem*; atque in eo Joan. Theol. ſeſ. 18. inquit, *Relatio apud omnes tam græcos, quam latinos perſonas multiplicat, & ſola multiplicat*. Ex Sanctis Patribus plures occurrunt. Athanaſ. lib. de veritate rectorum dogmatum ait. *Omnia ſunt unum in divinis præter eſſe Patrem in ſolo Patre, in Filio eſſe Filium, in Paraclito eſſe Spiritum Sanctum*, Auguſt. epiſt. 66. *Pater, & Filius diverſi ſunt inter ſe, non tamen diverſæ naturæ, quis enim non videat, ita vocabula non naturas in ſe ipſis demonſtrare, ſed alterius ad alterum ſignificare perſonas?* Cyril. Alexandr. lib. 2. Theſau. cap. 3. *Cum non compoſita, ſed ſimplex natura deitatis ſit, nunquam in plures perſonas diſtingueretur, niſi quædam inveniretur differentia, non ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum relationem.* Prætereo Hilar. lib. 12. de Trinit. Gregor. Nyſſen. orat. 1. contra Eunomi. Chryſoſt. hom. 5. de inconprehenſibili Dei natura; immo omnia præterire potuiſſem, cum ipſe ſervator Chriſtus Dominus Trinitatis edocens fidem, nominibus relarivis uſus ſit Math. ultimo, *Babtizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & ubicumque ſcriptura canonica de perſonis divinis ſermonem habet, eas ſemper relativis nominibus exprimat.

60. Ex omnibus iſtis invictum Theologicum argumentum promovetur. Id debet eſſe formale conſtitutivum perſonarum, per quod una perſona diſtinguitur ab alia perſona, ſicut illud eſt formale conſtitutivum hominis, per quod homo diſtinguitur ab omni eo, quod non eſt homo, atqui per proprietates, perſonales, & ſolas relationes diſtinguitur una perſona ab alia perſona, quia non poteſt diſtingui per id quod omnibus commune eſt, ſicut ſunt omnia abſoluta, ergo.

61. Dices; Totum hoc affirmari etiam poſſe de originibus, etenim per generationem activam Pater diſtinguitur a Filio, per ſpirationem activam Pater, & Filius diſtinguuntur a Spiritu Sancto, ergo perſonæ conſtituuntur per origines.

Reſp. Si aliud non obeſſet, argumentum concederem. Supereſt igitur ut oſtendamus, quid aliud obſtet. En

1. Quod

1. Quod ſupponit perſonam jam conſtitutam nequit eſſe formale conſtitutivum perſonæ, ut manifeſtum ex terminis eſt, ſed origo ſupponit perſonam jam conſtitutam, ergo. Prob. min. generatio cum non ſit ab eſſentia, neque a Deo ut Deo, aliter eſſet communis toti Trinitati, eſt a Patre, ergo jam ſupponit conſtitutam perſonam Patris, tanquam principium generationis. Idem dicendum de origine paſſiva, quæ debet ſupponere perſonam tanquam a ſuo principio profluentem. En 2. Perſona ſignificat aliquid ſubſiſtens in natura divina, ſed origo, cum ſubſiſtens non ſit, non poteſt conſtituere aliquid ſubſiſtens in natura divina, ergo nec poteſt formaliter conſtituere perſonam. Verum tamen eſt; origines dici poſſe conſtitutivas perſonarum initiative, & radicaliter, vel etiam effective; qua explicatione plures Sancti Bonaventuræ ſententiam conciliant cum illa Sancti Thomæ. Ita explicavit Scot. loco laudato, cujus verba producere liceat. *Poteſt*, inquit, *exponi, quod origines non diſtinguunt perſonas formaliter, ſed quaſi principiative ſicut motus in creaturis, & maxime, ſi eſſet in movente, & non in moto, non diſtingueret terminos talis motus formaliter, ſed effective, eo quod pertineret ad genus cauſæ efficientis, quemadmodum etiam ſi natura humana poneretur in uno homine, & ipſa non poſſit multiplicari, niſi per generationem, poſſet dici, quod generatio multiplicat homines, non quidem formaliter, quaſi homines diſtinguerentur formaliter a generationibus ut ſunt generationes, ſed quaſi effective, quia generatio reducitur ad genus cauſæ efficientis; ita poſſet dici in propoſito, quod natura divina non communicatur ſuppoſitis, niſi per originem, & ita origine diſtinguuntur perſonæ in natura &c.*

62. Ex hac doctrina 1. colligo novum pro mea ſententia argumentum. Nec generatio activa in homine, nec paſſiva formaliter conſtituit perſonam, ſed ſupponit perſonam jam conſtitutam, & ſe habet adinſtar efficientis principii non formalis, ergo etiam generatio activa, & paſſiva in Deo non conſtituit perſonas, ſed ſe habet adinſtar principii efficientis. Secundo habeo, quo pacto explicem plura dicta Sanctorum Patrum, quibus videtur probari, perſonas per origines conſtitui. Hujuſmodi eſt illud S. Fulgentii de Fide ad Petrum cap. 1. ubi inquit. *Quia aliud eſt genuiſſe, quam natum eſſe, aliudque eſt procedere, quam genuiſſe, vel natum eſſe, manifeſtum eſt, quoniam alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus.* Illud Damaſ. lib. 1. de Fide cap. 11. *Unum, idemque ſunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, niſi quod Pater genitus non eſt, Filius genitus eſt, Spiritus proceſſit.* Unde etiam S. Th. 1. p. quæſt. 36. art. 2. & alibi docet, Perſonas diſtingui etiam per origines. Alii tamen hæc omnia explicant, quatenus, licet per origines non conſtituantur, neque diſtinguantur perſonæ, attamen per eas nobis manifeſta ſit tam earum conſtitutio, quam diſtinctio.

63. Dices, eodem argumento, quo excludimus origines a formali conſtitutivo perſonarum, eſſe etiam excludendas relationes, cum etiam iſtæ ſupponant perſonas jam conſtitutas; & hoc multiſariam probari poteſt, 1. quia, ſi hoc de origine dicitur, a fortiori de relatione dicendum erit; ſi enim illud, quia antequam generet, debet eſſe conſtituta, aliud etiam, quia antequam reſpiciat filium, debet eſſe conſtituta, ideſt antequam habeat paternitatem, cum hæc ſupponat actum generandi, ſeu originem productivam filii, in qua fundatur. 2. Aliis terminis. Paternitas ſupponit generationem, ſed generatio ſupponit perſonam, quia eſt actio, & actiones ſunt ſuppoſitorum, ergo. 3. Relatio ſupponit aliquid in ſubiecto abſolutum, quod referat, eſt enim alicu-

jus relatio, ergo ſupponit jam ſubiectum conſtitutum, & ideo perſonam.

64. Momentum hoc omnibus difficile viſum eſt; atque ideo, ut ſolveretur, varia excogitata ſunt. Hic omnia referam, & quid de aliorum placitis ſentiam, ſervata erga ipſorum doctrinam veneratione, pro meo modulo dicam. Cajet. 1. p. q. 40. art. 4. Joan. a S. Th. diſp. 16. q. 36. art. 1. Canarien. aliiq. plures Thomiſtæ diſtinguunt relationem in ſignatam, & exercitam; Primo modo conſideratur relatio, ut in ſe eſt, & tanquam ſubſiſtens, ſecundo ut actu referens unum ad alium; Illam inquiunt antecedere origines; & conſtituere perſonas, hanc vero ſubſequi, & ſupponere perſonas jam conſtitutas; Hoc igitur pacto Paternitas ſignate ſumpta perſonam Patris conſtituit, & prior eſt generatione, exercite vero accepta contra. Hoc totum videtur eſſe juxta mentem Sancti Thomæ, qui 1. p. q. 29. art. 4. ad 1. ſic ait; *Perſona ſignificat relationem, non per modum relationis, ſed per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis*. & q. 40. art. 4. in corp. *Proprietas perſonalis Patris poteſt conſiderari dupliciter. Uno modo, ut eſt relatio, & ſic ſecundum intellectum præſupponit actum notionalem, quia relatio, in quantum hujuſmodi, fundatur ſuper actum; alio modo ſecundum quod eſt conſtitutiva perſonæ, & ſic oportet, quod præintelligatur relatio actui notionali, ſicut perſona agens præintelligitur actioni*.

65. Hujuſmodi reſponſio non placet, quia quomodo ſervetur hæc ratio relationis ſignatæ, & exercitæ, non video; etenim relatio vel ſumitur in abſtracto, vel ut affixa ſubjecto; Si primum, non poteſt conſtituere perſonam; Si ſecundum, neceſſario debet ſubjectum referre, quia hic eſt effectus formalis relationis, ſine quo non poteſt intelligi relatio.

66. Alii ergo, ut Capreolus in 1. diſ. 26. & Ferrarien. 4. contra Gent. cap. 27., pluresque recentiores, duplicem rationem in relatione diſtinxerunt; Unam, quæ ſit ad inſtar formæ incommunicabilis, ſeu hypoſtaticæ, aliam, quæ ſit ſub expreſſo conceptu relationis; ſub hac ratione eſſe poſteriorem origine, & diſtinguere perſonam, ſed non conſtituere, ſub illa eſſe priorem, & conſtituere, ſed non diſtinguere; atque hoc idem explicatur ab aliis, dicentibus, relationem ſecundum *in* origines præcedere, & eſſe perſonæ conſtitutivam, ſecundum *ad* origines præſupponere, & perſonam referre.

67. Quod in relatione diſtinguatur ratio formæ hypoſtaticæ a conceptu expreſſo relationis prorſus non improbo, ut inferius dicam; quod vero juxta dictum ſyſtema quod dictum eſt explicetur, non approbo. 1. quia ſecernit principium conſtitutivum a principio diſtinctivo, quod eſt falſum juxta probat. noſtram num. 60. ſecundo, quia, ſi relatio conſtituit perſonam, ut eſt forma hypoſtatica, ſeu ut explicat *in*, conſtituit per rationem abſolutam; non erit ergo, cur reſpuatur ſententia Joan. de Ripa, de qua ſupra num. 58. tertio, tandem, quia perſona conſtituitur per incommunicabilitatem, incommunicabilitas autem in divinis non habetur niſi per *ad*, ergo.

68. Alii vero diſtinguentes pariter relationem ſub conceptu formæ hypoſtaticæ, & relationis reſpondent præfato argumento, prius conſiderando perſonam ſub ratione communi, & quaſi generica perſonæ, & ſub ratione quaſi ſpecifica talis perſonæ, per relationem ſub conceptu formæ hypoſtaticæ conſtitui perſonam in ratione communi perſonæ, ſub conceptu vero relationis, in ratione talis perſonæ. Ratio primi eſt, quia perſona, ut perſona præciſive a divina, vel creata formaliter & explicite non ſignificat aliquod relativum, ſed ſolum rationalem naturam

ſubſi-

ſubſiſtentem,ergo Pater in ratione communi, & quaſi generica perſonæ conſtituitur per paternitatem, non prout eſt ratio reſpiciendi Filium, ſed ut eſt forma hypoſtatica; atque hoc pacto paternitas ut relatio eſt,ſupponit perſonam jam conſtitutam ſub conceptu perſonæ, non tamen talis perſonæ, & ideo illam conſtituere poteſt ut talem; ſupponit igitur, inquiunt, paternitas perſonam conſtitutam in ratione perſonæ, non in ratione talis perſonæ,& ſic ſervatur, actiones eſſe ſuppoſitorum, & habetur id, quod paternitas referat; & rurſus non ſe opponunt Auguſtino dicenti lib. 7. de Trinit. cap. 6., *Nomen perſonæ dici ad ſe, non relative, & ad aliud*.

69. Hæc reſponſio deſumitur ex illa, quam retulimus num.65. & num.66. rejecimus, attamen hoc pacto explicata ſolvit ea, quæ in oppoſitum adduximus; etenim Primo non ſecernit principium conſtitutivum a diſtinctivo, quia relatio, ut forma hypoſtatica conſtituit & diſtinguit perſonam in communi ſumptam a perſona ut tali; Secundo non dicit, formam hypoſtaticam eſſe quid abſolutum, aut quid relativum, ſed tantum aliquid relativum confuſe, & inadæquate, implicite, non explicite; & tandem perſona, quæ conſtituitur per incommunicabilitatem eſt perſona ſumpta ſpecifice, nequaquam generice, proinde &c. & juxta hæc ſolvuntur alia, quæ ſimilia opponuntur.

70. Eſſet etiam afferenda alia reſponſio, quam adinvenit ingenioſiſſimus Pater Vaſquez, qui, ut evitaret difficultatem, dixit, alias quidem perſonas conſtitui per ſuas relationes, attamen Patrem, ſeu primam perſonam conſtitui, non per Paternitatem, ſed per innaſcibilitatem. Hanc tamen, ejuſdemque fundamenta apud illum videat, qui ſtudium, laboremque non odit.

71. Interea duorum etiam ex Congregatione mea Doctorum reſponſiones legere ac perpendere te non pigeat,quibus exiſtimo rem totam aptiſſime,quantum myſterium patitur, explicari. Iſti ſunt Cacheranus, & Marchinus; Primus lib. 2. de divinis perſonis §. 7. ſecundus diſp. 48. de Trinit. aſſerunt, divinas relationes propter ſuam infinitatem æquivalere relationi tranſcendentali ſublatis omnibus imperfectionibus; Habet autem hoc relatio tranſcendentalis, ut ſubſtantialis ſit, ut conſtat in materia & forma, quæ ſe invicem tranſcendentaliter reſpiciunt, ut poſſint eſſe principium eſſentiale conſtitutivum, & numericum, ut conſtat in hac materia, in hac forma; ut poſſit eſſe principium agendi, & antecedere quamcumque cauſalitatem; & denique, ut non requirat terminum exiſtentem; Habet ex oppoſito hoc relatio prædicamentalis, ut actionem præſupponat, nec conſtituat ſuppoſitum agens in ratione ſuppoſiti, & prærequirat terminum exiſtentem quando ipſa exiſtit; Relationes igitur divinarum perſonarum, prout includunt perfectionem relationis tranſcendentalis, ac prædicamentalis, poterunt ſecundum diverſos reſpectus conſtituere perſonas, & has conſtitutas præſupponere, poterit paternitas Patrem conſtituere, & eſſe condito ad generandum, poterit poſt generationem referre Patrem ad Filium, & ſic ſervantur ea omnia, quæ ſervari debent, & argumentum propoſitum num. 63. poſtulabat.

72. Si autem hæc omnia non ſatiſfaciunt, plura dicere in hac re non placet, quære alium doctiorem; ſed cave ne invenias obſcuriorem. Præterimus alia levioris momenti, ut, an perſona in recto ſignificet relationem, vel naturam, & hujuſmodi.

ARTICULUS V.

An in Deo ſint admittendæ tres perſonæ in eadem numero eſſentia, ſeu natura.

73. Summam hujuſce tractatus attingimus modo; atque prius agenda res eſt contra Sabellianos admittentes in divinis tria nomina, nequaquam tres diſtinctas perſonas, 2. contra Arianos, qui licet admittant tres perſonas, attamen negant Filium conſubſtantialem Patri; 3. contra Socinianos, qui duas diſtinctas perſonas Patrem & Filium fatentur quidem, ſed cum Arianis ſentiunt de Filio, Spiritum Sanctum vero non ſubſiſtentem perſonam dicunt, ſed tantum Dei virtutem, efficaciam, ac energiam appellant. Nunc tamen conſultius exiſtimo, agendum tantum fore de tribus perſonis; An vero ſint conſubſtantiales, dum de perſona Verbi, ac illa Spiritus Sancti ſingillatim agetur, pertractabitur.

Dogma noſtræ Catholicæ fidei eſt, tres eſſe in divinis re diſtinctas perſonas.

74. Veritas hæc antequam probetur ex inſtituto contra hæreticos, probanda eſt ex teſtamento veteri contra Judæos, quamvis enim non adeo clara ſint in eo teſtimonia, attamen ſi recte intelligantur, & explicentur etiam juxta antiquos Rabbinos, non obſcure quod intendimus, evinci poteſt; Atque in primis pluralitas perſonarum oſtenditur ex illo Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*. 3. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis*: 11. *Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum*.

75. Non eſt autem dicendum cum Socinianis, vel Deum tunc alloquutum Angelos eſſe, vel honoris cauſa, inſtar Regum & Principum in plurali numero ita dixiſſe; aut artificis more ſe ipſum ad opus excitaſſe, veluti cum ſtatuarius dicit, Eja, faciamus hanc ſtatuam; Non primum, ut optime notarunt Tertull. lib. contra Praxeam cap. 12. Baſil. hom. 9. in Hexamer. & Theodoret. 19. in Gen. etenim in hominis creatione nihil Angeli contulerunt, & homo ad imaginem Dei factus eſt, non Angelorum, unde ibidem legitur, *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum*. Perpendas etiam oportet, quod, quotieſcumque Deus ad aliquod Angelos vocavit, eos nominatim ſcriptura ſacra ſolet exprimere. Sic 3. Regum cap. 22. legitur. *Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei a dextris, & a ſiniſtris, & ait dominus, quis decipiet Achab? & dixit unus &c. egreſſus autem ſpiritus & ſtetit coram domino, & ait, Ego decipiam illum*. Job. 1. *Cum veniſſent filii Dei, ut aſſiſterent coram domino, affuit inter eos etiam Satan, cui dixit dominus, unde venis?* Similiter Iſaiæ 6., atque ne plura dicam, in Concilio Syrmienſi contra Arianos ſic definitum fuit? *Si quis dixerit, quod ſcriptum eſt, faciamus hominem, non Patrem ad Filium dicere, anathema ſit*; & quamvis hoc Concilium pauci faciendum ſit, attamen quantum ad hoc verum dixit, cum idem dixerit etiam Hilarius in lib. de Synodis.

76. Non ſecundum nam etſi apud latinos, & græcos aliquando contingat, aliquam perſonam de ſe in plurali numero loqui, hoc tamen in hebraico idiomate non invenitur, nec, ut obſervat Abea Eſva, aliquod adduci poteſt exemplum; neque ex hodierna Regum conſuetudine argumentum aliquod erui poteſt, cum Reges etiam ambitioſi honoris cupidi, ut Pharao & Nabuchodonoſor, ſemper tamen in ſingulari numero loquuti ſint; Immo Lucifer ipſe ſuperborum caput, non dixit, *in cœlum conſcendamus, ſimiles erimus altiſſimo*, ſed *in cœlum conſcendam, ſimilis ero*.

ero. Optime hac in re ait Theodoret. q. 19. in Geneſ. *In univerſa plane ſcriptura divina licet audire Deum omnium ſingulari numero loquentem, raro autem pluraliter, niſi cum innuit numerum perſonarum Trinitatis.*

77. Non tertium propter mox dicta, atque ut optime ait Baſilius in eum textum, *quis ſapiens artifex inſtrumentis ſolum artis ſuæ præſentibus, nullo ſocio comitante, dicit faciamus cultellum &c.* Adde tandem hanc Socini explicationem eſse oppoſitam menti Origenis, Baſilii, Chryſoſt., Athanaſ., Cyril., Ambroſ., & Auguſt. qui omnes locum illum explicantes perſonarum pluralitatem affirmant;

78. Quorſum hæc inquies; Quid modo cum Socino, nam res agis contra Judæos? Utique; ſed ſcias, teſte S. Baſilio adverſus Judæos hom. 9. in Hexamer: reſponſiones iſtas, & figmenta nugatoria Socini, fuiſse etiam reſponſiones, & figmenta Judæorum.

79. Hæc dicta ſunt ad probandam perſonarum pluralitatem; Communius vero ad probandam Trinitatem affertur illud Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* &, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Pro, *principio* legunt Origenes & Rupertus, immo teſte S. Hieronymo in quæſtioni: ſuper Gen. ſub initio, *Filio.* Per Spiritum vero domini intelligitur tertia perſona, quam Spiritum Sanctum vocamus, juxta etiam expoſitionem Rabbi Eleazar, teſte Marſilio Ficino de relig. Chriſtia. cap. 31., quibus poſitis jam colligitur Trinitas perſonarum.

80. Ut verum fatear, argumentum hoc valde infirmum eſt, cum apud Sanctos Patres verba illa Geneſis varias habeant interpretationes. Primo enim per ly in *principio* non intelligi Filium, animadvertit Hieronym. loco laudato contra Hilarium, ſed in hebraico legi *Bereſiht*, quod ſignificat *caput* ideo vulgata, & ſeptuaginta legunt in *principio* Simachus & Theodotio in *capite*, Aquila in *capitulo*. nec alio modo, inquit Hieronymus, Filium ſignificari, niſi quia de Verbo incarnato dictum fuit pſ. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me.*

81. Profecto etiamſi hujuſmodi expoſitio acceptanda foret, contra hebræos nihil evinceret, niſi prius incarnationis myſterium probaretur; attamen etiam apud nos valde ambigua eſt exiſtimanda; etenim quod dicitur *in capite libri ſcriptum eſt de me* nequaquam probat de Filio ſcriptum eſſe in libro Geneſ. qui omnium librorum eſt caput, ſed potius referri poteſt ad caput libri pſalmorum; etenim poſt adducta verba pſ. 39. additur, *ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui &c.* in primo autem pſal. habetur; *in lege domini voluntas ejus.* Proinde dicendo, in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, ſignificat initium libri pſalmorum, in quo legitur, *in lege domini voluntas ejus* præſertim quod lex domini poteſt appellari liber. Hanc explicationem tradunt Auguſtinus & Ruffinus.

82. Quod vero per Spiritum domini, qui ferebatur ſuper aquas, intelligatur Spiritus Sanctus, certo affirmari non poteſt, etenim Tertul. contra Hermogen. cap. 31. & Theodoret. q. 8. in Geneſ. per ſpiritum explicant aerem; Alii vero intelligunt fœcunditatem, quam Deus aquis impertivit.

83. Igitur aliunde momenta repetenda ſunt; & quidem Nicolaus de Lyra, Burgenſ. & Petrus Galatinus afferunt laudatum textum, *in principio creavit Deus*, ubi textus hebræus legit, creavit *Helohim* ideſt *Dii*. ex quo inferunt unitatem naturæ per ly *creavit* Trinitatem perſonarum per ly *Dii.* Sed hoc argumentum inefficax eſt, nam pluries in ſcriptura reperimus numerum pluralem pro ſingulari; Sic Gen. 24. legimus nos, *Poſuit manum ſuper fæmur*

mur Abraham domini ſui. hebræus vero legit, *Adoniau*, ideſt dominorum ſuorum. Exodi 21. *dederit dominus ejus uxorem illi*. hebræus, *Domini ejus*. Reg. 28. *Vidi dominum aſcendentem de terra*. hebræus, *Helohim*, ideſt dominos, ſeu Deos aſcendentes; & prætereа, admiſſa ſuperiori expoſitione, probaretur pluralitas, non tamen trinitas perſonarum.

84. Alii probant ex illo Gen. 19. *Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorham ſulphur, & ignem a domino de Cœlo* dicere autem dominum a domino indicat Patrem, & Filium, ut exponunt Juſtin. dial. cum Tripho. Irenæus lib. 3. cap. 6. S. Athanaſ. in lib. contra Sabbelii Gregales, aliique Patres. Alii ex illo Gen. 18., *Apparuit autem ei*, ideſt Abrahæ, *dominus*, *cumque elevaſſet oculos*, *apparuerunt ei tres viri*; *Abraham adoravit*, *& dixit*, *domine*, *ſi &c.* ubi Gloſſa addit, *tres vidit*, *& unum adoravit*. Alii ex illo, *Dominus Deus Patrum noſtrorum*, *Deus Abraham*, *Deus Iſaac*, *Deus Jacob* ex illis pſalmorum, *Benedicat nos Deus*, *Deus noſter*, *benedicat nos Deus Dixit dominus Domino meo*. *Filius meus es tu*, *ego hodie genui te*. Mihi vero inter teſtamenti veteris teſtimonia pro hac re, magis duo placent. Unum eſt Iſaiæ 6. *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *dominus Deus exercituum* ubi legit Rabbi Simeon *Sanctus*, *qui eſt Pater*, *Sanctus*, *qui eſt Filius*, *Sanctus*, *qui eſt Spiritus Sanctus*. Alterum eſt pſal. 32. *Verbo domini cæli firmati ſunt*, *& ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum* & pſ. 147. *Emmittet verbum ſuum & liquefaciet ea*, *flabit ſpiritus ejus*, *& fluent aquæ*. Porro per nomen Verbi non poteſt ſimpliciter intelligi Dei imperium, ſed Verbum ſubſiſtens ac perſonale, etenim Joannes alludens ad Moyſem, verbum, de quo locutus fuerat Moyſes deſcribit tanquam perſonam ſubſiſtentem, dicens cap. 1. *In principio erat Verbum*, *& Verbum erat apud Deum omnia per ipſum facta ſunt*. Similiter nomine *Spiritus*, non poteſt intelligi, aut Angelus, quia nec conſtat, tunc Angelos fuiſſe creatos, neque ut dictum fuit in creatione fuit aliquod Angelorum miniſterium; aut aer, ſeu ventus, quia nullus tunc creatus erat, neque vis quædam, & efficacia Dei, quæ rebus fæcunditatem tribueret, nam virtus illa & efficacia deſcribitur tanquam effectus ipſius Spiritus, actiones autem ſunt ſuppoſitorum. Hinc Gregor. Nyſſen. orat. Catechetica cap. 4. per *Domini* intelligitur Pater, per *Verbo* Filius, pro *Spiritu*, Spiritus Sanctus.

85. Ad idem declarandum plura etiam ſeſe exhibent ſymbola; I. Tiara Summi Pontificis, in qua erant tres coronæ diſtinctæ uni triaræ inſertæ, indicabat unum Deum, treſque diſtinctas perſonas, quod intellexit Rabbi Iſaeh Jazochar, dicens, *in divina eſſentia ſunt tres coronæ*, *& iſte tres coronæ ſunt una corona unitæ unitate admodum perfecta*. 2. nomen ipſum *tetragrammaton* quo Deum Judæi ſignificant, Hoc nomen autem eſt *Jehoua*, quod Rabbi Haccados, teſte Galatino lib. 2. cap. 10., ſcribens Antonio Conſuli, inquit ſignificare Deum generantem, Deus autem generans nequit eſſe ſine generato, nec generans ae generatum ſine amore; Rurſus idem nomen compoſitum erat ex *Jod* ex duplici *He* & *Vau*. Per *Jod* ſignificatur principium, atque ideo Pater, a quo procedunt, tanquam principio, Filius & Spiritus Sanctus; Per *He* ſignificatur vita, atque ideo Filius, de quo Joan. 1. *In ipſo vita erat*. Per *Vau* ſignificatur copulandi vis, ſeu nexus, atque ideo Spiritus Sanctus, qui nexus ſeu amor dicitur utriuſque perſonæ; per duplex autem *He* innuitur duplex Verbi vita, ideſt una æterna per æternam generationem & divinam, alia temporanea per temporaneam generationem & humanam; Item nomen *Jehoua* triplici

triplici *Jod* triangulo claudebatur, certe ut triplici *Jod* ſignificaretur omnes tres perſonas eſſe principium æquali modo operationum ad extra, ut triangulo ſignificaretur una omnium perſonarum natura, per tres angulos vero tres perſonæ denotarentur, Hæc omnia ex veteri teſtamento licet non adeo clare, aliquo tamen modo pluralitatem ac trinitatem perſonarum indicare videntur.

86. Clariora ſunt ea, quæ habentur in teſtamento novo. Primo ex baptiſmo, quod Chriſtus a Joanne ſuſcepit; legitur enim Luc. 3. Patrem dixiſſe, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, & additur, *deſcendiſſe Spiritum Sanctum corporali ſpecie ſicut columbam*. 2. ex baptiſmo inſtituto a Chriſto; Mat. 28. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. 3. ex illo primæ epiſt. S. Joan. cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus*. Alia plura proferri poſſent, ſed quia de omnibus iterum agendum occurret, cum de Verbi, ac Spiritus Sancti divinitate fiet ſermo; ideo ad illum locum transferre conſultius judicamus.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Divinis Perſonis ſpeciatim inſpectis.

ARTICULUS I.

Plura traduntur ad perſonam Patris pertinentia.

1. PATREM eſſe Deum, negavit nemo, niſi qui negavit Deum; De ejus igitur divinitate a nobis inquirendum non eſt, ſed de aliquibus aliis, quæ ipſi conveniunt, nequaquam de cæteris perſonis prædicantur.

Quamobrem quæritur 1. An eſſe ingenitum ſit proprietas Patris.

Nomen hoc *ingenitum* valde ſuſpectum fuit Patribus antiquis, etenim Ariani hoc Patri concedebant, ut inde probarent, quod ſicut Pater eſt ingenitus, & increatus, ita Filius eſſet genitus & creatus, proinde Patri nequaquam conſubſtantialis; Idem quod Ariani, etiam ii, qui ab Eunomio nomen ſumpſerunt, profeſſi ſunt; ideo prius Athanaſius in dialogo Orthodoxi, & Anomæi, quærenti Anomæo, an dicendus eſſet Pater ingenitus, inquit, reſpondere Orthodoxum, non eſſe dicendum, nec tamen propter hoc eſſe appellandum genitum; ſicuti ex quo Deus non dicatur credens alicui, non tamen dicitur incredulus; Baſilius vero lib. 1. contra Eunomium ſub initio ait; *Ego autem ingeniti, ſeu innaſcibilis appellationem, quamvis ſummopere cogitationibus noſtris congruat, tamen, quoniam nullo modo in ſcriptura ipſam invenio, & quoniam primum eſt elementum blaſphemiæ iſtorum, ſilentio tradendam merito dixerim.*

2. Nihilominus fraude quacumque detecta, Patres tam græci quam latini hanc vocem ingeniti admiſerunt; Eam reperimus in Synodo Antiochena in epiſ. ad Paulum Samoſatenum, eam in Concilio Tolet. 6. & 11. in confeſs. fidei. Illa uſi ſunt Baſilius lib. 4. contra Eunom. cap. 2. Nazianz. orat. 38. in ſancta lumina; Juſtinus in expoſitione fidei, Cyril. lib. 1. Theſau. cap. 2. Ex latinis Hilar. in libro de Synodis, & 4. de Trinit. circa finem, Auguſtin. lib. 5. de Trinit. cap. 7., Damaſus in Symbolo ad Hieronym. Qui omnes, rationem ingeniti ſoli Patri convenire, tradiderunt.

3. Ratio autem eſſe poteſt, quia id convenit Patri, quod Patrem diſtinguit a cæteris perſonis, atqui ratio ingeniti Patrem diſtinguit a cæteris perſonis, quæ utpote procedentes, ab alio ſunt, ergo.

Dices. Patrem diſtingui ab aliis perſonis per patetnitatem, & rurſus rationem ingeniti conveuire etiam Spiritui Sancto, qui nequaquam genitus eſt.

Contra. Niſi paternitas concipiatur cum ratione ingeniti, ſatis non diſtinguit, etenim ex vi terminorum, non repugnat aliquem eſſe Patrem unius, & ſimul eſſe genitum ab alio; Ad 2. optime reſpondet S. Th. q. 33. art. 4. ad 2. Nomen hoc trifariam uſurpari poſſe, 1. ut ſignificat quidquid non eſt creatum, & hoc modo uſurpabant Ariani; 2. prout ſignificat id, quod via generationis non procedit, & hoc modo convenit etiam Spi-

Spiritui Sancto, 3. prout negat quamcumque proceſſionem, & hoc modo dicimus, ſoli Patri convenire, quia licet Spiritus Sanctus genitus non ſit, eſt tamen procedens; Hoc fortaſſe deſumpſit Doctor Angelicus ex Niceta dicente; *Nec enim ingenitus & genitus ex numero eorum ſunt, qui medio carent, ut alterum horum ſpiritui neceſſario tribuendum ſit, verum interea medium aliquod interjectum eſt, nempe proceſſio*.

Utrum vero hoc nomen ingeniti in ſola negatione conſiſtat, vel in aliquo poſitivo, inquirant alii, ſi velint hujuſmodi diſputationes, nugas vereor, ab aliquibus appellari; certum eſt, ſaltem fundamentaliter aliquod poſitivum præſeferre.

4. Quæritur ſecundo. An hoc nomen Patris proprie conveniat primæ perſonæ.

Reſp. affirmative; ratio eſt eadem, quam attulimus pro nomine ingeniti; unde pſ. 2. Pater dicit; *Filius meus es tu, ego hodie genui te* & de Filio dicitur. *Ipſe invocabit me, Pater meus es tu*, quod pluries à Chriſto factum eſſe, legimus in Evangeliis. Certe ſicut prima perſona proprie generat, & non translatitie, & metaphorice, ita etiam proprie debet appellari Pater; ſed quo pacto rogo, in ſenſu translatitio eſſet ita dicendus, numquid, quia eſt nomen ab humanis ad divina translatum? Si nominis impoſitionem accipis, res ita eſt, ſi vero proprietatem ac rem ſignificatam per nomen, contradicis Apoſtolo dicenti ad Epheſ. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Jeſu Chriſti, à quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur*. Unde Damaſc. lib. 1. Fidei cap. 9. *Illud quoque noſſe intereſt. Paternitatis, Filiationis, & Proceſſionis vocabula non a nobis ad beatam divinitatem translata eſſe, verum e contra illinc ea nobis communicata*.

5. Metaphorice quidem nomen Patris convenit toti Trinitati, quando operatur ad extra ſive per reſpectum ad irrationabilia, ſive ad creaturas rationales, ſive in ordine gratiæ, ſive in ordine gloriæ; juxta quod legitur Job. 38. *Quis eſt pluviæ Pater?* Deuter. 32. *Nunquid non ipſe eſt Pater tuus?* ad Rom. 5. *gloriamur in ſpe filiorum Dei*, Et quotidie dicimus in oratione Dominica; *Pater noſter, qui es in cælis*. Ratio eſt, quia paternitas deſumitur a ſimilitudine, & in eo ordine, in quo eſt ſimilitudo eſt paternitas, ſi propria & perfecta ſimilitudo, propria & perfecta paternitas, ſi diminuta & impropria, e contrario. Unde S. Th. hic art. 3. in corp. quatuor aſſignat gradus filiationis creaturarum ad Deum; vel propter ſimilitudinem veſtigii, & convenit brutis, vel propter ſimilitudinem imaginis, & convenit hominibus, vel propter ſimilitudinem gratiæ, & convenit juſtis, vel propter ſimilitudinem gloriæ, & convenit beatis.

6. Quæritur tertio: an nomina *principii, & initii* recte poſſint prædicari de Patre.

Reſpondeo, quantum ad nomen principii, affirmative; nec enim poteſt intelligi ratio Patris, quin intelligatur ratio principii, nec enim eſſe poteſt Pater, niſi ſit generationis principium; Ut tamen hoc nomen proprium ſit Patris, ſumi debet cum addito, nam abſolute, non ſolum convenit Patri, ſed etiam Filio, cum ab utroque Spiritus Sanctus procedat, & ſi loquamur de operationibus ad extra, conveniat æqualiter toti Trinitati.

Si ita eſt, inquies, Filius ergo erit quid principiatum, cum principium & principiatum ſint correlativa; Patres Græci hoc admitterent, ut notat S. Th. 1. p. q. 33. art. 1. ad 2. Apud nos latinos tamen iſte loquendi modus in uſum non venit, cum eſſe principiatum ſignificet principium durationis, juxta illud Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum, & ter-*

terram; Si autem velis, per principiatum intelligi, quod habet originem ab alio, ſic illatum concedo.

7. Propter hoc a Patre excludendum eſt nomen initii, cum abſolute principium durationis per illud ſignificetur. Quod ſi in ſcripturis legitur, *Egreſſus ejus ab initio a diebus æternis*, Mich.5. *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum*, Proverb.8. vel ibi Sermo eſt de Patre relate ad humanam Filii ſui generationem, vel ſcriptura ſumit initium id, quod ante omnia tempora eſt; unde & dicitur, *ab initio & ante ſæcula &c.*

8. Quæritur quarto. An Pater dici poſſit principium totius Deitatis, ac Trinitatis. An cauſa Filii, an author ejuſdem.

Quantum ad primum, in rigore id dici poſſe; & revera plures Sancti Patres, quos affert Suarez lib.8. de Trinit. ita locuti ſunt, & tunc ſermo eſt de Patre per reſpectum ad perſonas Trinitatis, in quibus eſt tota deitas; quamvis autem non ſit principium ſui, attamen dici poteſt Trinitatis totius principium, ſicuti dicimus unitatem eſſe principium ternarii, non quia ſit principium ſui ipſius, ſed quia inter tres ternarium conſtituentes primum obtinet locum; Caſtigate tamen loquendo id dici non debet, etenim inter id quod eſt principium, & id, quod eſt à principio debet eſſe deſtinctio realis, ſed Pater non diſtinguitur re à deitate, ergo.

9. Quantum ad 2. Apud Patres græcos abſque aliqua offenſione Patrem Filii cauſam appellari reperimus, lege Baſilium lib.3. contra Eunom., Nazianz. in orat de conſtitutione epiſcop. Damaſcen. lib. 1. de Fide cap. 8. immo etiam apud non nullos Patres latinos ex antiquioribus invenies, preſertim apud Hilarium 9. de Trinit. Idcirco Florentinum Concilium, ut græcos latinis uniret, modo Patrem appellat principium, modo cauſam. Neque hoc mirum debet eſſe, etenim non ſumebant cauſam in ſtricto ſenſu, itaut, quod ab ipſa procedit, ſervare debeat dependentiam ab alio, ſed in ampliori ſignificatione, prout nomine cauſæ intelligitur id, à quo alius eſt; & quamvis Ariſtoteles 4. Metaphi. videatur ſumere pro eodem principium & cauſam, attamen vel parum in re noſtra conſiderandus eſt Philoſophus, cui datum non eſt noſtræ fidei myſteria cognoſcere, vel dicendum, ſumere pro eodem, ut inquiunt quo ad ſubſiſtendi conſequentiam, nimirum non dici per convertentiam, & valere quidem argumentum a cauſa ad principium, non tamen a principio ad cauſam, nempe verum ſit dicere, eſt cauſa, ergo eſt principium, non tamen eſt principium, ergo eſt cauſa, atque hoc quidem juxta doctrinam ejuſdem, 5. Metaphi. Latini igitur conſiderantes cauſam in ſui ſtricta conſideratione, in divinis nomen cauſæ nequaquam admittunt; Quare exiſtimo, diſcrimen inter latinos & græcos tantum fuiſſe de nomine, ut ſe explicavit Cadinalis Beſſarion ſeſſ. ultima Concilii Florentini, ubi cap. ultimo ſic loquitur. Notandum primo, quod Sancti Doctores Orientales etiam in divinis utuntur nomine cauſæ, & cauſati largo modo, non quidem, ut limitationem & dependentiam importat, ſed prout emanationem, ſeu productionem à principio, ejus, quod eſt a principio, ſignificat; & ideo &c.

10. Quantum ad 3. dico, eo modo ſentiendum eſſe, quo diximus de ratione principii; Conſentiunt SS. PP., dicente Hilario 2. de Trinit. *A Patre, & Filio authoribus, confitendum eſt, eſſe Spiritum Sanctum*; & Athanaſ. in epiſ. ad Serapionem, *Apoſtolus, quę in eo operatur Spiritus, Filio authori ejus attribuit, ſicut & Filius, quæ ipſe facit opera, ſuo authori Deo Patri attribuit*. S. vero Th. hic q. 33. art. 4. ad 1. inquit, *Authoritas nihil aliud ſignificat in divinis, quam principium originis*.

Ideo

Ideo dixi, eo modo ſentiendum eſſe, quo de ratione principii locuti ſumus.

ARTICULUS II.

Plura traduntur ſpectantia ad ſecundam Perſonam.

11. UT morem geram aliorum Theologorum, plura reſolvenda proponam, quæ ſpectant ad Sanctiſſimæ Trinitatis ſecundam perſonam, quæ tamen libenter omitterem, ut ſtatim ad præcipuam, quæ eſt hujuſce tractatus, difficultatem devenirem, nimirum ad probandam Filii divinitatem, ac conſubſtantialitatem cum Patre; & quia huic perſonæ tribuuntur tria nomina, ideſt Filii, Verbi, & imaginis, ideo de iſtis nonnulla proferam, & expendam; quamvis de nomine Filii nihil dicendum ſupereſt, nam ſi probatum eſt, primæ perſonæ convenire nomen Patris, etiam alicui convenire nomen Filii, neceſſum eſt; nulli autem, niſi ſecundæ, ſicuti etiam dictum eſt, dum de proceſſionibus eſt pertractatum.

12. Hic autem plura præteribo; 1. præteribo, Verbum ſumi proprie, vel improprie; hoc quidem poſteriori ſenſu, vel ſumi pro imperio, & poteſtate, ut cum dicitur ad Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*, vel pro re repræſentata, interiuſque concepta, ut cum legitur Exodi 15. *Cras faciet dominus verbum iſtud*, vel pro eo, quod fieri poteſt, juxta illud Luc. 1., *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*. Secundo præteribo verbum, quod eſt hominis ad ſe ipſum, quod dicitur cordis, & mente concipitur; quod eſt hominis ad alium præſentem, quod eſt verbum oris, quod aure percipitur; Quod etiam ſine lingua exprimitur, & eſt verbum nutus, quod oculo, vel geſtu cognoſcitur; quod ad alium abſentem mittitur, & eſt verbum ſcriptum, quod in charta exaratur. Tertio præteribo verbum mentale, vocale, imaginabile; Præteribo tandem, utrum ſecunda perſona vere & proprie dicatur Verbum.

13. Non me latet, tempore Soteri Romani Pontificis, & Commodi Imperatoris ad an. 180. fuiſſe quoſdam hæreticos, qui dicti ſunt *Alogiani*, ſcilicet ſine Verbo, negantes, Verbum eſſe in divinis, atque ideo, ne convinci poſſent, Evangelium Joannis, & Apocalipſim negabant; Sed contra iſtos & Evangelium, & Apocalipſim opponimus; Utrumque autem tanquam librum canonicum accipiendum eſſe, in noſtro primo tomo ſatis declaravimus; Verbum hoc negarunt etiam Sabelliani, cum tres perſonas diſtinctas non agnoſcerent, negarunt & Ariani, cum nollent eſſe ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ; ſed jam tres perſonas eſſe, demonſtratum eſt; ejuſdem eſſe ſubſtantiæ, demonſtrabimus. Suppoſito igitur, ſecundam perſonam eſſe Verbum, ut tot ſcripturæ textibus traditur, quales ſunt, pſ.44. *Eructavit cor meum verbum bonum*. Apoc.5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. & 19. *Vocatur nomen ejus Verbum Dei*; Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*; &, *Verbum caro factum eſt*.

14. Inquiritur 1. Utrum hoc nomen Verbum ſit proprium ſecundæ perſonæ, ſeu notionale, an vero ſit eſſentiale, totique Trinitati commune.

Durandus in 1. diſt.27. q. 3. exiſtimat, Verbum in divinis eſſentialiter dici, & tanquam aliquid commune, & tribui Secundæ perſonæ ſolum per appropriationem habitam ex ſimilitudine, quia licet, ut ipſe opinatur, non procedat per intellectum, attamen, quia eſt prior origine, ejus proceſſio attribuitur proceſſioni per intellectum, quæ antecedit proceſſionem per voluntatem; Alii, teſte S. Th. in 1. diſt. 27. dicebant, Verbum ſemper notionaliter ſumi, actum tamen dicendi accipi poſſe eſſen-

eſſentialiter, & notionaliter; primo ſenſu, prout eſt idem, quod intelligere eſſentialiter, & ſic non habet verbum. Secundo prout accipitur pro actu creationis juxta illud Gen. 1. *Dixit Deus, fiat lux*, & ſic pariter eſſentiale eſt, nec verbum habet. Tertio accipitur pro actu æternæ generationis, & ſic habet verbum, & notionaliter conſideratur. Ipſe Sanctus Thomas laudato loco aſſerit, Verbum etiam eſſentialiter, & communiter dici, quia arbitrabatur, ipſum actum intelligendi a Verbo non diſtingui, & omne intelligere neceſſario eſſe cum Verbo, ſed, ut notat Cajetanus, ſapientior factus hic ſe retractavit, & ad 2. inquit, Cum dicitur, Verbum eſt notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoſcentis, vel pro aliquo ejus habitu, ſed pro eo, quod intellectus concipit cognoſcendo, atque ſentit, nequaquam eſſentialiter Verbi nomen convenire, & eſſe ſecundam perſonam, quæ eſt ſententia Magiſtri in primo diſt. 27. q. 2., Bonavent. qui licet concedat, verbum eſſentialiter uſurpari, cum aliquid exterius producitur a Deo, attamen dicit, hoc verbum improprie verbum appellari. Hanc defendunt Vaſq. Suarez, Marchin. cæteriqui Theologi, quibus nos etiam ſubſcribimus.

15. Hoc autem non aſſerimus, quia nobis aliqua ratio ſuadeat, agimus enim de myſterio, in qua non rationem naturalem inquirimus, ſed autoritatem amplectimur; Porro hoc probant ea quæ diximus ex Sancto Joan. in fine num. 13. quibus accedunt Sanctorum Patrum teſtimonia; ex quibus eligo S. Auguſtinum, ſanctumque Cyrill, Primus 5. de Trinit. cap. 13. inquit. *Dicitur relative Filius, relative dicitur & Verbum*. infero, ſed Filius quia relative dicitur eſt nomen perſonale, non eſſentiale, ergo ſimiliter & verbum; expreſſius lib. 7. de Trinit. cap 1. *Pater non eſt Verbum, ſicut nec Filius, nec imago*. Et cap. 2. *Pater igitur & Filius ſimul una eſſentia, & una magnitudo, & una veritas, & una ſapientia, ſed non Pater, & Filius ſimul ambo unum Verbum, quia non ſimul ambo unus Filius, ſicut enim Filius ad Patrem refertur, nec ad ſe ipſum dicitur, ita & Verbum ad eum, cujus verbum eſt, refertur, cum dicitur verbum, eo quippe Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius*, & infra; *Propterea non eo Verbum, quo ſapientia, quia Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantum relative ad eum, cujus eſt Verbum, ſicut Filius ad Patrem, ſapientia verò eo, quo eſſentia, & ideo, quia una eſſentia, una ſapientia; Quoniam vero & verbum ſapientia eſt, ſed non eo Verbum, quo Sapientia, Verbum enim relative, Sapientia vero eſſentialiter intelligitur, id dici accipiamus, non dicitur Verbum, ac ſi dicatur nata Sapientia, ut ſit Filius, & imago*. Cyril. vero lib. 7. Theſaur. reponentibus Arianis, quod ſi Verbum conſubſtantiale eſt Patri, Pater poterit appellari Verbum, reſpondet; *Qui hæc dicunt Joan. omnino obliti ſunt, verbum enim filium appellat, & hoc nomen ipſius Filii maxime ſignificativum elegiſſe videtur. In principio erat Verbum:* Quare concludamus cum S. Anſelmo in Monol. cap. 6. *Hoc eſt mirabile in Trinitate, quod cum ſint tres perſonæ, quarum quælibet ſe ipſam dicit, & alias, eſt tamen unum ſolum Verbum, ideſt ſolius Patris*,

16. Hinc male opponit Durandus ex Apocalyp. cap. 19. ubi de eodem, qui dicitur Verbum, dicitur etiam, eſſe fidelem, veracem, & juſtum, *Fidelis, vera & cum juſtitia pugnans*, ex quo colligit, quod ſicuti hæc nomina ſecundæ perſonæ non conveniunt perſonaliter, ſed eſſentialiter per quamdam appropriationem, ita etiam illud Verbi, etenim fatemur, ea communia atque eſſentialia eſſe, nec in ſcripturis & Patribus oppoſitum reperimus, at de nomi-

mine Verbi contrarium omnino docuerunt, & perpende, quo pacto ibi Joan. locutus eſt, nam cætera appoſuit tanquam diſtinctivum nomen, *& vocatur nomen ejus Verbum Dei*. Non miror tamen, Durandum ita ſenſiſſe, cum docuerit, proceſſionem ſecundæ perſonæ non eſſe proxime per intellectum, ſed per naturam, quod ſuo loco reiiecimus.

17. Quæ rurſus opponi poſſunt ſunt hæc duo. 1. Amorem dici perſonaliter de Spiritu Sancto, & tamen dici etiam eſſentialiter, *Deus enim charitas eſt*, ergo ſimiliter & Verbum. 2. Datur in divinis dicere, quod eſt eſſentiale, ergo ſimiliter datur Verbum, quod eſt eſſentiale; ant. traditur a S. Anſelmo in Monol. cap.6., ubi ait, *quamlibet perſonam Trinitatis ſe ipſam, & alias dicere*. & cap.34. *In ſummo ſpiritu idem eſt dicere, quod intelligere, & ſcire*.

18. Sed contra. Amor bifariam ſumi poteſt in divinis, vel prout eſt ipſe actus dilectionis, vel prout eſt terminus dilectionis; in hoc ſecundo ſenſu perſonaliter dicitur de Spiritu Sancto, & nullo modo dicitur eſſentialiter, in primo vero dicitur eſſentialiter, & nullo modo dicitur perſonaliter; aliud autem nomen amoris termino propter vocabulorum defectum non impoſuerunt Theologi, & actui intellectionis aliud nomen dedere juxta ſcripturas & Patres, nempe nomen Verbi, & ideo &c. Ad 2. quid ſenſerit Anſelmus, jam diximus in fine num.15., antecedens eſt verum, conſa eſt falſa, & quando dicere idem appellatur, quod intelligere & ſcire, ſumitur lato modo, certum enim eſt intelligere & ſcire convenire omnibus perſonis, dicere autem proprie, quod eſt Verbum producere, convenit ſoli Patri.

19. Si tandem opponas S.Baſilium, qui lib.5. contra Eunom. & in ſerm. de Spiritu Sancto, appellat Spiritum Sanctum Verbum Filii, dicendum eſt cum S.Th.q.4. de veritate art.3. in corp. appellari Verbum Filii tantum improprie, & metaphorice, quia Spiritus Sanctus per Apoſtolorum prædicationem Filium manifeſtavit, juxta illud Joann. 16. *Cum venerit Paraclitus, ille docebit vos omnem veritatem*. Spiritum Sanctum appellatum eſſe Verbum in ſcripturis canonicis non invenies, apud aliquos Patres græcos leges, ſed Doctores iſti Verbum appellabant omne id, quod in divinis ab alio procedit.

20. Nunc ad aliam partem progrediendum eſt, quæ ſpectat ad rationem imaginis. Hanc definit S. Th. qu. 35. art.1. in corp. *Eſſe ſimilitudinem, quæ eſt in ſpecie rei, vel ſaltem in aliquo ſigno ſpeciei*. Advertendum eſt autem, non quamlibet ſimilitudinem imagini conſtituendæ ſufficere, ſed requiri, ex natura ſua inſtitutam eſſe ad repræſentandum, qua ratione, ut ait Auguſtinus in lib.83. quæſt.73. Unum ovum, quamvis ſit alteri ſimile, non eſt tamen imago alterius; rurſus ex S. Th. laudato loco, neceſſaria eſt proceſſio, productio, ſeu origo, ſpeciali modo ad repræſentandum alium idonea, & utitur ſuperiori exemplo unius ovi per reſpectum ad aliud; Iterum hoc nomen imaginis juxta communem uſum loquendi rebus non cognoſcitivis nequaquam tribuitur, unde quamvis unus ignis producatur ab alio, & una planta ab alia propagetur, tamen nec ignis alterius ignis, nec planta alterius plantæ nuncupatur imago. Exiſtimo autem hoc ideo factum eſſe, ut imaginis etymologia ſervaretur, eſt enim imago, quaſi imitago, hæc autem requirit operationem cognitionis reſpicientis exemplar, & dirigentis facultatem executivam ad producendum effectum, qui repræſentet exemplar; alii vero dicunt, imaginem dictam eſſe ab imaginatione, quæ certe in principio, nullo modo cognoſcitivo, reperiri non poteſt.

21. Dividi autem ſolet imago in naturalem, intentionalem, & artificialem; Quid quælibet ſit, facile explicabis;

bis; neque hoc præſto, cum hanc imaginem intentionalem quidam Philoſophi nullo modo velint agnoſcere. Hoc igitur præſuppoſito.

Quæritur, an ratio imaginis reperiatur in Deo, & utrum conveniat ſoli ſecundæ perſonæ.

Quantum ad primum ſentio affirmative, & probando, rationem imaginis ſoli Filio convenire, quæ eſt ſecunda aſſertio, utramque partem probabo. Hoc autem primo fit, ſi recolantur ea, quæ de nomine Verbi dicta ſunt; ſed amplius ex ſcripturis, & Patribus; ait Apoſt. ad Coloſ.1. de Filio; *Qui eſt imago Dei inviſibilis.* & ad Heb.1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus.* Ex Patribus latinis occurrunt Hilarius 7. de Trinit. in fine, Auguſtin. 3. de Trinit.cap.2. Ricard. de San.Vict. 6. de Trinit. cap.19. omneſque alii, ſed afferam tantum aliquos Patres Græcos, cum non nulli ex iſtis nobis adverſari videantur. Eſt autem Origen., qui libro 1. Periarchon cap. 2. diſerte probat Filium eſſe Patris imaginem, & loquens cap.2. de Spiritu Sancto, nunquam illum imaginem vocat; Athanaſius vero ſerm.4. contra Arian. prope initium de martyribus ita loquitur. *Qui ergo ſit, ut cum iſti iſtiuſmodi ſint, ſolus tamen Filius Unigenitus & Verbum, & ſapientia appelletur? aut cur, cum tot ſint ſimilia Patri, ſolus hic ſit imago?* & in epiſt. de decretis Nicenæ Synodi. *Quandoquidem unus eſt Deus, neceſſarium eſt quoque unam eſſe Dei imaginem, quæ ipſius eſt Filius*, & infra; *Si cum imaginem nomines, filium hoc ipſo eum eſſe indicaveris, quid enim ſimile Deo, niſi ſua ipſius progenies?*

22. Rationes Theologicas plures invenies apud S. Bonaventuram in 1. diſ. 31. act.1. Hic unice duo addam; Unum, quod imago Dei eſt etiam homo, qui dicitur ad ejus imaginem & ſimilitudinem factus, alterum, quod nomen imaginis tribuatur a Patribns græcis etiam Spiritui Sancto; Verum, quantum ad primum; aliud eſt eſſe factum ad imaginem, aliud eſſe imaginem, atque ibi imago ſumitur improprie ideſt pro ipſo exemplari, nam ſicuti ad ejus imitationem fieri aliquid dicitur, ita etiam ad ejus imaginem. Quantum ad ſecundum idem, quod diximus de Spiritu Sancto, qui dicitur Verbum Filii, etiam dicimus de Spiritu Sancto, qui dicitur imago Filii. Sanctus vero Thomas q.35. art.2., in corpore poſt recitatas varias rationes, quibus Verbum dicitur imago, non ſic Spiritus Sanctus, hæc habet; *Dicendum eſt, quod ſicuti Spiritus Sanctus, quamvis ſua proceſſione accipiat naturam Patris, ſicut & Filius, non tamen dicitur natus, ita licet accipiat ſpeciem ſimilem, Patris non dicitur imago, quia Filius procedit ut Verbum, de cujus ratione eſt ſimilitudo ſpeciei ad id, a quo procedit, non autem de ratione amoris, quamvis hoc conveniat amori, qui eſt Spiritus Sanctus, in quantum eſt amor divinus.*

ARTICULUS. III.

Ex quorum cognitione Verbum divinum procedat.

23. Inter celebriores hujuſce tractatus ſcholaſticas quæſtiones hanc recenſendam eſſe, nemo, qui Doctores legerit, ignorat; Quæſtio autem tres partes complectetur; primo inquirendo, an procedat ex cognitione eorum omnium, quæ actualiter ſunt in Deo; ſecundo, an ex cognitione creaturarum poſſibilium, tertio, an ex cognitione futurorum. Unde fit.

§. I.

§. I.

An Verbum divinum procedat ex cognitione eſſentiæ, attributorum, & perſonarum.

UT huic primæ difficultati locus detur, idem inquiritur, ac ſi diceretur, an cognitio eſſentiæ, attributorum, & perſonarum, ordine quodam præcedat proceſſionem Verbi divini; Porro duplici modo intelligi poteſt, cognitionem unius præcedere poſſe alterius proceſſionem, ſeu productionem, vel per ſe & formaliter, vel per accidens, & concomitanter; Primo modo eſt ita præcedere, ut ablata tali cognitione, id, quod producitur, nullo modo produceretur, aut imperfectius produceretur; Secundo modo eſt ita præcedere, ut adhuc non exiſtente tali cognitione, id, quod producitur, produceretur, & omnem eſſentialem ſui perfectionem haberet. Brevius. præcedit per ſe & formaliter, quando præcedit ex titulo productionis, per accidens & concomitanter, quando alio titulo, puta in noſtro caſu infinitatis, perfectæque identitatis. Clarius omnia explicaturus diſtinctas ſtatuam aſſertiones.

24. Aſſertio prima. Verbum per ſe & formaliter procedit ex cognitione divinæ eſſentiæ. contradicit nemo; Eſt enim divina eſſentia primum intelligibile, eſt præſens æterni Patris intellectui, eſt prior divini Verbi generatione, cum ipſi communicetur, ergo; aut dicendum foret, Verbum non eſſe ex alicujus cognitione, & ſic Verbum non eſſet.

25. Aſſertio ſecunda. Verbum per ſe, & formaliter procedit ex cognitione attributorum. In hoc puncto aliqui exiſtimarunt, Scotum oppoſitum ſenſiſſe, ſed perperam, quod conſtabit ex iis, quæ dicam inferius. Ratio aſſerti eſt ferme eadem cum ſuperiori; Siquidem, etſi attributa non ſint primarium obiectum motivum divinæ intellectionis, attamen ſunt proprietates re identicæ cum divina eſſentia, intellectui paterno præſentia ſunt, & cum Verbo communicentur, ejuſdem generationem præcedere debent.

26. Aſſertio tertia. Verbum per ſe, & formaliter procedit ex cognitione primæ perſonæ, ſeu Patris; Clarum eſt hoc; quia ſi Pater, gignendo Verbum, ſe non intelligeret, quo pacto Filius eſſet perfecta imago Patris?

27. Aſſertio quarta. Verbum per ſe, & formaliter procedit ex cognitione, quam Pater habet de ipſo Verbo, ideſt ex cognitione ſui ipſius, ut in Patre; Manifeſtum eſt hoc, nam cognoſcendo ſe ipſum Pater cognoſcit etiam Filium, cum nequeat cognoſci relativum quin etiam cognoſcatur correlativum, & quia Verbum divinum non fuit in memoria fæcunda Patris, ſeu in intellectu, (cum de hiſce nominibus nolim quæſtionem aliquam inſtituere) non fuit inquam tanquam obiectum intelligibile in actu primo, ſed ſemper in actu ſecundo, etenim Verbum ſimul a Patre producitur & intelligitur, imo ejus intelligi eſt produci, qua ratione eſt quidem Verbum eorum, quæ a Patre intelliguntur, ſed non producuntur, non tamen Verbum eſt Verbum & imago illius quod producitur, atque adeo ſui ipſius.

28. Hæc tanquam certa ſunt apud Theologos, nec ulla controverſia occurrit; Tantum movetur difficultas, utrum etiam proceſſio Verbi ſit ex cognitione Spiritus Sancti; Qua quidem in re Thomiſtę omnes affirmative concludunt, arbitrantes hanc ſui angelici præceptoris in hac quæſt. fuiſſe doctrinam, eoſque ſequuntur plures Recentiores Valent: Molina, Suarez, Cacheran. Puteob. Oppoſitum inter Recentiores ſentit Vaſquez, & quodammodo Marchinus, qui negans, Verbum per ſe gigni ex cognitione intuitiva Spiritus Sancti, ut exiſtentis, & ſpirati, in

in alia propoſitione affirmat, gigni ex ejuſdem cognitione, ut ſpirandi ac producendi; Sed quid de Scotiſtis dicendum? Certe Scotiſtæ antiquiores, ut Tatatar. Baſſol. Vigerius, quos ſequuti ſunt plures ex ipſis juniores Roda, Faber, Brancaſ. Verbum nequaquam ex cognitione Spiritus Sancti per ſe ac formaliter procedere, ſed tantum identice ac concomitanter, docuerunt. Alii vero ex eorum Schola non minus celebres, ut Vulpes, Herrera, Scherius, Sghemma, Smiſing. & poſtremo Maſtrius oppoſitum tradiderunt; Illis & iſtis relinquo ſuum doctorem ſubtilem explicandum. Ego in ea ſententia ſum, ut, quotieſcumque ſequi poſſum Thomiſticam doctrinam, quin recedam a Scotica, id amplectar, quod Thomiſtæ ſentiunt. Ideo.

29. Aſſertio quinta. Verbum per ſe & formaliter procedit etiam ex cognitione Spiritus Sancti.

Prob. ratione communi utrique Scholæ, atque ideo ſatis valida; Verbum divinum per ſe &c. procedere debet ex cognitione perfectiſſima, ſed niſi procederet ex cognitione etiam Spiritus Sancti, non procederet ex cognitione perfectiſſima, ergo. Maj. patet, cum Verbum perfectiſſimum ſit, atque ideo perfectiſſime debet repræſentare; prob. mi. Ut procedat ex cognitione perfectiſſima, procedere debet ex cognitione comprehenſiva divinæ eſſentiæ, ſed non procederet ex cognitione comprehenſiva divinæ eſſentiæ, niſi procederet ex cognitione Spiritus Sancti, ergo. prob. mi. Ut procedat ex cognitione comprehenſiva divinæ eſſentiæ, debet procedere ex cognitione eorum omnium, quæ neceſſario repræſentantur in divina eſſentia, & omni modo, quo repræſentanrur, quod patet ex iis quæ diximus pertinere ad cognitionem comprehenſivam in quæſtionibus de Deo Uno, ſed niſi procederet ex cognitione Spiritus Sancti, non procederet ex cognitione eorum omnium, quæ repræſentantur neceſſario in divina eſſentia, quia in divina eſſentia neceſſario eſt fæcunditas etiam per divinam voluntatem, proinde per reſpectum ad Spiritum Sanctum, ergo. Quod totum valet, ſive dicatur hanc notitiam prærequiri, ut conditionem, ſive ut principium formale quo, de quo puncto quæſtionem alii inſtituant, ſi velint; Dixi; ex cognitione eorum omnium, quæ neceſſario repræſentantur; ne mihi opponatur, in eſſentia divina etiam repræſentari omnes creaturas poſſibiles, actuales, & contingentes, de quibus erit in ſequentibus peculiaris ſermo.

30. Reſpondent, totum argumentum eſſe verum; ſed quod Verbum procedat ita ex hac cognitione comprehenſiva divinæ eſſentiæ, oritur ex identitate, quæ eſt inter divinam eſſentiam & Spiritum Sanctum, & ex infinitate naturæ divinæ, non autem per ſe, & formaliter, in quarto, ut inquiunt; modo dicendi per ſe; atque hoc oſtendunt; Illud eſt principium per ſe alicujus operationis, quo poſito ponitur operatio, & quo non poſito aufertur; atqui non poſita, ideſt a nobis non conſiderata perſona Spiritus Sancti, intelligeretur proceſſio Verbi, ergo. Prob. mi. licet in Patre, & Filio non intelligeretur ratio ſpiratoris, adhuc intelligeretur proceſſio Verbi, hæc enim prior eſt illa, ergo. Ratio hujus eſt, quia generatio, ut generatio intelligitur per ſe per filiationem, & paternitatem, ſpirationem vero conſequenter concipimus.

31. Sed contra; fateor, argumentum hoc, quod eſt ingenioſiſſimi Patris Vaſquii, vim ſuam habere, ſi res divinas velimus ab humanis inferre; dico tamen falſam eſſe reſponſionem; & ad probationem negatur minor; ad prob. ne. ant. prioritas enim, quæ eſt in proceſſione Verbi per reſpectum ad Spiritum Sanctum, eſt tantum originis, &, ut inquiunt, ſigni *a quo*, non tamen duratio-

rationis, ſeu ſigni *in quo*; atque ideo una nequit eſſe ſine alia, cum exiſtentia deſumatur a ſigno tantum *in quo*. Nullo enim pacto extitit Pater, & Filius, quin exiſteret Spiritus Sanctus; & quamvis generatio, ut generatio intelligatur per ſe per paternitatem, & filiationem, non tamen generatio illa, quæ eſt propria Verbi divini, cum eſſe debeat perfectiſſima non ſolum concomitanter, ſed formaliter, proinde &c.

32. Hoc autem totum magis confirmo; Primo quia juxta Vaſquium, Verbum per ſe, & formaliter procedit ex cognitione Patris & Filii, ergo etiam per ſe, & formaliter procedit ex cognitione ſpiratoris; prób. conſa, ratio ſpiratoris eſt maxime identica, & intrinſeca Patri, ac Filio, ergo ſi Verbum per ſe, & formaliter procedit ex cognitione Patris, ac Filii procedit etiam &c. aliter cognitio, ex qua procedit Verbum nequaquam eſſet compræhenſiva, & perfectiſſima. Secundo, & hoc contra omnes, Verbum formaliter procedit ut expreſſivum ſpirationis activę, quę eſt in Patre, ergo procedit ex cognitione ſpirati, ut eſt Spiritus Sanctus, nec enim poteſt cognoſci perfecte ſpiratio activa ſine paſſiva; prob. ant. Verbum procedit formaliter ut ſimile Patri in ſpiratione activa, cum hanc accipiat a Patre, ſicut eſſentiam, & attributa, ergo formaliter procedit ut expreſſivum ſpirationis activæ, ſicut formaliter procedit ut expreſſivum eſſentiæ, & attributorum. Quamquam vero ſuperius argumentum ſic ſatis rejectum ſit, attamen in aliorum argumentorum ſolutione amplius dicetur, magiſque noſtra aſſertio confirmabitur.

33. Ob. 1. Objectum, ex cujus cognitione per ſe, & formaliter procedit Verbum, debet eſſe principium intentionale Verbi, ſed Spiritus Sanctus nequit eſſe principium intentionale Verbi, ergo. Prob. mi. & quia Spiritus Sanctus nequit præſupponi generationi Verbi; & quia, ſi Spiritus Sanctus eſſe poſſet principium intentionale Verbi, Verbum eſſet imago Spiritus Sancti; Præterea; Cognitio Spiritus Sancti, ex qua ſupponitur Verbum procedere, deberet eſſe intuitiva, etenim abſtractiva imperfecta eſt, & dedecens Deum, ex alia parte intuitiva eſſe non poteſt, quia cognitio intuitiva habet pro termino rem exiſtentem, pro illo autem priori Spiritus Sanctus nequaquam exiſtit, ergo.

34. Reſp. ad 1. aliud eſt loqui de objecto, aliud de cognitione objecti, aliud procedere ex objecto, & aliud procedere ex cognitione objecti; primum denotat, objectum eſſe principium & originem productionis, ſecundum vero denotat, objectum eſſe terminum cognitionis paternæ, ideo abſolute major eſt falſa, cum Verbum procedat ex cognitione Spiritus Sancti, tanquam ex objecto & termino, non tamen ex Spiritui Sancto tanquam a principio, ut autem Spiritus Sanctus ſit hujuſmodi terminus, neceſſe non eſt, præſupponatur generationi Verbi, ſed ſatis eſt, ſi ſit in eodem ſigno in quo eſt Verbi generatio, ita autem eſt, ut omnes fatentur, cum nulla alia prioritas in divinis admittatur, niſi a quo. Ad ſecundum tranſmitto majorem, quæ a pluribus negatur, nego mi. ad prob. ne. ant. quantum ſufficit ad cognitionem intuitivam, cum, ſicut dictum eſt, ſit in eodem ſigno in quo, per quod habetur exiſtentia; Simultas autem exiſtentiæ ſatis intuitivæ cognitionis ſervat naturam; atque hoc duplici exemplo demonſtro; Actio, qua effectus aliquis producitur, licet natura illum præcedat, dicitur habere pro termino rem exiſtentem, quia eodem tempore effectus exiſtit, ergo etiam cognitio Patris dicetur terminari ad Spiritum Sanctum exiſtentem, licet origine Spiritu Sancto ſit prior; Sol producens ſuam lucem, quamvis ſit natura prior, ſi vim cognoſcendi haberet, dice-

retur cognoſcere intuitivæ ſuam lucem exiſtentem; ergo multo magis cognitio Patris origine prior dicetur cognoſcere Spiritum Sanctum exiſtentem; proinde &c.

35. Neque ex hoc dici poteſt, quod eodem pacto poſſet Dei ſcientia pro eodem ſigno a quo cognoſcere intuitive etiam futura libera in divino decreto, cum hoc exiſtat in eodem ſigno in quo; etenim hæc inſtantia in ſententia mea nihil probat, cum futura non videantur in decreto divino ſed in propria veritate objectiva; Quod vero ſpectat ad decretum, hoc quidem exiſtit in eodem ſigno in quo, ſed ejus cognitio de materiali ſe habet ad proceſſionem Verbi, ut inferius oſtendam; & decretum quidem eſt, non tamen ſunt futura in ſe ipſis, ſicut in ſe ipſo pro eodem ſigno in quo eſt Spiritus Sanctus, cujus intuitiva cognitio eſſe poteſt pro priori ſigno a quo, ſeu originis, ut ſuperius oſtendi.

36. Ob. 2. Verbum divinum nequit procedere ex cognitione terminata ad Verbum, & Spiritum Sanctum, ergo. Prob. ant. Primo Verbum procedit tantum ex cognitione ut in Patre, ergo. Secundo. Si Verbum procederet ex cognitione ad Verbum, & Spiritum Sanctum, Verbum, & Spiritus Sanctus priores eſſent ipſo Verbo, quia objectum eſt prius cognitione; ſed illud dici nequit, ergo. Tertio. Si &c. Verbum eſſet imago ſui, & Spiritus Sancti; Spiritus Sanctus eſſet principium Verbi, & valeret iſta cauſalis, ideo Verbum eſt, quia Spiritus Sanctus eſt, & tamen oppoſitum debet concludi.

37. Reſp. ne. ant. ad primam prob. diſ. ant. tantum ex cognitione, ut in Patre tanquam principio quod generationis conc. tanquam objecto terminativo ne. ant. & Conſ. Ad 2. ne. maj. ſed eſſent ſimul modo dicto, & quando aſſeris, objectum eſſe prius cognitione, valet de objecto influente, non terminativo. Ad 3. Jam dictum fuit, Verbum procedere ex cognitione Verbi, & Spiritus Sancti, non tamen a Verbo, & Spiritu Sancto, ut requireretur ad rationem imaginis, & ideo Spiritus Sanctus non eſt principium Verbi; nec eſt vera illa cauſalis, ſed dici debet; Ideo Verbum eſt, quia cognitio terminata ad Spiritum Sanctum eſt.

38. Ob: 3. ad probandum, Verbum procedere ex ſola cognitione divinæ eſſentiæ. 1. Pro eo priori, quo Verbum a Parte procedit, ſola eſſentia eſt intelligibilis a Patre, hæc enim eſt objectum primarium, per ſe intelligibile, dans ſpeciem divinæ cognitioni, proinde hæc ſolum primo ſe exhibet intelligendam, ſed tunc Verbum a Patre procedit, ergo. 2. Verbum procedit per ſe, & formaliter ex illius cognitione, quod per ſe & formaliter repræſentat, ſed per ſe, & formaliter repræſentat tantum divinam eſſentiam, ergo. Prob. mi. reliqua præter eſſentiam divinam ſunt tantum objectum ſecundarium divinæ cognitionis, ergo Verbum per ſe, & formaliter repræſentat tantum divinam eſſentiam.

39. Reſp. concedendo, ſolam divinam eſſentiam eſſe objectum primarium divinæ paternæque cognitionis, ſicut tradidi de Deo uno, attamen divina cognitio, utpote perfectiſſima, & comprehenſiva neceſſario fertur etiam in attributa, & perſonas, quamvis tantum objecta ſecundaria, & datur quidem inter objecta ordo prioris, & poſterioris, attamen in cognitione non datur cognitio prior, & poſterior; Manifeſtum eſt hoc etiam in cognitione creata, nam quando objecta neceſſarium ordinem habent inter ſe, cognitio omnia ſimul attingit, quamvis ab uno tanquam præcipuo & motivo ſpeciem deſumat, non ab alio. Ad 2. dico, Verbum omnia repræſentare licet non æquali modo, imo repugnat, quod repræſentet eſſentiam, quin repræſentet omnia, quæ ſunt in divina eſſentia, uti a nobis probatum fuit. Reliqua, quæ opponi poſſunt ferme ad idem

idem reducuntur; & adverte, nos uſque modo locutos eſſe de Verbo, non præciſe, ut Verbum eſt, ſed quale de facto eſt Verbum divinum. Aliquorum ſententias examinare nolui, & doctrinam; plura dixiſſem, ad quæ dicenda, ſi opus fuerit, me paratum invenient.

§. II.

Utrum Verbum divinum per ſe, & formaliter procedat ex cognitione poſſibilium.

40. Non eſt quæſtio de cognitione poſſibilium ſecundum illud eſſe, quod vocant eminentiale, quod ve habent in eſſentia divina, ſic enim non ſunt creatura, ſed ſunt ipſa creatrix natura, ut frequenter loquitur S. Th. & ideo, ſicut Verbum procedit ex divinæ eſſentiæ cognitione, ita etiam ab illa poſſibilium procedere debet; Thomiſtæ omnes afferentes S.Th. 1. p. q.34.art.4. in corp. & alibi, cujus teſtimonia inferius expendemus, affirmative concludunt, nec miror, cum per ipſos nullum habeant eſſe in ſe ipſis, de quo tantum quæſtionem noſtram inſtituimus, quod ve poſſibilibus concedendum eſſe, in noſtris quæſtionibus Metaph. probavimus, aliique Doctores, qui in hac re Thomiſtarum amplectuntur ſententiam, concedunt, ut Suarez, Molina, Lug. Cacheran. Contrarium opinantur Scotiſtæ, adducentes Doctorem ſuum quodl. 14. art.2. in 1. diſ.30. q.2. §. *Ad ſecundam quæſt.* eorumque opinionem tenuerunt Vaſq. Peſant. Arrubal. Albertin. Marchin. Cum quibus.

41. Sentiendum; Verbum divinum per ſe, & formaliter non procedere ex cognitione poſſibilium, ſed tantum identice, & concomitanter.

Prob. argumento deſumpto a Doctore ſubtili laudato loco. Ut Verbum per ſe, & formaliter procedat ex cognitione poſſibilium, debet cognitio poſſibilium tantam habere neceſſitatem, quantam habet Verbum procedens, cum tantæ neceſſitatis ſit genitum, quantæ eſt generatio, neque hoc negatur ab adverſariis ſi velint rem pertractare, ut oportet, ſed cognitio poſſibilium non habet tantam neceſſitatem, quantam habet Verbum procedens, ergo ex cognitione poſſibilium Verbum per ſe, & formaliter non procedit; prob. mi. Verbum tantam habet neceſſitatem, quantam habet Deus, ſed cognitio poſſibilium tantam non habet neceſſitatem, quantam habet Deus, quia Deus eſt totius entis plenitudo per eſſentiam, poſſibilia non ſic, ergo; & certe non ideo Deus eſt, quia creaturæ ſunt poſſibiles, ſed ideo creaturæ ſunt poſſibiles, quia Deus in priori eſt.

42. Occurrit ſtatim illorum reſponſio, qui dicunt, tantam eſſe connexionem inter divinam omnipotentiam & poſſibilia, ut ſi aliquod ex poſſibilibus impoſſibile fieret, deſtrueretur omnipotentia Dei, & ideo etiam ipſe Deus, qua propter tantæ neceſsitatis ſunt poſsibilia, quantæ ipſe Deus.

Quanti hujuſmodi doctrina facienda ſit, leges in diſputationibus meis Metaphyſ. q.4. art. 2. ubi hanc eſſentialem connexionem inter omnipotentiam & poſsibilia rejecimus, ac declaravimus ſimul, neceſsitatem poſsibilium eſſe formalem quidem, ſed ſolummodo nominalem, illam vero Dei formalem eſſe actualem, & perfecte talem; atque ideo ſi deſtruerentur poſsibilia, non deſtrueretur Deus, ex quo novum argumentum pro noſtra aſſertione proponi poſſe, nemo non videt.

Sed etiam admiſſo, quod in reſponſione dixerunt, adhuc nihil evincerent, etenim, ſi poſsibilia fierent impoſſibilia, deſtrueretur tantum divina omnipotentia de conſequenti & concomitanti, non autem formaliter & per locum intrinſecum, & idcirco, ex poſſibilium cognitione formaliter & per ſe

Verbum procedere, probari non poteſt, ſicut deſtructa riſibilitate deſtrueretur homo, nec tamen ad eſſentiam hominis riſibilitatem ſpectare, ullus affirmat.

43. Occurrit ſecundo reſponſio aliorum, dicentium, in Verbo duplicem rationem eſse deſtinguendam, ideſt eſse ipſius, & creaturarum repræſentationem, quæ duo etiam in ſcientia Patris perpendenda ſunt; Si conſideretur eſse Verbi eam habet neceſsitatem, quam habet ſcientia Patris ſecundum ſuum eſſe, ſi vero conſideretur creaturarum repræſentatio, ſicut ſcientia Patris neceſſario repræſentat poſsibilia, ita hæc neceſsario repræſentabit Verbum; atque ideo eamdem habent neceſsitatem poſſibilia, quam habet Verbum.

44. Hujuſmodi doctrina plus probat quam velint, etenim ſcientia Patris non ſolum repræſentat neceſſario creaturas poſſibiles, ſed etiam futuras, & actuales, & tamen nemo dicit, exceptis Cardinali Oregio,& Valentia, Verbum procedere ex cognitione creaturarum futurarum, & actualium; Satis igitur eſt, ſi Verbum repræſentat poſsibilia identice, per accidens, & concomitanter; quamvis enim per impoſsibile nec Pater cognoſceret poſsibilia, nec Verbum illa repræſentaret, adhuc Verbum eſſet æquali modo perfectum, aliter cognitio Dei, & eſſentialis Verbi conſtitutio perfectionem ſuam a poſsibilibus acciperet, quod dicere non auderem.

45. Prob. ſecundo auctoritate Anſelmi in Monol. cap.29., qui totum a nobis dictum confirmat. Sed prius hoc argumentum propono. Ex illa cognitione Verbum per ſe, & formaliter procedit, ſine qua nec eſſet Verbum, nec Verbum omnino perfectum, ſed ſine cognitione poſſibilium Verbum eſſet, & omnino perfectum, ergo. Prob. mi. ex Anſelmo, qui proponit prius rationem dubitandi hiſce Verbis. *Si nunquam creatura eſſet, nullum ejus eſſet Verbum; quid igitur? an concludendum eſt, quod ſi nullo modo eſſet creatura, nequaquam eſſet Verbum illud, quod eſt ſumma & nullius indigens eſſentia? aut fortaſſe illa ſumma eſſentia, quæ Verbum eſt, eſſentia quidem eſſet æterna, ſed Verbum non eſſet, ſi nihil unquam per illud fieret?* deinde reſpondet; *Sed numquid ſe ipſum non intelligeret, aut quomodo vel cogitari poteſt, quod ſumma ſapientia ſe aliquando non intelligat?... Ergo ſummus ille ſpiritus, ſicut & æternus, ita æterne ſui memor eſt, & intelligit ſe ad ſimilitudinem mentis rationalis, imo non ad illius ſimilitudinem, ſed illa principaliter, & mens rationalis ad ejus ſimilitudinem: at ſi æterne ſe intelligit, æterne ſe dicit; ſi æterne ſe dicit, æterne eſt Verbum ejus apud ipſum; Sive ergo illa cogitetur nulla alia exiſtente eſſentia, ſive aliis exiſtentibus, neceſſe eſt, Verbum coæternum illi eſſe cum illo.*

46. Tria dici poſſunt: 1. Anſelmum loqui de creaturis actualibus, vel futuris, non ſic poſsibilibus, quarum eſſentia æterna eſt, & invariabilis. 2. affirmare quidem adhuc futurum Verbum, non tamen ita perfectum, cum modo repræſentet etiam creaturas poſſibiles, in illa vero hypotheſi iſtas non repræſentaret. 3. ita loquendo a nobis fieri hypotheſim impoſsibilem, ideſt, ſi poſsibilia non eſſent poſsibilia; dato autem uno impoſsibili ſequitur quodcumque aliud.

Sed contra. Ad primum; etſi loquatur Anſelmus potiſsimum de creaturis exiſtentibus, cum iſtæ nobis magis notæ ſint, attamen de poſsibilibus ſermonem habere, ſi alia Anſelmi perpendamus, inficiari non poſſumus. Siquidem, poſtquam cap. 32. propoſuiſſet difficultatem, utrum Deus eodem, vel diverſo modo dicat ſe & creaturas, reſpondet cap.33. Deum eodem modo dicere ſe & creaturas, tamen non ſecundum proprias rationes creaturarum,

ſed

. ſed ſecundum quod ſunt in ipſo ipſa eſſentia Dei; ſubſumo; atqui non de creaturis exiſtentibus, ſed de poſsibilibus, verificatur eſse in ipſo ipſam eſsentiam Dei propter eſse eminentiale, quod habent in Deo, ergo loquitur etiam de creaturis poſſibilibus, illaſque ſecundum propriam rationem excludit, tanquam per ſe requiſitas ad proceſsionem Verbi.

Ad ſecundum etſi non eſſet Verbum ita perfectum quantum ad extenſionem, eſſet tamen quantum ad intenſionem, & ſui eſſentialia, aliter dicendum foret, quod a creaturis poſſibilibus perficeretur formaliter Verbum, atque idem dico de cognitione Patris, & ratio eſt, quia cognitio ſuam ſpeciem ac perfectionem deſumit ab objecto primario & motivo, atque ab iis, quæ idem ſunt cum ipſo tanquam ſuæ intrinſecæ ac neceſſariæ perfectiones; Hujuſmodi autem eſt eſſentia una ſimul cum attributis, & perſonis; proinde &c.

Ad tertium. Admitto, dato uno impoſsibili ſequi quodcumque aliud, attamen ad cognoſcendum aliquod formale conſtitutivum, fieri poteſt & debet aliqua ſuppoſitio impoſsibilis; Sic ad dignoſcendam formalem eſsentiam hominis, inquirere poſsumus, an ſi non eſſet riſibilis, ſed rationalis, adhuc eſſet homo, ad dignoſcendam formalem rationem diſtinguendi Filium a Spiritu Sancto, inquirimus, an ſi Spiritus Sanctus non procederet a Filio, adſſuc diſtingueretur a Filio, & ita in propoſito ad cognoſcendum, an cognitio poſsibilium in ſe ipſis ſit ratio per ſe proceſsionis Verbi, inquirimus, an ſi per impoſſibile non eſset cognitio poſsibilium, adhuc eſset proceſsio per ſe ac formalis Verbi divini, quare ſi hoc probemus, ſicut probavimus, jam ex cognitione poſſibilium deducimus, Verbum per ſe ac formaliter non procedere.

47. Alia momenta, quæ ſolent a Scotiſtis afferri, prætereo; atque ad magis illuſtrandam ſententiam poſitam, in ea fuiſſe etiam Sanctum Thomam placet oſtendere. Clarum eſt ejuſdem teſtimonium de verit. q.4. art.5. in corp. ubi ait. *Quia Pater principaliter dicit ſe generando Verbum ſuum, & ex conſequenti dicit creaturas, ideo principaliter, & quaſi per ſe Verbum refertur ad Patrem, & ex conſequenti, & quaſi per accidens ad creaturas, accidit enim Verbo, ut per ſe creaturæ dicantur.* 1. vero p. q.37. art.2. ad 3. hæc habet; *Sicut Pater dicit ſe, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, in quantum Verbum genitum repræſentat Patrem; & omnem creaturam, ita diligit ſe, & omnem creaturam Spiritu Sancto, in quantum Spiritus Sanctus procedit, ut amor bonitatis primæ, ſecundum quam Pater amat ſe, & omnem creaturam, & ſic etiam patet, quod reſpectus importatur ad creaturam & in Verbo & in amore procedente quaſi ſecundario, in quantum ſcilicet bonitas, & veritas divina eſt principium intelligendi, & amandi omnem creaturam.* Vides primo quomodo S. Th. ſumit objectum ſecundarium, non eo pacto, quo ſumuntur attributa, & perſonæ, quæ ſunt intra Deum, ſed tanquam aliquid conſequens & accidentarium; ne ſecundus textus opponatur primo. Vides ſecundo, quomodo ita loquatur de cognitione ex creaturis, ſicut de amore erga creaturas, & ita inquit ex hoc procedere Spiritum Sanctum, ſicut ex illa procedit Verbum; atqui in confeſso eſt apud Thomiſtas, Spiritum Sanctum non procedere ex amore erga creaturas, niſi concomitanter & per accidens, ergo etiam dici debet, hoc tantum modo Verbum procedere ex cognitione habita ex creaturis.

48. Sed jam rem perficiamus ea proponendo, quæ contraria eſſe videntur. Atque imprimis nobis opponitur ratio, quæ validior apparet, & fortaſſe unica. Verbum divinum, quale de

de facto eſt procedit per ſe, & formaliter ex cognitione comprehenſiva Dei, & hac ratione etiam a nobis dictum fuit, procedere ex cognitione attributorum, & perſonarum, ſed nequit procedere ex cognitione comprehenſiva Dei, niſi procedat ex cognitione poſſibilium, ergo. prob. mi. nequit procedere ex cognitione comprehenſiva Dei, niſi procedat ex cognitione comprehenſiva divinæ omnipotentiæ, ſed nequit procedere ex cognitione comprehenſiva omnipotentiæ, niſi procedat ex cognitione poſſibilium, cum divina omnipotentia eſſentialem ordinem, & connexionem habeat cum poſſibilibus, ergo.

49. Reſp. multis momentis ex hoc argumento nihil concludi. 1. in ſententia mea falſum eſt, divinam omnipotentiam habere eſſentialem ordinem & connexionem cum poſſibilibus, cum ſi poſſibilia deſtruerentur, adhuc omnipotentia divina invariata perſeveraret; Secundo nimis probare, etenim ad cognitionem comprehenſivam divinæ eſſentiæ, ex qua procedit Verbum, non ſolum requiritur cognoſci poſſibilia, ſed etiam omnia decreta libera conditionata, abſoluta, & omnia futura contingentia, ideo ſequeretur, quod etiam ex horum cognitione Verbum gigneretur. Tertio dico, Verbum divinum procedere ex cognitione comprehenſiva divinæ eſſentiæ, ac omnipotentiæ, & poſſibilium, non ita ut hæc cognitio poſſibilium præexigatur per ſe & formaliter ad generationem Verbi, ſed tantum ut ſit concomitanter & acceſſorie, quatenus in ſcientia Patris, & in Verbo reluceant omnia factibilia, & per ipſum Verbum jam genitum omnia repræſententur, ſicuti a nobis probatum fuit.

50. Si autem velint reſponſionem Sancti Thomæ, per quam magis corroboratur & noſtra, ſciant, ab ipſo in 1. diſ. 27. q. 2. art. 3. duplicem comprehenſionem diſtingui, unam, qua comprehenditur cauſa ſecundum eſſe abſolutum ut in ſe eſt, aliam, qua comprehenditur cauſa cum reſpectu ad omnes effectus, ex priori comprehenſione fuit genitum Verbum, non ex ſecunda. Ipſe S. Th. loquatur *Cum ipſe Deus*, ecce illius verba, *ſit ſimilitudo & ſpecies omnium rerum, duplex converſio intellectus poteſt fieri in ipſum; vel abſolute, ſecundum quod res quædam, vel in quantum eſt ſimilitudo omnium rerum; & utroque modo ſeipſum Deus cognoſcit, & ſupra ſe convertitur, quamvis non diverſa, ſed eadem operatione. Unde ſi Verbum accipitur, prout conſequitur intuitum intellectus divini, ſecundum quod abſolute ſe ipſum intuetur, ſic Verbum abſolute dicitur in divinis ſine reſpectu ad creaturas, ſive eſſentialiter, ſive perſonaliter dicatur; Si vero Verbum conſequatur intuitum intellectus divini, prout convertitur ſupra ſe, in quantum eſt ſimilitudo omnium rerum, & exemplar, tunc etiam in Verbo accipitur reſpectus ad creaturas, ut eſt reſpectus artis ad artificiata, & ſic proprie Verbo competit nomen artis.* At eſſe artem, & exemplar factibilium competit Verbo tantum de concomitanti, & per accidens, ergo.

51. Si tandem velint reſponſionem Scoti, iſte in Report. 1. diſ. 36. q. 1. ſibi opponit. Qui apprehendit virtutem eſſentiæ, cognoſcit omnia, ad quæ ſe extendit virtus illius eſſentiæ, ſed Deus perfecte cognoſcit virtutem ſuæ cauſalitatis, ergo omnia cognoſcit, ad quæ ſe extendit ejus cauſalitas. reſpondet; *Hoc poteſt intelligi bene, & male, quia ſi intelligitur quod comprehenditur virtus cauſæ in hoc, quod cognoſcuntur ea, ad quæ ſe extendit, hoc non eſt verum, quia in iſto, in quo Pater eſt beatus, eſt comprehendens ſe, & virtutem ſuam perfecte, & tamen in illo ſigno non eſt neceſſe, quod cognoſcantur illa, ad quæ ejus cauſalitas ſe extendit, quia etſi nulla eſſent ab eo cauſabilia extra, non eſſet minus beatus, quam nunc eſt.*

Habe-

Digitized by Google

Habetur igitur juxta Scotum cognitionem Dei eſſe comprehenſivam quantum ſpectat ad perfectiſſimam beatitudinem, & aliam comprehenſionem etiam per reſpectum ad creaturas de concomitanti, & tantum per accidens ſe habere, quod etiam traditur ab Auguſtino dicente 5. Confeſſ. *Beatus eſt, qui te, & illa novit*, ideſt creaturas, *ſed non beatior propter illa*. igitur etiam tantum de concomitanti & per accidens ad productionem Verbi,

52. Op. 2. Cognitio poſſibilium in Patre eſt prior Verbo, ergo non eſt, cur Verbum ex illa non procedat; antec. eſt certum, quia in eſſentia divina omnia repræſentantur, unde ſicuti cognitio eſſentiæ prior eſt, ita cognitio poſſibilium. Præterea, ita loquendum de Verbo, ſeu ſpecie expreſſa, ſicut de eſſentia, quæ eſt adinſtar ſpeciei impreſſæ, ſed eſſentia per ſe & formaliter repræſentat Patri omnia poſſibilia, ergo etiam Verbum &c.

53. Reſp. quod ſi intellectus Patris uno & eodem actu, etiam ratione, cognoſcit eſſentiam, & in eſſentia poſſibilia, quod negari poſſet, hujuſmodi cognitio per ſe, & formaliter fæcunditatem habet ad gignendum Verbum ex vi eſſentiæ, & reliquorum, quæ intrinſece & formaliter ſunt in Deo, non vero creaturarum; quæ tantum extrinſece, concomitanter, per accidens, & titulo infinitatis in divina cognitione eſſe debent, & ideo illa prioritas cognitionis quantum ad poſſibilia, tali pacto ſe habet; alioquin ſi ex hac prioritate id poſſemus concludere, eadem ratione dici deberet, etiam ex cognitione futurorum, & exiſtentium Verbum procedere, quia etiam hæc fuerunt in eſſentia ab intellectu paterno perfectiſſime percepta. Ex hoc ad ſecundum. & negatur minor argumenti.

54. Op. 3. Eſſentiam divinam repræſentare poſſibilia, eſt aliqua ejuſdem perfectio, ſed omnis perfectio eſſentiæ divinæ per ſe pertinet ad productionem Verbi, ergo repræſentare poſſibilia ſpectat per ſe ad productionem Verbi.

Reſponſio jam data eſt, eſſe ejuſdem perfectionem extrinſecam, concomitantem, & acceſſoriam, cum æquali modo eſſet perfecta eſſentia divina, etiamſi per impoſſibile illa omnia non repræſentaret; repræſentat etiam, & eſt ejus perfectio, exiſtentia, & futura, nec tamen &c.

55. Supereſt modo, ut aliquos textus Sancti Thomæ, nec non Sancti Auguſtini perpendamus. Equidem, quantum attinet ad S.Th., dici poſset, fuiſſe in ſententia oppoſita, ut in aliis contingit; quia tamen pro noſtra opinione ejuſdem doctrinam protulimus, ideo ea loca, quibus contrarium docuiſse videtur, opus eſt, explanemus. Dicit autem 1. p. quæſt. 34. art. 3. in corp. *Quia e uno actu, & ſe, & omnia intelligit, unicum Verbum ejus expreſſivum eſt non ſolum Patris, ſed etiam creaturarum*. q. 4. de verit. art. 1. in corp. *Filius ex hoc ipſo, quod eſt Verbum perfecte exprimens Patrem, exprimit omnem creaturam, & hic ordo oſtenditur in verbis Anſelmi, qui dicit, quod Pater dicendo ſe, dicit omnem creaturam*, quodl. 4. art. 6. in corp. *Sicut Deus eadem ſcientia ſcit ſe, & omnia alia, ita etiam eodem Verbo exprimit ſe ipſum, & omnia alia, nec eſſet ejus Verbum perfectum, ut Auguſtin. lib. 15. de Trinit. dicit, ſi aliquid minus eſſet in Verbo ejus, quam in ejus ſcientia*. Tandem redeundo ad hanc q. art. 1. ad 3. *Pater intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ ejus ſcientia continentur, concipit Verbum, ut ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura*. Suffragatur vero S.Auguſt. qui lib. 15. de Trinit. cap. 14. expreſſe inquit. *Novit omnia Deus Pater in ſeipſo, novit in Filio, ſed in ſe ipſo tanquam ſe ipſum, in Filio tanquam Ver-*

Verbum ſuum, quod eſt de iis omnibus, quæ ſunt in ſe ipſo.

56. Age modo; & concludas neceſse erit, etiam ex cognitione exiſtentium, & futurorum Verbum divinum per ſe, & formaliter procedere; dicamus ergo, ne tantum Doctorem ſibi contradixiſse fateri audeamus, loqui de Verbi proceſſione & ſecundum ea, quæ per ſe, & formaliter requiruntur, & ea, quæ de concomitanti & per accidens ſunt; Jam de Anſelmi mente dictum eſt; atque eodem pacto etiam explicandus eſt S. Auguſtinus, quem loquutum eſse de ſcientia omnium creaturarum, non tantum poſſibilium, manifeſtum eſt ex initio ejuſdem capitis, atque ex aliis locis.

57. Prætērire hic non poſſum argumentum quodam, quo videtur probari, poſſibilitatem creaturarum eſſe magis formaliter neceſſariam, quam Verbi productionem, nempe; Si Verbum per impoſſibile non eſſet, adhuc creaturæ eſſent poſsibiles, quia ſi Verbum non eſſet, adhuc Deus eſſet unus, productio autem creaturarum pertinet ad Deum, ut unum, non ut trinum; ergo neceſsitas creaturarum non oritur a neceſsitate Verbi; è contrario ſi creaturæ non eſſent poſsibiles, Verbum non eſſet, ſaltem eo modo, quo nunc eſt; itaque &c.

Reſp. quantum ad hoc ultimum, quod ſicuti ſi creaturæ non eſſent poſſibiles adhuc Deus eſset, ſicut nunc eſt, cum a creaturis nihil recipiat in ſui intrinſeca, & formali perfectione, ita formaliter & per ſe idem eſset Verbum; Quantum vero ad primum; tranſmitto loquendo abſolute, quod ſi Verbum abſolute non eſset, adhuc creaturæ eſſent poſibiles, nego tamen quod ſi Verbum non eſset, adhuc Deus eſset unus, quia ſi Verbum non eſset, Deus non eſset; oſtendo. Deus non eſset, ſi natura divina non eſset perfectiſſime fæcunda, ſed ſi Verbum non eſset, natura divina non eſset perfectiſsime fæcunda, ergo. Dici tamen poteſt utrique argumento; ambas illas propoſitiones conditionales eſse veras; ſed tantum inſerri, quod ſicuti ideo Creaturæ eſſent poſsibiles, ſi Verbum non eſset, quia Verbum de concomitanti ſe habet ad creaturas, ita Verbum eſset, quamvis creaturæ non eſsent poſsibiles, quia iſtæ tantum de concomitanti ad Verbi productionem.

Ex his habes, multo minus per ſe, & formaliter Verbum procedere ex cognitione futurorum, quin de hac re aliquam novam difficultatem proponam.

ARTICULUS IV.

An Verbum ſit Deus.

58. PRæcipuum punctum hujuſce tractatus tandem attingimus, in quo Religionis Chriſtianæ fundamentum ita ſitum eſse, fateri debemus, ut ſi hoc corrueret, ac everteretur, vana foret & commentitia noſtra fides. Plura quidem de hac re a nobis dicta ſunt in tractatu de incarnatione, ubi demonſtraturi contra Neſtorium, Chriſtum & Verbum unam eſse perſonam, probavimus Chriſtum eſse Deum, & contra Eutichen, in Chriſto eſse duplicem naturam, Chriſtum oſtendimus eſse non ſolum Deum, ſed etiam verum hominem ſine aliqua confuſione, permixtione, & converſione; Nihilominus magis ex inſtituto de Verbi divinitate nunc diſserendum eſt, cum ad id non ſolum hæreſis Ariana, ſed etiam Socinianorum pervicacia nos compellat, & quia non eadem ſunt Arianorum, ac Socinianorum figmenta, non eædem cavillationes; ideo diſtinctè contra ipſos agendum eſse arbitror; & primo contra Arianos. Ideo.

§. I.

§. I.

Oſtenditur contra Arianos Verbum eſſe Deum, & conſubſtantialem Patri.

59. ANtequam id oſtendendum ſuſcipiam, de voce *Homouſios* aliquid præmittendum eſſe, judico; quæ vox latine reddita ejuſdem ſubſtantiæ rem ſignificat; ideſt *conſubſtantialem*. De hac voce non levis in eccleſia Chriſti fuit diſſenſio; ideo tanquam nova rejecta fuit a Concilio Ariminenſi, ut teſtantur Athanaſ. in epiſt. de Synodis Ariminenſi, & Seleucienſi, nec non S. Auguſt. lib. 3. contra Maximin. cap. 14. Idem contigit etiam in Concil. Sirmienſi, ut narrat Epiphan. hæreſi 73. imo Conſtantin. Imperator in epiſt. ad Alexandrum, & Arium ait, hanc inquirere dignum non eſſe, neque de ea quærentibus reſpondere. Præter hæc omnia refert Hilarius in fine libri de Synodis etiam Patribus Concilii Antiocheni adverſus Paulum Samoſatenum eam parum placuiſſe, cum facile confundi poſſet cum alia voce *Homeuſion*, quæ non eandem, ſed ſimilem ſubſtantiam ſignificabat, quæve tam alacri animo, pervicacique mente a Semiſarianis uſurpabatur; neque immerito hoc a ſe fieri arbitrabantur, utpote quia non in ſacris ſcripturis inventa, a ſolis Patribus in Concilio Niceno originem habuiſſe, diceretur.

60. Parum tamen hæc omnia ad hujuſce vocis evitationem urgere poſſunt; etenim ſi de Conciliis Ariminenſi, Seleucienſi, &c. loqui velimus, hæc non concilia, ſed Diaboli ſynagogæ ſunt appellanda; Conſtantinus vero excuſandus, cum utramque partem componere vellet, nec ſatis hæreticorum fraudem percipiens, de ſola voce contentionem eſſe, arbitrabatur. Non ita vero differendum de Concilio Antiocheno reſpuente illam, non quia reſpuenda foret, ſed in ſenſu Samoſateni, qui illa abutebatur ad indicandam, antequam oriretur hæreſis Ariana, naturæ ſimilitudinem, eo pacto quo reperitur inter duos homines, ita ut ſpecie eadem eſſet, numero vero diverſa, aut quod verius exiſtimo, quia aſſerebat Samoſatenus Chriſtum etiam quo ad corpus Patri eſſe conſubſtantialem; Quod tandem in ſacris litteris non reperiretur, parum refert, cum licet non reperiatur quantum ad vocis expreſſionem, reperiatur tamen quantum ad ſui ſignificationem, dicente Chriſto, *Ego & Pater unum ſumus*; atque idem dicere poſſumus de alia voce *Homeuſion* cum neque iſta aliquo pacto in ſcripturis legatur.

61. Merito igitur, nec ex arbitrio proprio, hac voce uſi ſunt Patres Niceni, utpote quæ unico ictu Arianos confunderet, eorumque hæreſim profligaret, una ſimul cum Sabellianis, etenim non tantum indicat eamdem naturam, ſed etiam diſtinctionem perſonarum, ut adnotarunt Athanaſ. in epiſt. de Synodis Arimin. & Seleuc., Baſilius in epiſt. ad ancil. Dei, Ambroſ. lib. 3. de Fide cap. 7. Hilar. lib. de Synod. Auguſt. epiſt. 174. Iſidor. lib. 7. ethimol. & præ ceteris Epiphan. in Anchorano dicens per hoc differre *Homouſion* a *Synuſion* quod, hoc ſignificat tantum unitatem ſubſtantiæ, non vero aliquam diſtinctionem.

62. Tot autem nobis ſe exhibent, ad catholicum dogma probandum ſcripturæ ſanctæ teſtimonia, ut ſi omnia proferre placeret, ferme deficeret calamus; Idcirco illuſtriora, nec non validiora proferemus, atque illa a falſis explicationibus vindicabimus. Incipiat dilectus Chriſti Jeſu diſcipulus, qui ſicuti ſupra pectus domini in cœna recubuit, ita de Unigenito, quem dixit eſſe in ſinu Patris, clarius diſſertiuſque locutus eſt. *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; *Hoc erat in principio*

cipio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil &c. In hiſce verbis non tantum Ariana hæreſis proteritur, ſed aliæ quæcumque hujuſce generis. Si erat in principio, nullo concluditur tempore, nullo prævenitur principio; ſi erat apud Deum, non commiſtione confunditur, ſed manentis Verbi ſolida perfectione diſtinguitur; Si Deus erat Verbum, non in prolatione ſermonis hoc Verbum eſt, ſed in unitate ſubſtantiæ; ſi omnia per ipſum facta ſunt, non igitur factum per quod omnia ſunt facta. Hæc ſub aliis terminis habet Ambroſ. lib. 1. de Fide ad Gratian. cap. 5. *Erat*, inquit, *apud Deum; Erat, erat, erat, erat, ecce quater erat, ubi impius invenit, quod non erat.*

63. Etſi clarum ſit hoc teſtimonium; illud tamen aliorum Sanctorum Patrum opus eſt illuſtremus intelligentia; ſunt enim aliqui, ut Maldonatus, & Beza, qui Verbum illud *in principio* intelligunt in prima rerum conditione, primaque mundi origine, ita ut Verbum, quando facta ſunt omnia, factum non ſit, ſed jam extiterit, ex qua explicatione, licet pro Arianis argumentum deſumi non poteſt, cum hoc Verbum dicatur Deus, attamen pro Verbi æternitate contra ipſos firma probatio non haberetur, cum & ipſi concedant, ante mundi creationem fuiſſe productum, tanquam aliarum rerum creandarum ad miniſtrum; quo circa hoc ſolo titulo reſpuenda eſt. Aliter ergo Sancti Patres id intellexerunt, Athanaſ. lib. 5. adverſus Arian., Gregor. Nyſſen. lib. 3, contra Eunom., Cyril lib. Theſauri cap. 32. inquiunt, in *principio* idem ſignificare quod in Patre; Admitto; vere enim Verbum fuit ſemper in Patre, cum dicat Chriſtus, *Ego in Patre*; Sed melius illi, qui in principo dixerunt, innuere ante omnia ſæcula, & in perfecta æternitate; Tales ſunt Hilarius lib. 2. de Trinit. dicens: *Quid eſt iſtud, in principio erat? Tranſeuntur tempora, tranſcenduntur ſæcula, tolluntur ætates. Pone aliquid quod voles tua principium opinione, non tenes tempore, erat enim unde tractatur. Reſpice ergo ad mundum, & intellige de eo, quid ſcriptum ſit: In principio creavit Deus cœlum & terram; Fit ergo in principio, quod creatur, & ætatem continet, quod in principio continetur, ut fieret; Meus autem piſcator illiteratus, indoctus, liber eſt a tempore, ſolutus a ſeculis, vicit omne principium; Erat enim quod eſt, neque in aliquo concluditur, ut cæperit, quod erat potius in principio, quam fiebat.* Auguſtin. lib. 1. de Trinit. ſcribens; *In eo declaratur, non tantum, Deum eſſe, ſed etiam ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, quia cum dixiſſet, Et Deus erat Verbum, hoc erat, inquit, in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, Neque enim dicit omnia, niſi quæ facta ſunt, ideſt omnem creaturam; Unde liquido apparet ipſum factum non eſſe, per quem facta ſunt omnia, & ſi factus non eſt, creatura non eſt; Si autem creatura non eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſt &c.* Tandem, ut prætercam alios quam plurimos; Cyril. inquiens lib. 4. in Joan. cap. 6. *Verbum erat, infinite pronuntiatum, quonam in loco non ſiſtet, cum proſequentem mentem natura ſua ſemper antevertat? & quam illius deſitionem eſſe putaveris, hanc ulterioris curſus facit initium.*

64. Secundum teſtimonium, idem mirifice probans, eſt illud Chriſti domini Joan. 10. *Ego & Pater unum ſumus.* In hoc Sabellianorum, & Arianorumm veſaniam retundi ac damnari compertum ſit, quod peregregie adnotavit Auguſtin. tract. 35. in Joan. dicens. *Non dixit, Pater ego ſum, aut, ego & Pater unum eſt, ſed cum dicit, Ego & Pater unum ſumus, utrumque audi, & unum, & ſumus; In duobus iſtis Verbis, quod dixit, unum, liberat te ab Ario:*

Ario: quod dixit ſumus, liberat te a Sabellio; Si unum, non ergo diverſum; ſi ſumus, ergo Pater, & Filius. Sumus enim non diceret de uno, ſed unum non diceret de diverſis; atque eadem ferme eodem modo habet Ambroſ. lib.3. de Spiritu Sancto cap.28. præter Cyril.

65. Hujuſce tamen argumenti vim eludere putabant Ariani, dicentes, ibi ſermonem non eſſe de unitate eſſentiæ, naturæ, ac ſubſtantiæ, ſed conſenſionis, ac concordiæ voluntatum per gratiam & charitatem, quod colligi videtur ex eodem capite, ubi dicitur Chriſtus rogaſſe pro diſcipulis; *Ut omnes unum ſint, ſicut nos unum ſumus*: ſed non poterant eſſe unum, niſi unitate charitatis, & concordiæ, ergo ſimiliter Pater & Verbum hujuſmodi tantum unitate ſunt unum; Idque confirmari poteſt aliis ſimilibus ſcripturæ textibus; Actorum 14. legitur. *multitudo credentium erat anima una, & cor unum*. 1. ad Corint. cap.6. *Qui adhæret Deo, unus Spiritus eſt*.

66. Explicationem hanc prorſus improbant Sancti Patres, & primo Sanctus Hilarius, qui poſtquam lib.8. de Trinit. de fidelium unitate etiam majori quam ſolius concordiæ & conſenſionis, ait, multo præclarariorem atque excellentiorem eſse Patris Filiique unitatem, *nec enim*, inquit, *per Sacramentum diſpenſationis unum ſunt, ſed per naturæ nativitatem*; *dum nihil in eo exſe Deus eum gignendo degenerat*. Secundo Sanctus Auguſtinus, qui ſubtiliter lib.3. contra Maximin. cap. 20. rem hane pertractat, & dicit; *Quando de rebus duabus, aut pluribus dicitur, unus eſt, vel una eſt, & additur quid unus, vel quid una, & de his, quæ diverſæ, & de his, quæ unius ſunt ſubſtantiæ dici poteſt; Diverſæ enim ſubſtantiæ ſpiritus hominis, & Spiritus Domini, & tamen dictum eſt, Qui adhæret domino, unus ſpiritus eſt; Unius autem ſubſtantiæ ſunt animæ hominum, & corda hominum, de quibus dictum eſt, Erat illis anima una, & cor unum. Ubi autem dicitur de duobus, vel pluribus, unum ſunt, nec additur quid unum ſunt, non diverſæ intelliguntur, ſed unius eſſe ſubſtantiæ, ſicut dictum eſt, Ego & Pater unum ſumus*. Rogavit igitur Chriſtus Patrem, ut diſcipuli unum eſsent, quemadmodum ipſe & Pater unum ſunt per quamdam imitationem & ſimilitudinem juxta hominum capacitatem, non tamen juxta illum perfectum modum, quo ipſius & Patris eſt unitas; dixit etiam Chriſtus Mat. 5. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater cæleſtis perfectus eſt*; nec tamen fieri poterat, ut eam, quæ propria Dei eſt, perfectionem aſsequerentur.

67. Sed revera ibi de unitate naturæ, ac ſubſtantiæ locutum eſse Chriſtum manifeſtum fit, ſi totum contextum perlegamus; & in eo plura ineluctabilia momenta colligimus; 1. Judæi hæc ab ipſo audientes, eum lapidibus obruere pertentarunt, & cauſam reddiderunt; *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia homo cum ſis, facis te ipſum Deum*. Si autem feciſset tantum ſe Deum propter concordiam, & conſenſionem, non erat cur eum lapidarent, & blaſphemum aſsererent, cum de aliis Sanctis viris, ac Prophetis dictum fuerit; Secundo Chriſtus non ſe excuſat, nec Judæorum corrigit mentem, ſed quod dixerat magis confirmat, ſubdens, ſi illi, ad quos ſermo Dei factus eſt dicuntur Dii, *quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum*. ubi, ut adnotavit Hilar. lib.7. de Trinit. a minori ad majus conficit argumentum; Deinde ſequitur idem probaturus. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Quid ultra dici potuiſſet, ad ſuam

ſuam naturam eamdem omnino cum illa Patris declarandam? Hiſce ſimilia pluries dixit; Joan.5. *Pater meus uſque modo operatur, & ergo operor. Sicut habet Pater vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio, habere vitam in ſemetipſo; Quæcumque fecerit Pater, hæc & Filius ſimiliter facit. Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium. ſicut honorificant Patrem.* in quibus eadem operatio, eadem vita, eadem poteſtas, idem honor Patri, Filioque tribuuntur; Cur non igitur eadem natura? Amplius cap.14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem.... Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* cap.15. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt.* cap.17. *Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.* Quod ſi Joan. 5. dicitur, *nihil quidquam a ſe poſſe facere.* quid inde? hoc non probat, non habere eamdem ſubſtantiam, eamdem poteſtatem, ſed ſolum habere ſubſtantiam & poteſtatem per generationem communicatam a Patre.

68. Proſequatur idem Apoſtolus, & quod in Evangelio tradit, in ſua epiſt.1.cap.5. magis exponat; dicit autem ſic. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.*

Contra hunc textum adeo clarum reponunt; 1. iſta verba addita eſſe, nec fuiſſe S. Joannis. 2. etiam admiſſo, textum eſſe germanum, nihil probari; etenim ſubditur; *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* atqui hi tres non ſunt unum eſſentia, & ſubſtantia, ſed ſolum teſtimonio, ergo ſimiliter Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

69. Quantum ad primum, hic, quæ dici poſſent, prætermitto, non enim hæc Arianorum, ſed Socinianorum reſponſio eſt, quam Richardus Simon in hiſtoria critica novi teſtamenti totis viribus defendere conatur, proinde cum de Socinianis agetur, diſcutiendum occurret. Ad ſecundum in primis, dum, de tribus teſtibus in terra, Spiritu, Aqua, & Sanguine ſit ſermo, legitur in textu hebræo, *& hi tres*, non unum ſunt; *ſed in unum ſunt*, ideſt ad unum teſtificandum conveniunt; deinde, in pluribus manuſcriptis codicibus deſiderari poſſunt hæc poſteriora verba, nequaquam inveniri; Hæc eſt reſponſio, quam unice adhibet Tournelj, ſed nullo modo placet, nam, ut alicui argumento reſpondeamus, non debemus vulgatæ noſtræ, adeo a Tridentino Concilio, & ab univerſali Eccleſia receptæ, lectione recedere; aliter & adverſarii noſtri ad alia exemplaria confugient; & vix aliquid concludemus.

70. Aliter igitur occurro argumento; atque utinam occurriſſent alii Doctores, apud quos tamen nihil inveni; 1. dico, quod ſi ita de Patre, Verbo, & Spiritu Sancto loqui deberemus, ſicut de ſpiritu, aqua, & ſanguine intentum ſuum non haberent hæretici; nam neque aqua eſt inſtrumentum, nec ſanguis efficacia, ſeu virtus ſpriritus, ſicut ipſi dicunt de Filio, & Spiritu Sancto; imo non tantum deberent differre numero, ſed etiam ſpecie, ſicut ſpecie differunt ſanguis, & ſpiritus; Ex quo ſecundo reſpondeo, non omnem ſimilitudinem, & æqualitatem ſignificatam eſſe in allato exemplo, ſed majorem unitatem eſſe in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quam in ſpiritu, aqua, & ſanguine; & tantum tenet objective, ideſt ad id, cujus teſtimonium perhibebant, non ſubjective, & in ſe; Porro Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus teſtabantur eamdem veritatem in cælo, nempe Chriſtum eſſe Filium Dei, quam in terra teſtabantur ſanguis & aqua, quæ in ipſius morte de latere fluxerunt, & ſpiritus, quem poſt tot tormenta exclamans emiſit; Unde hæc videns Centurio dixit Marci 15. *Vere hic homo Filius Dei erat.* Tandem etiam admiſſo hæreticorum

rum argumento, nihil contra nos admitteretur, quia hæc teſtimonia, ſive ſint unum, ſive non, affirmant Filii divinitatem,ergo quidquid dicatur,Filius verus eſt Deus.

71. Alios quam plurimos textus prætereo, quia directe ſunt de Chriſto, quos propterea afferam contra Socinianos, pluresque jam attuli contra Neſtorium in tertio tomo de Incarnatione, quos oportebit in hoc tractatu amplius promovere, atque ab alienis interpretationibus vindicare. Idem etiam amplius declararo poſſem perpetua Sanctorum Patrum traditione, ſed de Nicænis dubitare non poſſumus, de Antenicęnis plura dixi ſub initio tractatus; Plures etiam retuli laudato loco contra Neſtorium;Quamobrem operæ pretium duco eadem non repetere.

Eſſent hic afferenda, nec non reiicienda Arianorum argumenta, ſed quia & Sociniani iiſdem prorſus utuntur, ideo prætermittenda ſunt, ut inde omnia colligantur.

§. II.

Oſtenditur eadem veritas contra Socinianos.

72. Eiſdem argumentis, quibus Arianam hæreſim confutavimus, etiam Sociniana proteritur pervicacia, contra quam tamen alia addenda ſunt, cum & ipſa Arianæ non nulla addiderit inſana; & longe peiora. Docuerunt Sociniani, Chriſtum non eſſe verum Deum, hoc & Neſtoriani; Sed diverſis ex capitibus, quamvis utraque falſa; etenim Neſtoriani ideo negabant Chriſtum eſſe verum Deum, quia perſonam Chriſti diſtinguebant a perſona Verbi; ſolamque moralem unionem Verbi cum humanitate fatebantur, e contra Sociniani negant Chriſtum eſſe verum Deum,quia ipſum Verbum Deus non eſt, imo Chriſti perſona, antequam ex Beata Virgine naſceretur, non erat niſi in mente Dei per præviſionem, ac prædeſtinationem, in quo Arianam impietatem excedunt, cum licet hæc negaverit, Verbum eſſe Patri conſubſtantiale, affirmaret tamen eſſe ante omnem creaturam, imo fuiſſe inſtrumentum, quo Deus uſus eſt ad omnium creaturarum productionem. Dixerunt propterea Chriſtum eſſe Deum, ſed per gratiam ſolum & adoptionem,non per ſubſtantiam & naturam,eo pacto quo Moyſes dictus fuit Deus Pharaonis, & in ſcripturis viri præcellentes, & in poteſtate conſtituti Dii appellari conſueverunt. Porro ex iis, quæ contra Neſtorium adduximus probaturi Chriſtum & Verbum eſſe unam perſonam, ſatis etiam Socinianum ſiſtema deſtruimus, & quamvis plura alia proferre non prohiberemur, attamen ne infinitus in hac re fiat calamus noſter, textus illos hic denuo producemus, atque futiles, inaneſque Socinianorum reſponſiones demonſtrabimus.

73. Sit tamen prius hoc argumentum, quod directe eſt contra Socinum; Verbum eſt Deus, & divina perſona, ſi Chriſti perſona,(hoc enim intelligimus nos Catholici, dum Chriſtum nominamus, neque enim dicimus Chriſti humanitatem fuiſſe æternam conſubſtantialem Patri,& antequam a Virgine naſceretur) eſt Deus, ſed Chriſti perſona eſt Deus, ergo. prob. mi. & nunc textus ibi allatos ſaltem præcipuos expono.

74. Primus textus erat iſte ad Rom. 8. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum* & cap. 9. *Ex quibus eſt Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*. nota dici Chriſtum *Deum ſuper omnia* ideſt Deum ſummum, & ideo illum non diſtinguit ab illo, de quo dixit ad Epheſ.4. *Unus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes*, nota, dici benedictum in ſæcula, ut eum æternum fateatur.

75. An

75. An dicis, ita appellari filium propter miram, & ineffabilem ejus ex Spiritus Sancti virtute conceptionem? An propter ſublimitatem donorum quibus à Deo ditatus fuit, & excellentia munera, quæ obivit? An propter admirabilem ipſius a mortuis reſurrectionem? An propter maximam in res omnes poteſtatem? Ita ſane Sociniani dicunt; ſed falluntur. Meminiſſe oporteret, de hoc proprio filio dictum eſſe Mat. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. de hoc Joan. 1. *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit* de hoc ad Coloſ. 1. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Adamus a ſolo Deo immediate productus fuit; Moyſes mediator fuit inter Deum, ac prævaricatores judæos, Apoſtoli omnes chariſmatum dona acceperunt, Angeli excellentiſſimis gratiæ donis cumulati fuerunt, nemo tamen proprii filii Dei nomen accepit. Unde Apoſt. ad Hebr. 1. *Cui Angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quod vero dicis de reſurrectione, atque ſuper omnes res maxima auctoritate, hoc ipſum peobat fuiſſe Deum, qui ſe ipſum ut hominem excitavit a mortuis, ſicut ipſe prædixerat.

76. Secundus textus erat ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens*. Si in forma Dei, ergo Deus, ſicuti quia in forma ſervi, ergo homo. Si non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ergo æqualitas cum Deo non eſt ſibi res aliena, & extranea.

Audio Socinum reſpondentem, neque per formam Dei intelligi naturam divinam, neque per formam ſervi naturam humanam, ſed ſolum quamdam externam ſpeciem conſiſtentem in actionibus Dei, quando imperabat mari, ventis, ſebribus, & ipſi morti, & in actionibus ſervi, quando majeſtate depoſita hoſtium ſuorum, ſe poteſtati permiſit, atque capi, flagellari, damnari, crucifigi paſſus eſt. Adeo plauſu digna viſa eſt hujuſmodi reſponſio, ut in eadem perſtiterit Schlingius, & eam approbaverit Eraſmus.

77. Quod vero nos diximus, non rapinam arbitratum eſſe, ſe eſſe æqualem Deo, ita explicant, ut nec tenacius id retinuerit, ſicuti ſolent raptores, nec ita habuerit, ut ad nutum id non depoſuerit, proinde ſe exinaniverit ſervilibus addictus paſſionibus, in quo ſummam Chriſti vitutem, modeſtiamque agnoſcendam eſſe, demonſtratur, Vetus eſt hic dicendi modus, qui legi poteſt apud Chryſoſt. hom. 6. in epiſt. ad Philip. & apud Auguſtinum lib. 2. contra Maximinum cap. 5. Ariani enim olim dixerant, Chriſtum non exiſtimaſſe rapinam, æqualitatem cum Deo, quia agnoſcebat ſibi indebitam fore, proinde ſe ipſum exinanivit.

78. Ut video, non ſolum negatur divinitas Chriſti, ſed etiam humanitas. Ita Sociniani omnium ferme hæreſum collectores fuerunt. Propter formam ſervi fuit Chriſtus verus homo, hoc probatum in noſtro tertio tomo, ergo propter formam Dei verus Deus; hoc eſt, quod contendimus; forma ſervi non fuit ſola ſpecies externa, igitur nec fuit hujuſmodi forma Dei. Quid igitur erit iſte Chriſtus, quem tamen iſti concedunt fuiſſe poſt Virginis partum? non Deus verus, non homo verus; phantaſma? phantaſmata non concipiuntur, non naſcuntur, non vivunt, non moriuntur. dicant potius, nec fuiſſe, antequam pareret Virgo, nec poſtquam peperit; dicant potius, ut vere Athei ſint, non eſſe Deum, & ſic facilius concludent, nec Chriſto convenire divinitatem; at ſi Deus eſt, etiam Chriſtus eſt Deus. Sed progredior ulterius, & inquiro, quando nam Chriſtus hanc formam Dei depoſuerit; Profecto, præſertim cum

ſe

ſe vinciri, ac cruci affigi permiſit, tunc enim humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; at ſi unquam ſtupenda ac ſplendida miracula edidit, tunc temporis id eveniſſe, compertum ſit, an non una voce impii ſatellites abierunt retrorſum? an non Malcho auriculam reſtituit? an non Latronem ſalvum fecit? velum templi ſciſſum eſt, terra contremuit, Sol obſcuratus eſt, ſepulchra aperta ſunt, & alia hujuſmodi, quæ à Sanctis Evangeliſtis deſcripta reperimus. Simul igitur & habuit formam ſervi moriendo, ſimul formam Dei, ea quæ ſolus Deus facere poteſt, efficiendo, unde & multi percutientes pectora ſua dixerunt, *Vere Filius Dei erat iſte*.

79. Secunda explicatio aliorum verborum, *non rapinam arbitratus eſt &c.* Primo ex dictis falſiſſima declaratur, cum æqualitatem cum Deo depoſuerit nunquam; Siccine virtutem, ac modeſtiam Chriſti Sociniane commendas, ut dicas in hoc maxime enituiſſe, quod æqualitatem eam Deo rapere noluerit? Siccine & tu Ariane? O præclaram laudem, non eſſe furem, non eſſe raptorem? O ſingulare encomium, non eſſe malum? Chriſti virtus non in negatione mali, ſed in affirmatione boni, & quidem ſummi, collocanda eſt, atque agnoſcenda.

80. Textus alii plures deſumebantur ex priori epiſt. S. Joannis, qui omnes reducendi ſunt ad id, quod idem Joannes in Evangelio cap. 19. dixit, nimirum; *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Atque etiam ad illam Petri confeſſionem Mat. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*.

81. Reſpondebunt ne, hoc dictum eſſe de filiatione adoptiva, & de divinitate tali nuncupative? Perperam abſque dubio. Quid enim magni, quid excellentis habuiſſet Petri confeſſio, ſi Chriſtum Filium Dei tantum adoptione prædicaſſet? Alii utique dixerunt, eſſe aut Jeremiam, alii Eliam, alii Joannem Baptiſtam, aut unum ex Prophetis, qui omnes erant Filii Dei adoptivi, neque tamen meruerunt, ut dicerentur beati, tanquam ii, quibus Pater cœleſtis revelaverit; Soli autem Petro reſponſum fuit; *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt*; aliquid ergo peculiare Petro revelavit Pater, quod latebat, nec ab aliis credebatur, eum ergo credidit filium Dei vivi, & verum Deum, ſicuti eſt Pater.

82. Sed quidquid dicant Sociniani, cur pro ſuaram reſponſionum efficacia & veritate aliquod non proferunt Sanctorum Patrum teſtimonium? Quod a nobis profertur, noſtro arbitrio nequaquam profertur, ſed prius id a Patrum conſenſione didicimus? Hoc videamus, ſiſtendo tantum in allatis textibus. *Qui proprio Filio ſuo non pepercit &c.* Audi Cyril. ad Monach. ut in actis Epheſ. Syn. *Ut enim proprium eſt hominis, & cujuslibet aliorum animalium; quod ex ipſo, & ſecundum naturam genitum eſt, ſic proprium Dei, quod ex ipſius ſubſtantia eſt, intelligi, appellarique debet.* Audi Hilar. lib. 6. de Trinitate illius dicti vim ſic expendentem. *Nunquidnam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis eſt nomen? Apoſtolus enim volens charitatem erga nos Dei oſtendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere noſceretur, non peperciſſe Deum proprio filio ſuo docuit; Nec utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturæ, ſed pro alienis ſuo, pro connocupandis proprio....* & infra. *Naturæ veritatem ſignificanter expreſſit, ut qui ſuperius filios plures per ſpiritum adoptionis demonſtraſſet, nunc unigenitum Deum filium proprietatis oſtenderet.*

83. *Qui non rapinam arbitratus eſt*

eſt &c. Quam præclare S. Leo Papa hom. de transfigurat. Domini. *Hic eſt Filius meus, qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetiit, nec uſurpatione præſumpſit, ſed manens in forma gloriæ ſuæ, ut ad reparandum genus humanum exequeretur commune conſilium, uſque ad formam ſervilem inclinavit incommutabilem deitatem.* Sanctus vero Auguſtinus clarius, & brevius in pſalm. 138. inquit. *Quare non rapina?* reſpondet. *quia natura.*

84. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis &c.* Hoc egregie declarat Hilarius lib. 6. *Scribendi*, inquit, *Evangelii non aliam prætulit cauſam, quam ut omnes crederent, Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei; Si ſufficit ad ſalutem credere Chriſtum, cur adjecit Filium Dei? Si vero Chriſtum credere ea demum fides eſt, non Chriſtum tantummodo, ſed Chriſtum Filium Dei crediſſe, non eſt nomen Filii in Chriſto unigenito Deo ex adoptionis conſuetudine, quod proprium eſt ad ſalutem. Si ergo ſalus in confeſſione nominis eſt, quæro, cur in nomine veritas non ſit, quod ſi in nomine veritas eſt, qua auctoritate creatio eſſe dicitur, cum non creationis confeſſio ſalutem ſit præſtitura, ſed Filii.*

85. Denique. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* De hac confeſſione ſic loquitur Fauſtinus perpendens verba Chriſti *Beatus es Simon &c. Magnum revera confeſſæ fidei Sacramentum eſt in Petri conſcientia, ut cum labiis dicit, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, in corde tamen habeat, quod non ſit verus Filius Dei vivi... Videamus ſi digne Petrus beatitudinis præconium conſequitur, credens in corde, quod non ſit verus Dei Filius, ſed adoptivus. Si digna hæc Patris revelatio eſt, & non potius carnis, & ſanguinis &c.* Ut igitur teneamus Patris dignam hanc revelationem, & Petrum veraciter beatum dictum eſſe, Chriſtum fuiſſe non adoptivum, ſed verũ, ac naturalem Dei Filium dicamus, fuit ergo perſona divina, extitit ergo, antequam de Virgine naſceretur. Socinus igitur obmuteſcat, &, ſi plurium hæreticorum errores in hæreſi ſua collegit, in omnium hæreticorum tenebris obruatur.

§. III.

Refelluntur Socinianorum reſponſiones contra primum textum adductum in §. I.

86. Duo ſunt textus, quibus Verbi conſubſtantialitatem in ſuperioribus probavimus, qui, cum mirifice Arianam, & Socinianam hæreſim proterant, eos ad varias explicationes compulerunt. Contra primum Joan. 1. *In principio erat Verbum &c.* plura excogitarunt, quæ hic omnia ſubdemus.

Neque vero hic memorabo, per illa verba; *In principio erat Verbum*, deſignari mundi initium, rerumque creationem; ſed ſolum exordium evangelii, quod Joannes ſcripſit, ita ut tunc Chriſtus eſſet; Quo pacto enim intelligi debeat Verbum illud, *in principio*, ſatis ex Auguſtino, Hilario, & Cyrillo diximus ſupra; Neque novum in Scriptura Sacra, ita explicari æternitatem, cum Iſaiæ 43. legatur; *Et ab initio ego ipſe, & non eſt, qui de manu mea eruat.* ubi loquitur ipſe Deus de ſeipſo, ſuam explicans æternitatem.

87. Potius prætereundum id non eſt, quo reponunt, Verbi nomine nequaquam ſubſiſtentem perſonam ſignificari, ſed ſolum munus, & officium perſonæ; Hoc autem evenit in Chriſto, qui erat purus homo, ſed dicebatur Verbum; quia ſicut voluntas noſtra per ſermonem explicatur, ita voluntas Dei ſignificata fuit per Chriſtum; qui, ſi per metaphoram appellatus fuit via, janua, lapis augularis, leo &c.; etiam Verbum appellari potuit; Fuit Salvator, & mediator ex munere, cur non & Ver-

& Verbum? Hæc figurata locutio frequens eſt in ſcrupturis; Aaron Exodi 4. dicitur *os Moyſis*. & Joan. Bapt. de ſe ipſo inquit; *Ego vox clamantis in deſerto*.

88. Vereor, ne iſtis Socinianorum inſcitiis, pluſquam par ſit, nauſeam legentibus ingeram; ſed in me, quæſo, indignatio nulla; aliena cogit audacia; Si dicam, in textu Joannis legi, *Et Deus erat Verbum*, an non ſatis convincuntur verba mendacii? Vis me ſcholaſtice loqui? audi Syllogiſmum. Voluntas Dei fuit ſignificata per Chriſtum, qui erat Verbum, ſed Deus erat Verbum, ergo voluntas Dei fuit ſignificata per Deum, Chriſtus igitur Deus erat. Quod vero metaphorice Chriſtus dicatur via, janua &c. non inficior; & hoc a munere habuit, cum nos ad æternam perduxerit vitam, tanquam via, per quam ſi quis non ambulat, præceps corruit, & tanquam janua, per quam ſi quis non ingreditur, paſcua non invenit, aut eſt lupus rapax; Sed ex uno nequaquam aliud inferri poteſt; Adducas mihi dictum eſſe, In principio erat via, & via, erat apud Deum, & Deus erat via; Sic tibi porrigam manum. Plura dicuntur metaphorice, plura veraciter; Primi generis ſunt, quæ attuliſti; Secundi generis alia, ut cum dicitur, Ego ſum veritas & vita, Hæc enim ſunt attributa divina, quæ ſi de Verbo dicuntur, probant, Verbum eſſe Deum. Inquis fuiſſe Salvatorem, & Mediatorem; Verum dicis; ſed ſcias Chriſtum non tantum fuiſſe Verbum & Deum, de quo ſermonem habet Joannes in capitis initio, ſed etiam hominem, de quo inde ait; & *Verbum Caro factum eſt*. Secundum quam, ut unitam ſibi, fuit Salvator & Mediator; imo non fuiſſet Salvator, & Mediator niſi fuiſſet verus Deus, quia juxta præſens divinum decretum nullus alius pro peccato ſatisfacere potuiſſet, ut tradidi in tertio tomo. Tandem; Aaron dictus eſt os Moyſis, nunquam tamen dictus eſt Moyſes, ſicut Deus dictus eſt Verbum; & ex hoc ipſo probaretur, Verbum eſſe ſubſiſtentem perſonam, ſicut Aaron, os Moyſis, erat perſona ſubſiſtens; Joannes vero appellavit ſe vocem clamantis in deſerto, erat tamen verus homo, & præcurſor hominis Dei. Qua propter &c.

89. Si denique illa verba; *Verbum erat apud Deum* exponerent per hoc; *Verbum erat notum Deo in ſui decreto, ac prævisione*; quid inconvenientius dici poſſet? Omnes creaturæ hoc pacto ſemper fuerunt apud Deum, nec tamen de ipſis dicitur, creaturæ erant apud Deum; Si quis diceret, Paulus eſt apud Petrum, quis interpretaretur, ideſt Paulus eſt notus Petro?

90. Plura alia dicunt Sociniani explicaturi non ex aliqua auctoritate, ſed ex proprio cerebro, verba illa; *Et Verbum caro factum eſt*. Sed quia proprie non pertinent ad Trinitatem, ſed incarnationem, ideo omnia hæc prætereo. præterire tamen non debeo aliam non minus eorum abſonam expoſitionem. Sic autem legunt. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat apud Deum*, qua poſita interpunctione, illud *Deus erat* non refertur ad Verbum, ſed ſolum ſignificat, Deum extitiſſe.

91. Proh ingenioſam conſtructionem? quæ ſi fieret a pueris in claſſe inferiori, reprehenſione, & fortaſſe ferula, non careret; Novum profecto dixiſſet Joannes, volens innuere Deum exiſtere; Quis hoc in dubium revocavit? omnia, quæ in eo capite leguntur de Verbo ſunt dicta, igitur & illud dici debet, quod *Deus erat Verbum*.

92. Hoc alii concedunt, ſed ibi nequaquam ſermonem eſſe de Deo vero, & ſummo arbitrantur; Dei enim nomen non pro natura, ſed tantum pro dignitate, ac poteſtate uſurpatur, quod novum non eſt in ſcripturis; pſ. 81. *Ego dixi; Dii eſtis &c.* Ut autem hoc dicatur, argumentum non deeſt; etenim quando ſer-

ſermo ſit de Deo vero, ſemper apponitur articulus *ille*. in textu autem deſideratur, cum legamus, *Deus erat Verbum*; non autem, *ille Deus erat Verbum*.

93. Quis non videt, ineptias ineptiis addi; Si mihi dicerent Deorum nomine ſignificari dignitatem, ac poteſtatem, inficias non irem; non ſic, quando Deus ſumitur in ſingulari, & ſine aliqua limitatione, imo obſervandum eſt, in teſtamento novo nunquam aut Angelos, aut homines nuncupatos eſſe Deos; nam quod ait Chriſtus Joan. 10. *Ego dixi Dii eſtis* deſumptum eſt ex pſ. 81. & quod dixit Apoſtolus 1. ad Corint. 8. *multos eſſe*, *qui dicuntur Dii*, paganorum ſententiam, quam everteret, produxit. Quare cum in textu noſtro Verbum dicatur Deus in ſingulari, & abſque aliqua limitatione, ſequitur &c.

94. Illa vero conjectura, quæ deſumitur ab illa particula, quæ apponitur Deo, cum ſermo eſt de Deo vero, omnino eſt reiicienda; Certe in eodem Joannis capite, dum dicitur, *Fuit homo miſſus a Deo*, ſermo eſt de Deo vero, nec tamen eſt articulus ille, quem Sociniani vocant emphaticum; Matt. 14. legitur. *Qui autem in navicula erant*, *venerunt*, *& adoraverunt eum*, *dicentes*, *vere Filius Dei es*; nec tamen dicitur, *illius* cap. 27. *Si Rex Iſrael eſt*, *deſcendat de cruce*, *& credimus ei*; *confidit in Deo*, *liberet eum*, *ſi vult eum*, *dixit enim*, *quia Filius Dei ſum*. Dicitur abſolute de Deo 1. ad Corint. 4. *Si quis autem diligit Deum*, (abſque aliqua appoſitione) *hic cognitus eſt ab eo*. Imo noverint, particulam illam emphaticam apponi etiam idolo; ut videri poteſt præſertim in epiſt. ad Galat. cap. 4.

§. IV.

Defenditur alius Joannis textus; Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo &c.

95. Textum hunc nos protulimus, atque a quibuſdam, quæ opponi poterant, vindicavimus. Unum eſt, quod ibi prætervimus, nempe a Richardo Simone multis momentis confirmatum eſſe, quod Sociniani dixerunt, verba illa eſſe ſpuria, atque adulterina, 1. quia in vetuſtioribus, ac probatiſſimis codicibus manuſcriptis, tam græcis, quam latinis non inveniantur. 2. quia nullus ex Patribus, qui contra Arianos rem geſſerunt, illis uſi ſint, quod procul dubio actum ab illis eſſet, ſi fides verſui illi adhibenda fuiſſet. 3. quia nemo ante Victorem Viticenſem, qui floruit ſæculo quinto, verſum hunc laudavit; atque ideo ſi ipſius mentio eſt apud Hieronymum in prologo in epiſt. canonicas, hic ſuppoſititius eſt exiſtimandus; & ſi in S. Cypriano lib. de unit. Eccleſiæ, tantum metaphorice intelligi debet, ſicut intelligitur id quod ſequitur; propterea noſtra intereſt, quam falſa ſint hæc omnia, demonſtrare.

96. Et primo, quamvis a nobis nullus codex produci poſſet, in quo verſiculus ille reperiatur, attamen tantam fidem præſtare deberemus Concilio Tridentino, ut nemo, legitimum illum eſſe, poſſet in dubium revocare. Perſpectum quidem erat ſapientiſſimis illis Patribus quidquid in oppoſitum adduci poſſet, & tamen ſeſſ. 4. in decreto de canonicis ſcripturis veteris, novique teſtamenti hiſce verbis ſtatutum eſt. *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus*, *prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt*, *& ut in veteri vulgata latina editione habentur pro ſacris & canonicis non ſuſceperit*, *& traditiones prædictas ſciens*,

ſciens, ac prudens contempſerit, anathema ſit.

97. Falſum tamen eſt, nobis deeſſe codices, in quibus verſiculus laudatus contineatur, & quidem non ſolum in margine, ſed in corpore, quos producamus. An non reperitur in codice Britannico tantæ ob ſui vetuſtatem etiam apud Eraſmum auctoritatis? An non illis, quibus uſi ſunt authores editionis Lovanienſis, quam ſedulo labore, ac ſtudio, ut omni ex parte caſtigatiſſima appareret, elaboratam eſſe, teſtatur in præfatione Eminentiſſimus Ximenius? An non in ſexdecim antiquis exemplaribus græcis ab Italia, Gallia, Hiſpania conquiſitis, & miſſis, in quorum tantum ſeptem deerat illud, *in cælo* quod ad rem non facit, nec argumenti noſtri robur infringit, ut refert Robertus Stephanus in ſui editione? Si velint ampliora momenta; occurrunt Theologi Lovanienſes, qui ex multo manuſcriptorum numero vulgatam ſcripturæ editionem recognoverunt, & tantum in quinque verſum illum non reperiri, teſtati ſunt, ſicut & de terreſtribus teſtibus non legi, *& hi tres unum ſunt* quod noſtra parum intereſſet, imo non poſſet argumentum illud fieri, de quo a nobis dictum eſt in antecedentibus; Occurrunt Cenſores Romani, qui ſub Urbano Octavo Bibliorum emendationi operam dederunt, quique, etſi in octo Codicibus verba illa non invenerint, attamen majori aliorum Codicum numero ducti, ea retinenda eſſe duxerunt; Occurrit tandem correctorium Bibliæ, quod ad hunc verſiculum inquit; *Hic corrupti ſunt quidam libri græcorum, ut ait Beatus Hieronymus, qui hoc capitulum non habent, in quo maxime Catholica Fides roboratur.*

98. Certe ſi aliquibus codicibus ſides exhibenda eſt, erunt illi, quos habuit Caſſiodorus longe ante quintum & ſextum ſæculum, quibus ipſe floruit, exaratis. Novimus enim hunc egregium doctorem nulli ſtudio laborique pepercisſe, ut præſertim epiſtolas Apoſtolorum emendatas, ac germanas haberet, ut ipſe fatetur lib. inſtitutionum divinarum cap. 4. At ipſe in opere, cui titulus eſt, *Caſſiodori Senatoris complexiones in epiſtolas, & acta Apoſtolorum* e tenebris Bibliothecæ Capituli Veronenſis ab eruditiſſimo Domino Marchione Maffei educto, illius verſiculi diſſertam mentionem fecit hiſce verbis. *Teſtificantur in terra tria myſteria aqua, ſanguis, & Spiritus, quæ in paſſione Domini leguntur impleta: in cælo autem, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unus eſt Deus.*

99. Quid igitur, inquies, in cauſa fuit tantæ in codicibus varietatis? Quid me interrogas? interroga incuriam exſcriptorum, errandique facilitatem, cum ſibi eadem ferme verba ſuccedunt, ut in re noſtra; interroga Arianorum malitiam, qui ſicut alios textus corruperunt, vel abſtulerunt, ut teſtes ſunt S. Ambroſ. lib. 2. de fide cap. 15. Hieronym. in epiſt. canonicarum prologo, & Socrat. diſſerens de hac epiſt. S. Joan. ita & hunc deleviſſe, argumentum habemus, & quidem potiori jure, cum ſuæ perfidiæ agnoſcerent infenſiſſimum. Hæc contra primum obiectionis punctum.

100. Quod vero attinet ad ſecundum; quid, quæſo, roboris habet argumentum negativum? Textum hunc non attulerunt Patres, qui contra Arianos rem agebant, ut Athanaſ. Hilarius, Chryſoſt. Ambroſ. Nazianz. omitto; nunquid ergo ita non ſcripſit Joannes? imo ex hoc ſcripſiſſe infertur, cum plerumque argumenta, magis obvia, & facillime retenta mente, nequaquam ſcribantur. Noverant hoc in promptu omnibus eſſe, magiſque clarum, non fuit neceſſe, quod ſcriberent, alioſque docerent. Omitto inquam; non enim omnia ab ipſis ſcripta ad nos pervenerunt,

nec pervenire aliorum fraude permiſſa ſunt.

101. Si tamen memorati Patres id nobis non tradiderunt; alii non defecerunt, qui traderent; tradidit, ſi Bellarmino credamus, Idacius Clarus adverſus Varimadum Arianum cap. 5. ſi vero Chifletio, Vigilius Epiſcopus Tapſenſis. Tradidit Victor Vitenſis lib. 3. de perſecutione Africana; tradidit Eugenius Carthaginen. ann. 484. & tanquam fidei profeſſionem ab Epiſcopis Africæ, Mauritaniæ, Sardiniæ, Corſicæ fere quadringentis ſubſcriptam, exhibuit Hunerico Vandalorum Ariano Regi, teſte Gennad. lib. de ſcriptoribus eccleſiaſt. cap. 97. Quid igitur ulterius requiritur?

102. An Cyprianus? An Hieronymus? Hoc a nobis poſtulabant tertio quod attulerunt, momento; & nunc ſatisfacimus. Cyprianus in libro de unitate Eccleſiæ ferme ſub initio probaturus, in Eccleſia ſervandam eſſe unitatem, hæc habet; *De Patre, & Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt, & hi tres unum ſunt*. ubi autem hoc legitur præter quam in 1. epiſt. S. Joan. cap. 5. v. 7. Rem ita eſſe, teſtatur Fulgentius reſpondens ultimæ Arianorum obiectioni ſic; *In Patre ergo & Spiritu Sancto unitatem ſubſtantiæ accipimus, perſonas confundere non audemus; Beatus Joannes Apoſtolus teſtatur dicens, tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & tres unum ſunt; Quod etiam Beatiſſimus Martyr Cyprianus in epiſtola de unitate Eccleſiæ teſtatur, dicens &c.*

103. At inquiunt, ita ſcripſiſſe Cyprianum, ſed tantum in ſenſu accommodatitio & allegorico; cujus rei fidem facit Facundus lib. 1. pro defenſione trium capitulorum cap. 3. qui laudans verſiculum octavum, *tres ſunt qui teſtimonium dant in terra &c.* ait; *Quod teſtimonium Beatus Cyprianus Carthaginenſis Antiſtes & Martyr in epiſtola ſeu libro, quem ſcripſit, de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto intelligit*. Accedit S. Auguſtinus, qui lib. 2. adverſus Maximinum cap. 22. probat, unam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti eſſe ſubſtantiam, quia de Spiritu, ſanguine, & aqua, quæ Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum deſignant, ſcriptum eſt, *tres ſunt teſtes, Spiritus, ſanguis, & aqua, & tres unum ſunt*. Si autem a Sancto Cypriano, productus fuiſſet verſiculus ſeptimus, utique Auguſtinus, qui opera Cypriani tam ſtudioſe verſaverat, adduxiſſet, cum Maximini errorem ſic peremptorie confutaſſet.

104. Nullo pacto ad hoc dicendum, inducar, nec pluris faciam Facundum, quam Fulgentium; imo Cyprianum ad verſiculum octavum non reſpexiſſe non levia nobis exhibentur momenta. 1. Quia in operibus ſuis nunquam illius mentionem fecit, 2. Quia verba illa de tribus terreſtribus teſtimoniis, *& hi tres unum ſunt*, ſive *in unum ſunt* in pauciſſimis codicibus extabant, ut conſtat auctoritate Concilii Lateranenſ. ſub Innoc. III. ann. 1215. & S. Th. exponens decretalem ejuſdem Concilii, Opuſcu. 24. ait, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra &c. in quibusdam libris additur, & hi tres unum ſunt, ſed hoc in veris exemplaribus non habetur, ſed in quibusdam libris dicitur eſſe appoſitum ab hæreticis Arianis ad pervertendum ſanum intellectum auctoritatis præmiſſæ de unitate eſſentiæ trium perſonarum*. Si autem res ita ſe habet, quomodo fieri potuit, ut illis verbis uteretur Cyprianus; ut inde ſenſum accommodatitium Patri, & Filio, & Spiritui Sancto colligeret? Deceptus igitur fuit Facundus, qui illius interpretationis authorem exiſtimavit Cyprianum. Quod vero S. Auguſtinus allegorice intellexerit, damus, ſed quæ illatio, ergo & Cyprianus? Illo verſiculo uſus non eſt Auguſtinus, qui tamen fuiſſet aptiſſimus, fatemur; ſed fortaſſe,

vel

vel deerat in codice, quem præ manibus habebat, vel ipſi notum erat, ab Arianis negari, ideo ne de hac re controverſiam inſtitueret, alia ſcripturæ teſtimonia ad dogma catholicum demonſtrandum adhibuit.

105. Quod vero ſpectat ad S. Hieronymum, conqueritur iſte in prologo ad epiſt. canonicas ab infidelibus tanslatoribus primam Sancti Joannis epiſtolam vitiatam fuiſſe, quod trium tantum nomine, hoc eſt, aquæ, ſanguinis, & Spiritus in ſua editione poſuerint, & Patris, & Verbi, & Spiritus Sancti teſtimonium omiſerint. Prologum hunc Eraſmus, & Socinus eſſe Sancti Hieronymi non negant, impudentiſſime tamen dicunt, Hieronymum fuiſſe falſarium, qui omnium primus verſum ſeptimum addere auſus fuerit; Hoc quam temere dictum ſit, ex ſuperioribus conſtat; Ricardus vero Simon, cui adhærent etiam Monachi S. Benedicti, quamvis aliis conjecturis, eum falſo Hieronymo tribui, exiſtimavit. De hac re nolo controverſiam excitare; textum illum germanum eſſe, etiam hunc maximum doctorem omittendo, ſatis oſtendimus.

§. V.

Refelluntur argumenta contra Verbi divinitatem.

106. OP. 1. Verbum eſt creatura, ergo non Deus. Prob. ant. pluribus ſcripturæ teſtimoniis. Proverb. 8. legunt ſeptuaginta, *Dominus creavit me initio viarum ſuarum*. Eccl. 1. *Prior omnium creata eſt ſapientia*. 24. *Tunc dixit mihi creator omnium, & qui creavit me*. Joan. 1. *Qui poſt me venit, ante me factus eſt*. Ad Hebr. 1. *Tanto melior Angelis effectus*. Ad Coloſ. *Primogenitus omnis creaturæ*. Act. 2. *Et Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis*. ergo.

107. Reſp. neg. ant. loquendo de creatione juxta ſenſum Philoſophorum; Ad prob. in noſtra vulgata legitur; *Dominus poſſedit me*, quod idem ſignificat, quod genuit me, ſicut Geneſ. 4. legitur, *Poſſedi hominem per Deum*, ideſt genui. Obſervat autem Euſeb. lib. 3. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cap. 2. adverſus Marcellum, mendum irrepſiſſe in textum ſeptuaginta ex ſcriptoris incuria; Baſilius vero, Gregor. Nyſſen. & Epiphanius verſionem, *creavit*, non mediocriter improbant; Quanquam, etſi illam admittamus, ſumenda eſt creatio pro generatione, ut ſerventur alii textus. *Ego hodie genui te*. Pſalm. 2. *Ex utero ante Luciferum genui te*. Pſalm. 109. *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar*. Eccleſ. 34. Sed mirum non ſit, ſi aliquando in ſcripturis ſapientia dicatur creata, aliquando genita; recte enim id actum eſt; in generatione enim communicatur ſubſtantia, ſed cum mutatione generantis, in creatione vero non mutatur creans, atque ideo ad ſignificandam ſubſtantiam communicatam Filio ſine aliqua mutatione generantis, dicitur generatio, & creatio, ideſt generatio habens creationis perfectionem, & creatio perfectionem habens generationis. Sic explicamus tria priora teſtimonia.

Ad textum Joan. illud, *factus eſt* ſignificat prælationem, atque excellentiam, non enim dignum ſe agnoſcebat, ut ſolveret ejus corrigiam calceamenti; addit tamen Joannes, *quia prior me erat*. quod dictum eſt ſine addito, *factus*, ut innueret, Chriſtum, antequam factus eſſet, ut homo, fuiſſe ut Deum.

Ad primum Pauli; perpende rationem, quam reddit, & intelliges, Chriſtum ſuper omnes Angelos meliorem effectum, & exaltatum propter æternam ſui generationem; *Cui enim Angelorum aliquando dixit*; *Filius meus es tu, ego hodie genui te*.

Ad

Ad 2. Si primogenitus omnis creaturæ, ergo non creatura; eſt enim primogenitus, non quia creatura prima foret, ſed quia omnium creaturarum cauſa, non principium paſſivum, ſed activum; Primogenitus omnis creaturæ, per quem omnes creaturæ factæ ſunt. *Quoniam per ipſum condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra*. Proſequitur idem Apoſtolus. *Ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant*. ibidem.

Quod vero dicitur in actis Apoſtolo: Chriſtum eſſe a Deo factum, facile reiicies, ſi noveris in Chriſto duplicem naturam, divinam unam, humanam aliam; qua diſtinctione ſervata, omnia vera erunt, quæ de ipſo dicuntur tanquam minime convenientia Deo. Plurima quidem in ſcripturis hujuſmodi invenies. *Pater major me eſt*. Joan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*. Joan. 14. *Ego Patris mei mandata ſervavi, & maneo in ejus dilectione*. 15. *Deus meus, quare me dereliquiſti*. Mat. 27. & alia quam plurima, quæ hic prætereo, cum, etſi afferrem, omnia prorſus non afferrem.

108. Op. 2. Non eſt Chriſto concedendum pluſquam Chriſtus ſibi ipſi tribuit, ſed Chriſtus ſibi non tribuit eſſe Deum per ſubſtantiam, ergo. probat. min. Chriſtus ſibi non tribuit ea, quæ ſunt Dei propria, ergo. Probat. ant. 1. quia ſibi dixit ignotam eſſe judicii diem, ſolique Patri cognitionem hanc ſervatam eſſe. *De Die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater*. Marci 13. a ſe bonitatem abſolutam abiicit; *Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi ſolus Deus &c.* Marci 10. ſuam doctrinam non appellat ſuam, *Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*. Joan. 7. Reſpuit ſuam voluntatem, & gloriam, *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me*; *Non quæro gloriam meam*. Joan. ibid. Non habet poteſtatem dandi æternam gloriam; *ſedere ad dexteram, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis*. Mat. 20. Deeſt illi poteſtas quidpiam a ſe faciendi. *Filius non poteſt quidquam a ſe facere niſi quod viderit Patrem facientem*. Joan. 5. ergo cum è contrario Deus omnia ſciat, ſit ſumme bonus, ſit omnis doctrinæ fons, quærat ſuam voluntatem, & gloriam, æternam gloriam poſſit conferre, omnia poſſit, Chriſtus ſibi non tribuit quæ Dei ſunt propria proinde &c.

109. Imo ex quo Chriſtus ſibi tribuat, quæ proprie ſoli Deo conveniunt, ipſum verum Deum eſſe, optime colligimus. Rem ita ſe habere conſtat ex iis, quæ diximus, & patet omnibus legentibus, vel Evangelium, vel Epiſtolas Pauli, & Joannis; quare nihil addo. Diem judicii ignorabat Chriſtus? Quomodo id dici poteſt, ſi omnes illius diei ſigna, circumſtantias, cauſaſque nobis deſcripſit? Quomodo, ſi ipſe teſte Paulo ad Hebr. 1. *Conſtitutus eſt judex vivorum, & mortuorum?* Quo pacto textus iſte debeat intelligi pluries dictum eſt, & ſemi Theologis ſatis manifeſtum. Ad ſecundum ita reſpondens Chriſtus ſe Deum probavit. Adoleſcens ille, cujus mentio ibi fit, dixerat Chiſto. *Magiſter bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* Profeſſus igitur erat, Chriſtum eſſe bonum, infert Chriſtus, cum ſolus Deus bonus ſit, quare me non fateris Deum? Si me bonum credis, credas & Deum, explicatio eſt Sancti Auguſtini lib. 3. contra Maximin. cap. 23. atque ita non ſolum bonitatem diminutam, quæ etiam creaturis convenire poteſt, ſibi convenire demonſtravit, ſed bonitatem illam, quæ totius bonitatis eſt fons, & eſſentialis dicitur, ſibi propriam eſſe docuit, ac declaravit. Ad 3. Doctrina Chriſti non erat Chriſti ut putabant hebræi, hominis ſeductoris legem pervertentis, ſed Patris ſui, nimirum, non contraria doctrinæ divinæ, ſed prorſus eadem, in ipſo enim erant abſconditi omnes theſauri ſapientiæ, & ſcien-

ſcientiæ Dei; vel dicas non ſuam fuiſſe, ſed ejus, qui miſit illum, quia ſicut a Patre habet eamdem naturam communicatam, ita habet etiam doctrinam; Ut refellas alia, diſtinguas in Chriſto duplicem naturam, & voluntatem, quæ infirma ſunt, humanæ tribue, quæ Dei ſunt, divinæ, & pro ultimo textu adde verba, quæ ſequuntur, videlicet, *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*.

110. Op. 3. Solus Pater Deus eſt, ergo non Verbum. Prob. ant. Joan. 17. ait Chriſtus. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Illa particula excluſiva *ſolum* Patri tantummodo affixa eſt, removet ergo veram divinitatem ab omni eo, qui non eſt Pater, ſed Verbum non eſt Pater, ergo removet a verbo veram deitatem.

111. Addantur ea, quæ habet Paulus; 1. ad Corint. 8. inquit; *Siquidem ſunt dii multi, & domini multi, nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*. Ad Epheſ. 4. *Unus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis*. Soli igitur Patri convenit vera divinitas.

112. Reſp. multifariam refelli poſſe quod primo dictum eſt; Si legamus Auguſtinum 6. de Trin. cap. 9. verba illa, *& quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, annecti debent ſuperioribus, ita ut quemadmodum credendus eſt Pater, ut Deus, ita, ut Deus, credendus ſit Chriſtus Jeſus; Optima quidem expoſitio, nemo enim venit ad Patrem niſi per Filium; &, *Philippe qui videt me*, ideſt credit me, *videt & Patrem meum*, ſcilicet credit Patrem meum; quo poſito particula illa, *ſolum*, æquali modo reſpicit Patrem, & Filium; Communiſſima tamen reſponſione deſumpta ex Baſilio epiſ. 141. Athanaſ. orat. 4., Cyrill. 14. de Trinit., excluduntur per illam particulam tantummodo falſi Dii, opera manuum hominum; non tamen Verbum, quod cum Patre eſt ſolus Deus verus; nec enim nos, diſtinguendo perſonas, diſtinguimus Deos; Verum tamen eſt, Patrem dici poſſe ſolum Deum, non quia Patri ſoli conveniat propria divinitas, ſed quia Pater eſt totius divinitatis principium, habet namque Verbum divinitatem a Patre, in quo ſenſu de ſolo Patre explicatur ab Ambroſio illud Pauli 1. ad Timot. 1. *Regi ſæculorum, & immortali ſoli Deo honor & gloria*. Inſuper obſerva, particulam, *ſolus*, in Scripturis Sacris non ſemper alios excludere. *Soror mea reliquit me ſolam miniſtrare* dicebat Martha Luc. 10. nec tamen erat ſola, ſed tantum reſpectu ſororis; Paulus etiam 1. ad Corint. 2. inquit, ſe non judicaſſe aliquid ſcire, niſi Jeſum Chriſtum; nec tamen dicendum eſt, ſe non judicaſſe ſcire Patrem; Exempla mille proferri poſſunt; Quare per illam particulam excluduntur plures Dii, non tamen plures in divinitate perſonæ.

113. Ad 1. textum S. Pauli; in ipſo eſt reſponſio; in prima parte ſolus Pater dicitur Deus, in ſecundo ſolus Jeſus Chriſtus dicitur Dominus; ſicut ergo per dominium Jeſu Chriſti non excluditur dominium Patris, ita per deitatem Patris non excluditur deitas Chriſti; imo unitas divinitatis neceſſario poſtulat tam Patrem, quam Verbum eſſe Deum; Adde, ex illo modo loquendi per unum nequaquam alium excludi; Perpendantur alii ſimiles textus. Actorum 10. poſtularunt Sacerdotes, populique ſeniores, qua virtute, vel in quo nomine claudus ille exiliens ambularet, reſpondit Petrus, *in nomine Jeſu Chriſti*. nunquid ergo excluſus fuit Pater? Act. 10. juſſit Petrus *baptizari in nomine domini Jeſu Chriſti*. an igitur excluſus fuit Pater, vel Spiritus Sanctus? Hanc eſſe ſcripturarum conſuetudinem attendendum eſt, quod ali-

virtutem per deſertum Iſraelitas ducebat; Præterea, ſi noſter argumentandi modus valeret, ſic etiam dici poſſet. Qui loquutus eſt per Prophetas eſt Deus Pater, ſed Spiritus Sanctus loquutus eſt per Prophetas, ergo Spiritus Sanctus eſt Pater; quod nos non admittimus.

Vere Crellius ſophiſticus eſt, qui ſic illudere arbitratur. Quis unquam ſanæ mentis aſſerat, puram qualitatem, ſeu virtutem loqui, præcipere, tentari? hæc omnia ſpectant ad perſonam, præcipue cum cauſa princeps eſt eorum, quæ prophetæ tanquam miniſtri, & inſtrumenta promulgaverunt; at Spiritus Sanctus eſt hujuſmodi ergo. Hinc Paſchaſius lib. 1. de Sp. Sanct. cap. 7. inquit, *Cum per Prophetas ſpecialiter Spiritus Sanctus locutus eſſe refertur, Deum locutum eſſe divina profitentur oracula*. At dices, hoc pacto probaretur etiam Moyſem eſſe Deum, ſic enim poſſemus ratiocinari; Qui tentatus fuit in Deſerto, fuit Deus, ſed Moyſes tentatus eſt in deſerto, ergo Moyſes eſt Deus; ineptiæ ſunt iſtæ, etenim Moyſes tentatus fuit tanquam miniſter, & inſtrumentnm Dei, & Deus in ipſo tentatus fuit; Unde vis argumenti noſtri eſt iſta; Qui tentatus fuit in Moyſe erat Deus, ſed Spiritus Sanctus tentatus fuit in Moyſe, ergo Spiritus Sanctus erat Deus. Neque Syllogiſmus noſter eſt ſicut ille Crellii; etenim major noſtra propoſitio æquivalet propoſitioni univerſali, eſt enim ſenſus; Omnis qui locutus eſt per Prophetas, eſt Deus; e contrario in Syllogiſmo Crellii ambæ ſunt propoſitiones particulares, ex quibus nihil ſequitur, ut dicunt Summuliſtæ, & ſi major æquivaleret univerſali, eſſet falſa, non enim nobis, qui loquutus eſt per Prophetas, eſt Deus Pater.

118. Secundum argumentum idem probans deſumitur ex eo, quod legitur Act. 5. ubi Petrus ſic effatus eſt. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, ſed Deo*. igitur Spiritus Sanctus eſt Deus.

Teſtimonium hoc Socinianos vehementer perſtringit, & nimium ſe contorquentes, conantur evadere. dicunt autem; mentiri Spiritui Sancto idem eſſe, ac mentiri Apoſtolis, in quibus erat Spiritus Sanctus, ideſt virtus, & efficacia Dei; Teneret ne hoc argumentum; Qui ſpernit Sanctos, ſpernit Deum, ergo Sancti ſunt Deus? ergo nec illud, Qui mentitur Spiritui Sancto, mentitur Deo, ergo Spiritus Sanctus eſt Deus. Præterea, in textu græco non legitur, *mentitus es Spiritui Sancto*, ſed, Spiritum Sanctum.

119. Jam Crellius ad aſſuetas ſuas cavillationes reditum facit. Quantum ad hoc ultimum, utcumque legatur, idem ſemper eſt ſenſus, nam cum mentiri ſit velle aliquem fallere, mentiri alicui, eſt aliquem mentiri ſeu fallere, atque ideo tanquam pro ſynonymis accipienda ſunt illa verba, quemadmodum etiam in ſyriana verſione habetur, *mentitus es in Spiritum Sanctum*. nam qui alicui mentitur, illi injuriam irrogare cenſetur.

Quantum vero ad primum; ex vi, ſenſuque verborum inferri debet, mendacium illud factum Apoſtolis, non tam fuiſſe factum Apoſtolis, quam Deo, aperte enim dicitur, non es mentitus hominibus, ſicut erant Apoſtoli, ſed Deo; Ut autem appareat, quam male conſtructum ſit Crellii ratiocinium, illud reſolvamus juxta formam ſyllogiſticam, & ſic fiet; Qui ſpernit Sanctos, ſpernit Deum, ſed hic ſpernit Sanctos, ergo ſpernit Deum; utique illatio legitima eſt, non tamen hæc alia, ergo Sancti ſunt Deus; nunc eodem modo reſolvamus noſtrum, ſic erit. Qui non mentitur hominibus, ſed Spiritui Sancto, mentitur Deo, ſed Anania mentitus eſt non hominibus, ſed Spiritui Sancto, er-

gò Spiritus Sanctus eſt Deus ; Quid hac illatione rectius ?

120. Porro obſervandum ulterius eſt, quod etſi in ſcripturis ſacris plures res creatæ appellentur Spiritus, nam & Angeli vocantur Spiritus, imo & dicitur Spiritus procellarum, ac fornicationis; attamen Spiritus, de quo loquimur, tali dignitate, ac eminentia ſignificatur, ut quæ de ipſo dicuntur, non niſi vero Deo convenire poſſint; Hoc peregregie innuit Paulus 1. ad Corint. 3. dicens, *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, & diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in nobis*. & deinde concludit. *Hæc autem operatur unus, atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*. quibus in verbis velle tribuitur Spiritui, quod poteſt tantum convenire ſubſiſtenti perſonæ, & tribuitur velle juxta ſuum beneplacitum, quod tantum de Deo poteſt affirmari.

121. Hoc amplius compertum ſit, ſi attendamus, attributa divina de hoc Spiritu dici; An non immenſitas? pſ. 138. *Quo ibo a Spiritu tuo?* & Sap. 1. *Spiritus domini replevit orbem terrarum*. an non omnipotentia? pſ. 32. *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. & Job. 33. *Spiritus domini fecit me*. an non omniſcientia. 1. ad Corint. 2. *Spiritus omnia ſcrutatur*. & Joan. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. an non ſanctificatio? ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*.

122. Hæc omnia, reponunt explicari de virtute & efficacia Dei, tanquam qualitate; dicitur etiam 1. ad Corint. 13. de charitate, *quod patiens ſit ac benigna, quod non æmuletur, non agat perperam, non inſletur, non quærat, quæ ſua ſunt &c.* nec tamen charitas eſt perſona, ſed pura qualitas. At oportet advertant, quod ex quo in uno, vel altero ſcripturæ loco figurata locutio uſurpetur, etiam in omnibus aliis ita non eſſe uſurpandam, ſed obſervandum, quomodo tribuantur actiones, & quæ actiones; Quod charitas dicatur patiens &c. non ſumitur pro charitate in abſtracto, ſed in concreto, ideſt pro homine habente charitatem, non enim operantur abſtracta, ſed concreta; atque ut alia exempla non præteream, peccatum ad Rom. 7. dicitur ſeducere occidere, ſed moraliter, non proprie & active; Quod *cæli enarrant gloriam Dei* pſ. 18. id verum eſt, non effective, ſed objective; Quod ſanguis Abel *clamat de terra* Gen. 4. eodem modo; At Spiritui Sancto in ſcripturis tribuuntur actiones illæ quæ ſoli perſonæ ac Deo conveniunt, ut dictum eſt, & ideo.

123. Quod quidem totum confirmare poſſumus ex duobus aliis præſertim; Unum eſt id, quod ait Chriſtus Mat. 28. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. quo ineluctabili teſtimonio, aut dici debet, nec Patrem, & Filium eſſe Deum, & ſubſiſtentes perſonas, aut etiam Spiritum Sanctum eſſe ſubſiſtentem perſonam, & Deum. Ita enim res ſe habet, ut, quemadmodum Patrem, & Filium ſubſiſtentes perſonas fatemur, ipſis fidelitatem obſequiumque promittimus, atque in eis ſpem noſtræ ſalutis æternæ collocamus, ita & in Spiritum Sanctum feramur. Alterum eſt id, quod idem Chriſtus Joan. 15. dixit, *Cum autem venerit Paraclitus, quem mittam Vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*. Explicat Ambroſ. lib. 1. de Sp. Sanct. c. 15. quod ſicuti Filius a Patre procedens nequit dici virtus & qualitas, ſed vera perſona in divinitate ſubſiſtens, ita nequit dici Spiritus Sanctus. *Sicut*, inquit, *creata non poteſt dici ſapientia, quæ ex ore Dei procedit, nec verbum, quod eructatur ex corde, nec virtus, in qua plenitudo majeſtatis æternæ ſit; ita*

etiam

Digitized by Google

etiam creatus non poteſt Spiritus æſtimari, qui ex ore Dei funditur. & alio in loco, ideſt cap. 7. explicans eadem Joan. verba, ait; *A Patre procedit propter originem; quem mittam propter ſocietatem, unitatemque naturæ*. Paſchaſius vero 1. de Sp. Sanct. cap. 12. *Non dixit, qui a Patre creatus eſt, ſed a Patre procedit; ideſt de paternæ ſocietate potentiæ, & de proprietate naturæ.... Quia ergo Spiritus Sanctus a Patre procedit, tria in eo privilegia deitatis oſtendit, ideſt, ut in perſona ſua ſubſiſtere, & ſine ullo temporis ſpatio permanere, & omnino ex ſubſtantia Patris probetur exiſtere*.

124. Uberiora tamen ex laudata forma baptiſmatis Patrum monumenta nobis exhibentur. Didymus in illa Apoſtoli verba, *Unus eſt dominus, una fides, unum baptiſma*. ait baptiſma invalidum eſſe ſive Pater, ſive Filius, ſive Spiritus Sanctus omittatur; Idatius vero concludit col. 300. *Igitur ſi Spiritus Sanctus deitatis ſubſtantia Patri & Filio non coæquatur, cur in Sacramento Sacri Baptiſmatis nihil abſque illo conpletur?* Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 14. *In nomine, dixit, non in nominibus, Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus Sancti, quia unus Deus; non plura nomina, quia non tres Dii*. Fauſtinus in fine libri contra Arianos; *Multum*, inquit, *divinæ potentiæ derogaretur, ſi eum confeſſione divini nominis, par quoque creaturæ confeſſio ponerem. Et bene, quod unum nomen poſuit dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ut una principalis auctoritas crederetur indiviſibilis, & perfectæ Trinitatis*. Idem tradiderunt Auguſtin. tract. 6. in Joan. Baſil. lib. 5. contra Eunom. cap. 10. Gregor. Naziaz. car. 3. Arcan. & omnes, quos afferre ſuperfluum exiſtimo; & rem compleat Iſidorus Peluſiota lib. 1. ep. 109., ubi ait; *Non factus eſt non creatus, neque ſervilis naturæ eſſe poteſt, ſed herilis, & creatricis, ac regalis eſſentiæ congener, & conſubſtantialis eſt Spiritus Sanctus. Nam ſi ſervus eſt, eum domino minime numeretur, & ſi creatura eſt, eum creatore minime copuletur*.

125. Poſtremum hoc teſtimonium attuli, ut occurrerem eorum argumento, quo utebantur Pneumatomachi; ideſt, non repugnare una ſimul cum Deo numerari, ac copulari creaturas; Hoc legimus in Exodo cap. 8., ubi dicuntur hebræi *credidiſſe Domino, & ſervo ejus Moyſi*. Hoc in epiſ. 1. ad Timot. 5. ubi ait Paulus. *Teſtificor coram Deo, & Chriſto Jeſu, & electis Angelis, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio*. Hoc in actis Apoſt. cap. 7. ubi legitur: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*. etenim tam Moyſes, quam Angeli manifeſte in Scripturis appellantur ſervi, & miniſtri; De Angelis ſcriptum eſt in epiſ. ad Hebr. cap. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi*. Moyſes vero quoties non appellatur famulus? at de Spiritu Sancto hoc dictum eſſe, nullibi reperies; Quod vero aliquando creaturæ una ſimul cum Deo vocentur, parum intereſt, vocantur enim tanquam teſtes, quibus nulla vis efficiendi convenit, quo ſenſu vocantur etiam res inanimes; At non ita Spiritus Sanctus, uti ex omnibus dictis conſtat, proinde &c.

126. Quid igitur in cauſa eſt, inquies, quod plures ex Sanctis Patribus Spiritum Sanctum Deum non appellarunt, imo nec appellari permittebant, ut fuerunt Hilarius, & Baſilius, qui etiam Gregorio Nazienzeno ſcripſit, ne Spiritus Sancti divinitatem palam profiteretur? Idem Baſilius hom. 17. in Sanctum Baptiſma, non ſolum Spiritum Sanctum non appellat Deum, ſed negat; En perſpicua ejuſdem verba; *Neque igitur alienus eſt a gloria Dei Spiritus ex ineffabili ore ineffabiliter prolatus; neque ipſe Deus eſt, ſed Dei Spiritus*,

ARTICULUS VI.

Refelluntur argumenta Hæreticorum.

129. OP. 1. In ſcripturis nunquam Spiritus Sanctus expreſſe Deus nominatur, nuſquam adorandus, aut invocandus legitur, nuſquam ad ipſum noſtram fidem dirigendam eſſe præſcribitur. Frequentius ejus mentio omiſſa eſt, ſed nihil horum dicendum foret, ſi Spiritus Sanctus eſſet Deus, ergo revera Spiritus Sanctus Deus non eſt.

Argumentum hoc ab hæretico Maximino oppoſitum fuit Auguſtino, ab Arianis Gregorio Nazianzeno. Ambo reſpondent non omnia in ſcripturis exprimi, quæ tamen ut dogmata ſunt accipienda; *Ex iis, quæ legimus, alia etiam, quæ non legimus intelligimus*; ait Primus lib. 3. contra Maximin. cap. 3. Non omnia continere ſcripturas, quæ inter chriſtiana dogmata continentur, ſed inter hæc eſſe aliqua, quæ nuſpiam ſcripta ſunt, ut *illud eſt de Spiritu Sancto*, aſſerit ſecundus orat. 37.

130. Si ita reſponderunt Patres, omittentes, ut exiſtimo, id in ſcripturis non reperiri, nos expreſſe negamus. An non expreſſe nominatus Deus in textu a nobis num. 116. & 118. An non invocatur, adoratur, & creditur, qui in baptiſmi forma Patri, Filioque conjungitur? De hac re ſatis n. 121. & ſequentibus. Quid ſi ubique exprimitur Pater, & Filius, non exprimatur etiam Spiritus Sanctus? Unam ſine alia nominari perſonam, non eſt aliam excludi. De hoc alibi dictum eſt. Videat tamen Crellius ſic nobis opponens, eodem argumento, quo ipſe deſtruit Spiritus Sancti divinitatem, illam Verbi probari, cum Verbum in ſcripturis expreſſe dicatur Deus, adoretur, invocetur, credatur, qua ratione uſus eſt Auguſtinus contra Maximin. cap. 3. dicens. *Obiicis mihi, quod dicam Spiritum Sanctum æqualem eſſe Filio, dico plane; Da, inquis, teſtimonia, ubi adoratur Spiritus Sanctus? Ut video hinc vis oſtendi æqualem Chriſto, ſi adoratur ut Chriſtus. Jam ergo confitere Patri æqualem, quem tu ipſe adorari confiteris ut Patrem.* Plura etiam noverint hæretici in ſcripturis non ita exprimi, quare? aptam rationem aſſignat Origen. in epiſt. ad Romanos, quæ noſtræ rei valde congruit, quia inquit. *Id univerſe ſciendum eſt, cum decretum ſit Spiritui Sancto, qui eſt in Prophetis, & Verbo, quod eſt in Apoſtolis Chriſti, occultare, & non aperte veritatis ſententias exponere, ſæpe & loquendi genere ipſo confundi, & non continuata ſerie tradi, ne qui indigni ſint, ad judicium animæ ſuæ, reperiant ea, quæ ipſis occultata fuerant.* Hac de re mirum non ſit, ſi ſub Eccleſiæ initio reſponderint aliqui Act. 19. *Nequidem ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus*; etſi enim illi commercium cum Chriſtianis habuerint, attamen, ne forte irriderentur, altiſſima fidei myſteria reticebant, ac de illis opportuno tempore loquebantur, ut revera locutus eſt Paulus, qui baptizari juſſit baptiſmo a Chriſto inſtituto, ut Spiritus Sancti fidem aſſequerentur, quod magis aſſertionem noſtram confirmat, ſi enim Spiritus Sanctus Deus non eſſet, ſuperflue fuiſſent interrogati, an Spiritum Sanctum acceperint, & ſuperflue alio baptiſmate præter illud Joannis, abluti.

131. Opp. 2. Joan. 16. legitur de Spiritu Sancto. *Non loquetur a ſemetipſo; ſed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Omnia, quæcumque habet Pater mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Atqui ad Deum ſummum pertinet loqui a ſemetipſo, ab alio non accipere, nec ab alio audire, ergo. Præterea 1. ad Corint. 2. ait Paulus. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei...*

Quæ

Digitized by Google

Quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei. De ſummo Deo non poteſt affirmari ſcrutari profunda Dei, nemo etenim ſcrutatur ea, quæ præcipue ac perfectiſſime agnoſcit, ſicut Deus, ex poſtrema parte textus inferri deberet, quod ſi Spiritus Sanctus eſſet perſona, dici non poſſet, neminem præter ipſum ſcire, alioquin neſciret Pater; ergo.

132. Argumento primo plures non nulla reſpondent, mihi tamen ſemper placuit a ſanctorum Patrum ſententiis nequaquam recedere, & quamvis fortaſſe plus ingenii oſtenderem, vererer, ne minus veritatis aſſequerer. Non loquetur a ſemetipſo, etenim operatio unius perſonæ inſeparabilis eſt ab alia perſona, quando eſt operatio eſſentialis, non notionalis, & perſonalis; Quæcumque audiet, loquetur, & de meo accipiet, quia Spiritus Sanctus, licet ſit verus Deus, eſt tamen perſona ab alio procedens. Ita Ambroſius lib. 2. de Spiritu S. cap. 12. *Quid eſt ergo, non enim a ſe loquetur?* inquirit Sanctus Doctor, reſpondet. *Hoc eſt ſine me non loquitur, quia loquitur veritatem, ſapientiam aſpirat. Non ſine Patre loquitur, quia Dei ſpiritus eſt, non a ſe audit, quoniam ex Deo omnia ..... Quia a Patre non poteſt Filii operatio ſeparari, ſimiliter & Spiritus Sancti operatio non ſecernitur*. & ibidem, *Non enim loquitur a ſe, hoc eſt non ſine Patris, & Filii communione. Neque enim diviſus, & ſeparatus eſt Spiritus, ſed quæ audit, loquitur, audit videlicet, per unitatem ſubſtantiæ, & per proprietatem ſcientiæ*. Ita etiam explicant alii Patres, quos prætereo. Sed, cur inquies, dictum eſt, audiet, accipiet? Hæc ſunt verba indicantia futurum, ergo non poſſunt referri ad eam æternam proceſſionem, quam nos fatemur. Quid reſpondeo, dicere debuiſſet? ais, accepit, audivit. Ita ne? erit igitur illa proceſſio præterita, noveris æternam, æternitas autem æquali modi reſpicit præteritum, & futurum, cum ſemper ſit præſens. Audiamus tamen Auguſtinum tract. 99. in Joan. *Non moveat*, inquit, *quod verbum futuri temporis poſitum eſt. Illa quippe audientia ſempiterna eſt, quia ſempiterna ſcientia. In eo autem, quod ſempiternum eſt, ſine initio, & ſine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis, & ineffabilis non recipiat fuit, & erit, ſed tantum eſt, tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus verſatur noſtra mortalitas; Fuit in præteritis ſæculis, eſt in præſentibus, erit in futuris. Fuit quia nunquam defuit, erit, quia nunquam deerit, eſt, quia ſemper eſt*.

133. Si quod ſecundo loco dictum eſt, probaret, dici etiam deberet falſum eſt, quod de Deo habetur, *ſcrutans corda, & renes Deus*. An non perfectiſſime intelligit corda? Verbum igitur illud tropice uſurpatum eſt, idemque ſignificat quod intelligere, & cognoſcere. Quod vero dicatur, *quæ Dei ſunt nemo cognovit niſi Spiritus Dei* non per hoc excluditur Pater, vel Filius, ſicut dictum fuit de die judicii, quem tantum a Patre cognoſci, ſcriptura teſtatur, excluduntur alii quicumque ſpiritus, ſi tales ſint ſubſtantia, ut Angeli, & animæ rationales, ſi accidentaria aliqua qualitas ſpiritus nuncupatur.

Advertere tamen debuiſſet Crellius, quod ex textibus adductis, ſaltem ſaltem probatur Spiritus Sanctus perſona ſubſiſtens, certe enim loqui, audire, accipere, tantum ad perſonam, ſeu ſuppoſitum pertinent.

Reliqua leviora ſunt, magiſque nugatoria, ideo in iis dedecet immorari.

AR-

ARTICULUS VII.

Utrum Spiritus Sanctus à Patre, Filioque procedat.

134. SPiritum Sanctum a Patre procedere inter Catholicos nullam unquam quæſtionem legimus excitatam. Ariani, & Macedoniani id quidem negarunt, nam cum dicerent Filium, & Spiritum Sanctum eſſe creaturas, illum a Patre, hunc a Filio factum eſſe dixerunt. Verum Spiritus Sancti proceſſionem aperte indicant ſcripturæ dicente Chriſto Joan. 15. *Cum venerit Paraclitus, qui a Patre procedit*, & clare definit Concilium Conſtantinopolitanum generale primum, quod habet, *Et in Spiritum Sanctum, qui a Patre procedit*. atque ideo error hujuſmodi brevi proſcriptus eſt.

135. Acrius exarſit flamma Latinos inter & Græcos de proceſſione Spiritus Sancti etiam a Filio, & quo pacto res ſe habuerit, liceat hic perſtrictim deſcribere. Plures jam fuerunt commotæ controverſiæ; namque ſub Pipino Francorum Rege habitum eſſe concilium in Villa Gentiliaco apud Pariſios, Regino ſcribit, & rurſus aliud Aquiſgranis, in Adonis legimus Chronico; Carolumque Magnum hujus definiendæ cauſa Romam ad Leonem III. legatos miſiſſe Bernharium Wormacenſem Epiſcopum, & Adalardum Abbatem, Adelmus narrat, quamvis non de proceſſione ipſa, ſed potius de particula, *Filioque*, quæ tunc in Galliis recepta, cantari cæperat in Miſſa, collationem cum Pontifice habuiſſe, ex illius actis colligitur. Uſque ad hoc temporis tamen ſcintilla excitata erat, nondum exarſerat flamma, Imperium tenente Michaele, qui Bardam avunculum ſuum imperiali ornatu, ac dignitate rerum ſummæ præfecerat, & Apoſtolicam ſedem implente Nicolao I. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus ejectus, pulſuſque fuit, Photiuſque ex laico ſuffectus, qui in conciliabulo Ignatium damnavit; Hoc intellecto damnatus Photius a Nicolao I. ſed viciſſim a Photio inaudita temeritate damnatus Nicolaus, tantoque odio vir ille perditus in Romanam Eccleſiam debaccatus eſt, ut multa latinis impoſuerit crimina, præſertim vero, quod Spiritum Sanctum a Filio procedere dicerent, cujus errori, ac pertinaciæ adhærentes Græci ſe a latinis diſiunxerunt. Photio, ut ſua poſcebat dignitas & authoritas, reſtitit Nicolaus, datiſque litteris ad Hincmarum Remenſem Archipræſulem, alioſque Epiſcopos Galliæ eos hortatus eſt, ut perduellem infringerent, mitterentque ad ſe Romam, quidquid ſtatuiſſent. Interim ſupremum obiit diem Nicolaus, occiſuſque Barda, quo ſublato, Baſilius Macedo ad imperii collegium a Michaele aſſumptus fuit, qui poſt annum deceſſit, & Baſilio ſolo imperante dejectus fuit Photius, priſtinæque dignitati Ignatius reſtitutus, agente contra Photium, quem condemnavit, octava Synodo æcumenica. Tunc Græci ad unitatem, & concordiam cum Latinis reverſi, ſed paulo poſt pro ingenita animi mobilitate in eumdem errorem relapſi. Hac de cauſa coactum fuit ſub Urbano II. Ann. 1097. Barenſe Concilium, in quo S. Anſelmus adverſus Græcos Spiritum Sanctum a Filio procedere, ſtrenue, ſapienterque demonſtravit; Urbano ſucceſſit Innocent. Tertius, eoque in Petri Cathedra ſedente iterum pax græcos inter ac latinos habita in Concilio Lateranen. IV. cui interfuerunt cum aliis Græcis Patriarchæ Conſtantinopolitanus, ac Hieroſolymitanus. Pax tamen ea non fuit, ſed belli ſuſpenſio, donec ſub Michaele Palæologo Græcorum Imperatore, & Gregorio X. Romano Pontifice habitum fuit Concilium Lugdunenſe ſecundum, in quo inita concordia eſt, & ita quidem ut miſſi ab Imperatore, & Eccleſia Græca legati ad ſummum Pontificem errorem

rem palam ejuraverint, ac Symbolum cum particula *Filioque* addita una cum latinis inter ſacra ſolemnia cantaverint. Quæ omnia referuntur a Trithemio in Chronico Hirſangenſi, a Blondo lib. 8. Decade 2. aliiſque. His abſolutis, nullam amplius inter utramque Eccleſiam diſcordiam futuram eſſe, quis ſibi non perſuaderet? Huic paci cũ nonnullis aliis reſtiterat, moramque fecerat Joſephus Patriarcha, quo depulſo ſuffectus fuit Becus præclariſſimus omni ex parte vir qui prius Græcorum propugnator, deinde lectis, quæ pro Spiritus Sancti a Filio proceſſione, ex ſcriptura, & Patribus Nicephorus Blemmydes collegerat, teſtimoniis, ad latinorum partes tranſivit. Verum iterum commota ſeditio; defuncto Michaele Palæologo, Beccus ſua dignitate ſpoliatur, ſedique reſtituitur Joſephus, cum quo pluribus Sanctis viris, & Epiſcopis morte, vel exilio mulctatis, ad errorem primum Græci rediere, donec tandem ſub Joanne Palęologo, & Eugenio IV. rurſus inito fœdere Græci cum Romana Eccleſia in Concilio Florentino ſociati ſunt. Fuit in hoc concilio erroris ſui tenaciſſimus Marcus Epheſinus, qui cum paucis aliis concilio ſubſcribere recuſavit. Unde actum eſt, ut paulo poſt ab unione omnes recederent, donec tandem in ſceleris pœnam Conſtantinopolitana Urbs a Turcis, fuit expugnata, Imperiumque Orientis extinctum, & quidem ipſa die, quo Spiritui Sancto dicatam diem celebrant latini. Hæc dicta ſint de Græco Schiſmate, & ad dogma noſtrum deveniamus. Pro quo.

136. Dicendum; Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere.

Hoc in primis probandum a nobis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis. Joan. 16. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, qui a Patre procedit, ille teſtimonium &c.* & Joan. 26. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Mittitur igitur Spiritus Sanctus a Filio, procedit ergo a Filio; quæ illatio tam certa eſt, ſicuti certum eſt nullam perſonam ab alia mitti, quin ab alia procedat, & ideo nunquam Pater legitur miſſus, quia a nullo procedit; ergo.

Diceſ. ſi probaret hæc ratio, etiam Filius a Spiritu Sancto procederet, quia etiam Filius a Spiritu Sancto dicitur miſſus, juxta id quod habetur Iſ. 48. *miſit me Dominus Deus, & ſpiritus ejus.*

Poſſumus inſuper hanc Spiritus Sancti miſſionem aliter explicare, quatenus nobis Filius dona Spiritus Sancti largiatur.

Sed contra; dicitur quidem a Spiritu Sancto miſſus, ſed ſecundum naturam humanam, quam aſſumpſit, quo ſenſu dicitur etiam virtute Spiritus Sancti incarnatus, ſpiritus autem ſanctus cum aliam naturam non aſſumpſerit, ſi fuit miſſus, fuit ſecundum divinam perſonam, & ideo ſecundum hanc debet procedere, quæ reſponſio eſt, S. Th. 4. contra Gent. cap. 24. pro quo videatur 1. p. quæſt. 44. art. 8.

Ad 2. Ita dicitur Miſſus, ut non de donis Spiritus Sancti præciſe poſſit intelligi, ſic enim etiam Pater miſſus dici poſſit, cum horum donorum etiam ipſe ſit author, imo Filius miſerat ſe ipſum; ſed de ipſa perſona debeat explicari, quod ſatis innuunt verba illa teſtimonium perhibebit, & alia quæ non ſubdo.

137. Joann. 16. legitur de Spiritu Sancto. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Porro quid eſt, quod Spiritus Sanctus accepit a Filio niſi eſſentiam, originem, & proceſſionem? Quid eſt, Filium habere ea omnia, quæ Pater habet, niſi, quod ſicuti Pater habet virtutem producendi Spiritum Sanctum, ita etiam hanc habeat Filius? Unde merito Florentinum in definitione dixit; *Quoniam om-*

omnia, quæ Patri ſunt, ipſe Pater Unigenito Filio ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrem, hoc ipſum quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, ipſe Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus eſt.

138. Denique Spiritus Sanctus eodem modo dicitur Spiritus Filii, ſicut dicitur Patris. Mat. 10. *Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Ad Rom.8. *Si quis Spiritum Chriſti non habet &c.* ergo ſicuti quia Spiritus Patris procedit a Patre, ita, quia Spiritus Filii, procedit a Filio.

139.. Ita profecto omnes Sancti Patres allata teſtimonia intellexerunt; nec eos memorabo, qui Conciliis interfuerunt, in quibus Græci latinorum ſententiam amplexi ſunt, ſed longe priores; Hujuſmodi ſunt Tertullianus, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, ut alios prætercam; Primus contra Praxeam cap.4. *Filium non aliunde*, inquit, *deduco, ſed de ſubſtantia Patris, Spiritum Sanctum non aliunde peto, quam a Patre per Filium*. Secundus lib. 2. de Trinit. ait, *Loqui de eo*, ideſt Spiritu Sancto, *non neceſſe eſt, qui Patre, & Filio authoribus confitendus eſt*. Tertius lib.1. de Spiritu Sancto cap.11. aſſerit; *Spiritus quoque Sanctus, cum procedit a Patre & Filio, non ſeparatur a Patre, non ſeparatur a Filio*. & cap.3. de Symbolo Apoſt. *Spiritus Sanctus vere Spiritus eſt, procedens quidem a Patre, & Filio, ſed non eſt ipſe Filius*. Poſtremus lib.4. de Trinit. cap. 20. explicat id quod ſupra a nobis propoſitum eſt, per hæc verba. *Nec poſſumus dicere, quod Spiritus Sanctus & a Filio non procedat, neque enim fruſtra idem Spiritus & Patri & Filii Spiritus dicitur*. Producere poſſem Anſelmum, qui Græcorum ſchiſmati coævus fuit; ſed pro re noſtra totus eſt ejus liber adverſus Græcos.

140. Quanquam quid hoſce memoro, qui latini ſunt; oportet ex Græcis Græcos confundamus. Horum ſeriem ſi mihi daretur contexere, plures producerem, quam opus eſſet. Nunquid deeſſet Athanaſius in lib. de humana ſuſcepta natura perpendens illa verba Joan.7. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, Hoc autem dixit de Spiritu, quem recepturi erant credentes in eum?* Vides, quo pacto aqua viva comparetur Chriſto, tanquam ab ipſo emanans, juxta quod dixit David pſ. 35. *Quoniam apud te eſt fons vitæ*. dicit autem Athanaſ. laudato loco. *Noverat Propheta Filium eſſe fontem Spiritus Sancti*. Nunquid deeſſet Chryſoſtom. eadem verba declarans de Chriſto, ut fonte, de Spiritu Sancto, ut aqua? Sed ſufficiant, Athanaſ. in Symbolo. *Spiritus Sanctus a Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus ſed procedens*. Baſil. in lib. de Spiritu Sancto cap. 17. *Sicut ſe habet Filius ad Patrem, ſic ad Filium Spiritus Sanctus*. & lib.5. adverſus Eunom. hæretico poſtulanti, *Cur Spiritus Sanctus non dicatur Filius Filii*, reſpondet; *Non quod ex Deo non ſit per Filium, ſed ne Trinitas putetur eſſe infinita multitudo, ſi quis eam ſuſpicaretur, ut ſit in hominibus, filios ex filiis habere*. Si autem juxta mentem Baſilii Spiritus Sanctus a Filio non procederet, expeditius reſpondiſſet, quia Spiritus Sanctus non procedit a Filio. Epiphan. hær.62. *Semper cum Patre Filioque Spiritus eſt, non Patris veluti fratres, non genitus, aut creatus, non filii frater, aut Patris nepos, ſed a Patre procedens, & accipiens a Filio, a Patre, Filioque non alienus, verum eadem ea ſubſtantia, eademque divinitate ex Patre, & Filio*. Cyrill. Alexandr. in epiſ. ad Neſt. *Etſi Spiritus in propria perſona ſubſiſtat, eatenuſque in ſe ipſo conſideretur, quatenus Spiritus eſt, & non Filius, non eſt tamen ab eo alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur. Chriſtus autem veritas eſt, & proinde*

quoque ab illo, & a Patre procedit.

141. Tandem dogma noſtrum rationibus etiam Theologicis confirmatur a Doctoribus, quos tamen parum firmas exiſtimo. Prima enim communior eſt, quia ſi Spiritus Sanctus non procederet a Filio, neque diſtingueretur a Filio, de hac erit peculiaris diſputatio. Secunda eſt, quia Filius procedit per actum intellectus, Spiritus Sanctus per actum voluntatis, quod autem procedit per actum voluntatis, nempe amor, procedit per actum intellectus nempe Verbum, nihil enim volitum quin præcognitum, & conſequenter amor oritur a Verbo, & notitia rei amatæ, Sed reponere poſſent, requiri quidem actum intellectus, qui tamen non eſt amoris principium, ſed ſolum conditio nullum præbens influxum. Tertia eſt, quia ſi Spiritus Sanctus non procederet a Filio, nullus eſſet ordo inter perſonam Filii, & Spiritus Sancti, nec eſſet potior ratio, quare ſemper ſecundo loco nominetur Filius, & tertio Spiritus Sanctus, ut conſtat ex illo Mat. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & 1. Joan. 5. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; qua ratione uſus eſt Joan. Theol. in Concil. Florent. ſeſs. 21., ſed reſpondere poſſent, hunc ordinem adhuc admittendum fore, quia licet Spiritus Sanctus non procederet a Filio, adhuc intelligeretur Filius in priori, quia per actum intellectus, qui ſemper prior eſt actu voluntatis, & ideo mirum non eſſet, ſi adhuc prius nominaretur Filius, quam Spiritus Sanctus.

142. Potius, ſi quod Theologicum momentum afferre placeret, hoc eligerem. Verbum prius origine eſt, quam Spiritus Sanctus, quia ut dictum eſt, actus voluntatis poſterior eſt actu intellectus, ſed Verbum pro illo priori habet virtutem ſpirandi Spiritum Sanctum, ergo ſpirat, ita ut impoſſibile ſit, a Patre procedere, quin etiam a Filio procedat; min. conſtat, quia Verbum pro illo priori habet eamdem voluntatem Patris, quam ipſi communicat, proinde &c.

ARTICULUS VIII.

Refelluntur argumenta Græcorum.

143. O b. 1. ex Scripturis. Joan. 14. Spiritus Sanctus a ſolo Patre procedere dicitur. *Spiritus, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* & 15. *Cum autem venerit Paraclitus &c. Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* admittere igitur, Spiritum Sanctum a Filio procedere, eſt id admittere, quod in Evangelio expreſſe non legitur, quod non niſi perperam fieri poteſt.

144. Non eſſet cur reſponderemus, textus iſtos & nos adduximus, atque ex iis Spiritus Sancti a Filio proceſſionem probavimus. quamvis igitur non habetur expreſſum verbum *procedere*, habetur tamen in terminis æquivalentibus, per *mittere* per *accipere &c.* dici tamen poteſt, proceſſionem expreſſe Patri tribui, quia Pater eſt principium & fons divinitatis, atque ut ep. 10. advertit Cyrill. Addidit, qui a Patre procedit; ne quis Spiritum Sanctum a ſolo Filio procedere ſuſpicaretur, & non addit *ſimul a Filio* ne inutiliter Chriſtus repeteret, quod prius dixerat; dixerat autem per illa verba, *quem ego mittam vobis.* Addit autem S. Th. hic ad 1., regulariter etiam in Scriptura Sacra id tenendum eſſe, quod ſi aliquid dicatur de Patre, etiam de Filio intelligendum ſit, licet adderetur particula excluſiva, quando non eſt ſermo de iis, in quibus Pater & Filius relative opponuntur, ut conſtat quando Mat. 11. legitur. *Nemo novit Filium, niſi Pater.* cum igitur Pater & Filius non opponantur in hoc, quod eſt eſſe principium Spiritus Sancti, quamvis diceretur,

tur, Spiritum Sanctum a ſolo Patre procedere, adhuc Filius non excluderetur.

145. Op. 2. ex PP. Baſil. ep. 43. ait. *Nullam ſecundum propriam rationem communionem habet Filius cum Patre.* Nazianz. orat. ad epiſcop. Ægypti; *Omnia, quæ habet Pater, etiam Filius habet, excepta cauſalitate.* Damaſc. 1. de Fide cap. 11. ſic ſcribit; *Scire oportet, nos non dicere Patrem eſſe ex aliquo, ſed ipſum dicimus Patrem eſſe Filii, Filium vero non dicimus principium, neque Patrem, ſed eum dicimus & ex Patre eſſe, & Filium Patris. Porro Spiritum Sanctum tam ex Patre eſſe profitemur, quam Patris appellamus Spiritum; Ex Filio autem Spiritum non dicimus, ſed eum Filii Spiritum nominamus.* & cap. 13. *Sed & Filii Spiritus eſt, non tanquam ex ipſo, ſed quod per ipſum ex Patre procedat; Solus enim Pater principium eſt.*

146. Hoc jam prius tradiderat Theodoretus; cujus duo teſtimonia clariſſima ſunt contra S. Cyrillum, qui in anathematiſmo nono dixerat, *Spiritum Sanctum Filii eſſe proprium.* Primum eſt in confutat. capitulorum. *Quod autem Spiritum Filii eſſe proprium aſſerit. Si quidem ut ejuſdem cum eo naturæ, & ex Patre procedentem dixit, aſſentiemur, & eam vocem, tanquam piam, admittemus; Sin hoc aſſerat, tanquam per Filium, & ex Filio exiſtentiam habeat velut blaſphemum hoc, impiumque reiiciemus. Fidem enim adhibebimus dicenti domino, Spiritus, qui a Patre procedit, nec non Paulo loquenti: Nos autem non Spiritum mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo Patre eſt.* Secundum eſt in epiſt. ad Monaſteria, ut fert Hugo Etherianus. *Blaſphemat & in Spiritum Sanctum, dum non ex Patre ſolo illum aſſerit procedere juxta domini vocem, ſed ex Filio eundem habere exiſtentiam. Hi ſunt Ægyptii partus, & malo patre deteriora germina.*

147. A duobus prioribus teſtimoniis facili negotio nos expedimus; in primo enim Baſilii ſermo eſt de propria notione Filii, nempe Filiatione, in qua nullam habet cum Patre communionem, imo ſervat oppoſitionem. in ſecundo nihil Nazianzenus docet, niſi id, quod ſtatuit Florentinum, videlicet, Patrem omnia dediſſe Filio, præter eſſe Patrem, in quo eſt cauſalitas, ſeu influxus in Filium.

Quantum vero ſpectat ad S. Joannem Damaſcenum, exiſtimavit Pithæus, eſſe Joannem Monachum illum Jeroſolymitanum, qui, juxta Adonem in Chronico, circa an. 809. hac in re controverſiam excitavit, pro qua dirimenda Concilium Aquiſgranenſe ſub Leone 3. & Carolo Magno coactum fuit, ſed deceptus fuit, etenim S. Damaſcenus extremam obiit diem, ante illud Concilium, an. nimirum 731. juxta Annatum, vel 744. juxta Baronium, S.Th. 1. p. q. 36. art. 2. ad 3. ſic reſpondet. *Spiritum Sanctum non procedere a Filio primo fuit a Neſtorianis introductum, & hunc errorem ſequutus fuit Theodoretus, & plures poſt ipſum, inter quos fuit etiam Damaſcenus. Unde in hoc ejus ſententiæ non eſt ſtandum.*

148. Bona tamen venia tanti Doctoris hoc de Damaſceno viro Sanctiſſimo ac doctiſſimo dici non poteſt; negavit enim Theodoretus, Spiritum Sanctum eſſe ex Filio, & per Filium, Damaſcenus vero etſi neget ex Filio non tamen inficiatur per Filium; neque etiam dici poteſt fuiſſe in errore græcorum, qui licet admitterent, eſſe per Filium, attamen dicebant, particulam *per* nequaquam influxum, ſeu cauſalitatem ſignificare, etenim optime noverat, particulam *per* vim cauſalis habere, nec illi ignota erat definitio Concilii Alexandrini contra Theodoretum.

149. Melius ergo, ac ſine Damaſceni injuria dici poteſt, illum *per Filium* idem indicaſſe, quod latini *ex Filio.*

lio. atque hoc colligo ex eodem, qui ibidem vocat Spiritum Sanctum ſpiritum Filii, quod ex Synodo Alexandr. ſolum de origine dici poteſt, qui ait, Spiritum manifeſtari per Filium, quod niſi propter æternam emanationem habetur, qui comparat Patrem ſoli, Filium radio, Spiritum Sanctum ſplendori, qui certo a radio proficiſcitur. Quamobrem ſi excluſit *ex Filio* hoc fecit, ſicut & plures alii Patres Græci, quia exiſtimavit, particulam *ex* denotare rationem primi principii; & cum Filius non ſit primum principium Spiritus Sancti, ſed principium ex principio, ne videretur duo principia Spiritus Sancti aſſerere, maluit dicere per Filium, quam ex Filio. Ita Beſſarion in Concil. Florent., & in epiſt. ad Alexium Laſcarim, Calecas, & Demetrius.

150. Quantum vero ſpectat ad Theodoretum, hunc dimittendum eſſe, monet ſuperius S. Th., nec non Synodus Alexandrina, quem pravi authorem dogmatis appellat Hugo Etherianus lib. 1. cap. 2., quemve Cardinalis Beſſarion aliis græcis reliquit. Non deſunt tamen, qui illum in rectum ſenſum contendant deducere, & tantum contra Cyrillum errore facti egiſſe, cum putaret, Cyrillum Spiritus Sancti divinitatem negare, de qua calumnia ſibi impoſita conqueritur Cyrillus, nec unquam Theodoreto aliud imponit, quod quidem non omiſiſſet, ſi Spiritus Sancti proceſſionem a Filio, ſive per Filium negaſſet; imo ex doctrina Theodoreti proceſſionem illam facile colligere poſſumus; lib. enim 5. hæretic. fabul. cap. 3. docet, Spiritum Sanctum eſſe ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, quia Pater eſt fons Spiritus Sancti, atqui ibidem docet etiam Spiritum Sanctum eſſe ejuſdem ſubſtantiæ cum Filio, ergo & Filius eſt fons ejuſdem, adeoque ab illo procedit; Idcirco, cum in productis teſtimoniis negaverit Spiritum Sanctum habere ex Filio, vel per Filium exiſtentiam, hoc eſt eſſe factum vel creatum per Filium, de quo dicitur, *Omnia per ipſum facta ſunt*, hæc enim erat illius diſputatio contra Eunomium & Macedonium, neque tunc temporis de proceſſione Spiritus Sancti a Filio quæſtio exorta erat; Urgere poſſet in Theodoretum, quod ſecundo loco dictum eſt, nempe a *ſolo Patre*, ſed inquiunt in tomo 5. Concil. Labbæi, non reperiri illam particulam *ſolo*. An hoc recte dici poſſit, videat Lector; ex illis verbis videtur, oppoſitum evinci, nam in primis aperte ſermo eſt de proceſſione.

Potius mihi, ſi vellem illum excuſare, dicendum videretur, quod advertit Garnerius in opere poſthumo, ideſt tom. 5. diſſert. 3., Theodoretum in epiſt. ad Joan. Antiochenum ſimiles propoſitiones retractaſſe.

151. Ex his interim habes particulas *ex* & *per* idem ſignificare, quod quidem oſtendi poteſt ex variis ſcripturis, dictiſque Sanctorum Patrum. Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum* inquit Eva; *Nonne per Deum horum manifeſtatio eſt* ait Joſeph Gen. 37. de inſomniis. Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Ad Coloſ. 1. *omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt*; in quibus de cauſa efficiente, & de vero principio ſermonem eſſe, nemo poteſt in dubium revocare. Athanaſius orat. 2. contra Arianos cap. 1. *Cum igitur ad eam ætatem homo proceſſerit, cui vim, ac robur natura tribuit, ſtatim ſine impedimento ullo, naturaliter homo fit Pater Filii, qui per ipſum exiſtit*. Cyrill. in quarto dial. contra Neſtorium; *Efficiuntur omnia a Patre, & per Filium in Spiritu, & dum Pater movetur ad efficientiam aliquorum, procul dubio efficit Filius in Spiritu; Ac ſi quid implere dicatur Filius, aut Spiritus, id omnino eſt ex Patre*. Centum alii ex Græcis occurrerent, ſed concludat ex latinis Anſelmus in lib. de proceſs. S. S. cap. 9. dicens, *Quæ facta ſunt a Patre per Verbum, facta ſunt ſimiliter ab*

ab ipſo Verbo, Ipſum namque Verbum dicit, Quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit; Dicamus igitur, quia Spiritus Sanctus cum procedit a Patre per Filium, procedit & a Filio ſimiliter, ſicuti quæ facta ſunt a Patre per Verbum, facta ſunt ſimiliter ab ipſo Verbo.

152. Op. 3. In Concilio Epheſino publice latum fuit a Chariſio Presbytero Symbolum Neſtorianum, in quo dicebatur, Spiritum Sanctum Filium non eſſe, neque per Filium ſubſtantiam habere, hoc non damnat Concilium, imo nec Cyrillus in capitulis adverſus Neſtorium, nec Cæleſtinus Romanus Pontifex hoc reprobat; quod quidem factum jam fuerat a Concilio Nicæno 1. & Conſtantinopolitano 1., in quibus fuit quidem definita Spiritus Sancti divinitas, ſed de proceſſione ipſius a Filio Patres omnino ſiluerunt. Quid ſi diceremus, Leonem tertium particulam illam *Filioque* reprobaſſe? & tamen res ita eſt, juſſit enim Symbolum conſtantinopolitanum, cui inſerta fuerat, abſque tali additione juxta Sancti Petri confeſſionem in tabulis argenteis affigi.

153. Reſp. in Concilio Epheſino damnatum eſſe Symbolum Neſtorianum in iis, in quibus aperte catholicæ fidei opponebatur, quia vero Spiritum Sanctum non habere per Filium ſubſtantiam poterat in recto ſenſu intelligi, ideſt per Filium non eſſe factum, vel creatum, ſicut dicebant Euomiani, & Macedoniani, ideo rejectum non fuit; Quod vero Cyrillus, ac Cæleſtinus hac in re nihil dixerint, nihil refert, quia tunc de Spiritus Sancti a Filio proceſſione non agebatur, ideo fuiſſet ſupervacanea, & intempeſtiva cenſura.

Quid etiam mirum, ſi in Concilio Nicæno 1. & 1. Conſtantinopolitano de hujuſmodi proceſſione ſilentium ſervatum eſt. Concilia non definiunt niſi in illis rebus, quæ pertractantur, & in controverſiam deducuntur; Tunc autem de ea proceſſione nulla quæſtio erat mota, ſed tantum Spiritum Sanctum eſſe Deum, & a Deo procedere, ſatis erat definire, ut damnaretur error, de quo agebatur.

Quod attinet ad Leonem Tertium, hunc approbaſſe dogma proceſſionis Spiritus Sancti a Filio una cum legatis Eccleſiæ Gallicanæ, & Caroli Magni, ſatis conſtat ex actis legationis, quæ deſcribit Sirmondus tom. 2. Conciliorum Galliæ. Egre quidem tulit Pontifex abſque urgente neceſſitate particulam illam inter ſacrorum ſolemnia publice decantari. Ita reſpondent aliqui. Verius tamen exiſtimo, pluribus ex cauſis ad actum eſſe. Primo quia declarare voluit, non debere prius inſeri, & cantari, niſi prius ab Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt, & magiſtra, ut habetur in diſt. 11. cap. *Non decet*, inſereretur, & cantaretur. Secundo juſſit inſcribi Concilium Conſtantinopolitanum ſine illa particula, ut illius memoria publice conſervaretur ob capitales hæreſes ab ipſo proſcriptas; & ne græci arbitrarentur, aut nobis eſſe contrarium, aut a nobis non recipi. Tertio ne ab ipſis adderetur, *a ſolo Patre* ut feciſſe dicitur Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitan. quod vero Leo manifeſte dogma noſtrum profeſſus ſit, patet ex dial. in prima reſponſione data legatis penes Baronium ad an. 809.

154. Op. 4. Si Spiritus Sanctus eſſet a Patre, & Filio, Pater non eſſet per ſe principium ſufficiens Spiritus Sancti, egeret enim Filio, eſſet ergo Pater imperfectum Spiritus Sancti principium, & partiale. Secundo ſi Spiritus Sanctus a Filio procederet, eſſet nepos Patris, & Filius Filii, ſed hoc non ergo.

155. Iſtæ erant ineptiæ Photii. Ad primum retorſio clara eſt in mundi creatione, idem enim argumentum fit. non eſt igitur Spiritus Sanctus a Filio

ex

ex Patris imperfectione, ſed propter eãdem virtutem ſpirativam, quæ neceſſario eſt tam in Patre, quam in Filio, ſicuti creatio mundi non eſt ab omnibus tribus perſonis ex unius perſonæ imperfectione, ſed quia omnipotentia creatrix indiviſim in omnibus reſidet; neque productio Spiritus Sancti a Patre, & Filio dividenda eſt in duo principia, ſed in unum tantum, ſicut inferius dicetur.

Ad 2. Reſponſio patet ex nuper dictis, quia Patris, & Filii eadem eſt productio, nec Spiritus Sanctus eſt per generationem, ſed ſpirationem, & ideo &c.

Sunt & alia ſimilia, quæ opponantur, ſed negligenda.

ARTICULUS IX.

De Particula Filioque *addita Symbolo Conſtantinopolitano.*

156. CUm Eunomiani a ſolo Filio Spiritum Sanctum procedere erronee, craſſeque contenderent, Concilium Conſtantinopolitanum primum poſt aſſertam ejuſdem Spiritus Sancti divinitatem, a Patre procedere decrevit, attamen de proceſſione a Filio nec verbum facit. Hac de re acriter conqueſti ſunt Græci in Synodo Florentina, quod Latini particulam illam addiderint, eamque additionem peſſimam fuiſſe ſchiſmatis cauſam affirmarunt. Marcus Epheſinus græcorum cauſam agebat, & ſeſſ. 3. hiſce verbis fecit exordium.

Scire autem, Vos Patres ampliſſimi, velim, nos de Symboli additione verba eſſe facturos, quod neque vera, neque prorſus conveniens ſit, quam ſane conſtat, noſtri ſchiſmatis, ac diſſidii præcipuam cauſam fuiſſe. & proſequens dicit; *A mutua erga ſororem ſuam Orientalem benevolentia Romana Eccleſia jam defecerat, dogmaque ſibi proprium finxerat, ac ſibi perpetuo conſervaverat, quod neque litteris relictum, neque ab univerſalibus Conciliis celebratum, neque a majoribus noſtris ſuſceptum; & probatum fuerat, idque propterea ſolvendæ noſtræ amicitiæ cauſam, ſimultatumque noſtrarum initium dubio procul fuiſſe conſtat.*

157. Hoc de re tria videnda ſunt. Primum, quod præcipui momenti eſt, utrum merito, juſteque addita ſit illa particula Symbolo Conſtantinopolitano. Secundum; an hujuſmodi additio cauſa fuerit græcorum à Romana Eccleſia ſeparationis; Tertium. Quo tempore a Latinis hæc vox cœperit publice decantari.

Dicendum 1. juſte meritoque additam fuiſſe illam particulam, etiam inconſultis græcis. Enim vero quis tam rudis aut inſipiens eſt, ut ignoret hanc eſſe facultatem in Eccleſia, atque in Summo Pontifice, qua poſſit juſta de cauſa aliquid addere, quod non ſit quidem novus articulus fidei; ſed nova, ac clarior explicatio? Tunc autem juſta cauſa cenſenda eſt, quando vel aliqua hæreſis ſerpit, vel aliquis error graſſatur. Quod in re noſtra Græcorum fraude, ac inconſtantia nemo non videt, qui legit hiſtoriam. Hoc ſemper in Eccleſia ſervatum eſt; contendebant Ariani, Filium non eſſe Patri conſubſtantialem, addidit Apoſtolorum Symbolo Concilium Nicænum 1. vocem, *conſubſtantialem*. Addidit Concilium Conſtantinopolitanum 1. Synodo Nicænæ Filium *a Patre natum ante omnia ſæcula, incarnatum de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine*. & Spiritum Sanctum *ex Patre procedentem, Dominum, & vivificantem, cum Patre, & Filio, ſimul adorandum &c.* Quid igitur in cauſa eſt, non potuiſſe addi etiam inconſultis græcis illam particulam, *Filioque*? Perpendantur ea, quæ de Romani Pontificis auctoritate etiam ſine Concilio dicta ſunt in noſtro primo tomo, & ſatis hoc reſolvetur.

158. Aliud

158. Aliud præclarum argumentum contra Græcos affert Julius, ſeu Julianus Cardinalis ſeſ. 7. Concilii Florentini. Addiderat Agatho Pontifex Summus nonnulla Symbolo Nicæno, nonnulla vero ademerat, hæc recenſet laudatus Eminentiſſimus, deinde concludit. *Cum ergo Agatho non increpetur a Græcis, cum aliqua Conſtantinopolitano adjecerit Symbolo, & ſuſtulerit aliqua, cur a vobis incuſamur, quod illud, & ex Filio, addiderimus; cum id ſit ipſa veritas, quamvis modicum hoc adiiciatur.*

159. Hoc in cauſa eſt, dicebant Græci, quod hujuſce particulæ additione violatum eſt Concilium Epheſinum adverſus Neſtorium convocatum. Act. enim 4. hiſce verbis ſevera ac diſtincta prohibitio facta eſt. *Statuit Sancta Synodus alteramfidem nemini licere proferre, aut conſcribere, aut componere, præter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt; Qui vero auſi fuerint, aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, ſive ex Gentilitate, ſive ex Judaiſmo, ſive ex qualicumque hæreſi, hos quidem, ſi ſunt Epiſcopi, aut Clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos a Clericatu decrevit; Si vero Laici fuerint, anathemati ſubiici.* Ita actum eſt contra Græcos addendo Symbolo quod in ipſo non erat, ergo.

160. Quam futilis ſit hic argumentandi modus ex pluribus coniici poteſt; Primo enim, licet admitteremus, Epheſinam prohibitionem juxta verba admittendam eſſe, ex ea compertum ſit, eam extendi tantnm ad Epiſcopos, Clericos, & Laicos, nequaquam vero ad aliud Concilium, vel ad Romanum Pontificem. Secundo ex Sancto Bonaventura, & ex ſeſſ. 10. Concilii Florentini, triplex additio reperiri poteſt; Una, quæ ſit fidei contraria, qualis eſſet, ſi quis diceret, Spiritum Sanctum carnem aſſumpſiſſe, alia, quæ ſit temere facta, & ab uſu communi aliena, qualis eſſet, ſi quis diceret, Patrem æternum eſſe Philoſophum; Tertia, quæ aliquod fidei myſterium jam implicite contentum, magis explicet, ac declaret. Primæ duæ in laudato Concilio prohibitæ fuerunt, nequaquam poſtrema; conſtat hoc etiam magis ex occaſione, quæ ita definiendi ſeſe obtulit Concilio, etenim Symbolo Neſtoriano, oblato à Chariſio Presbytero, plures ſubſcripſerant. Hinc ne quid ſimile impoſterum contingeret, prohibitio lata eſt. Cæterum idem Concilium in profeſſione ſuæ fidei addidit contra Neſtorium vocem, *Deipara*.

161. Juxta dicta intelligendum eſt id, quod ſcribit S. Cyril. ad Acadium dicens. *Sancta, & œcumenica Synodus, quæ Epheſi convenerat, neceſſario providit, non oportere aliam fidei expoſitionem in Eccleſias Dei inferre, præter eam, quæ jam extabat, quem beatiſſimi Patres noſtri Sancto Spiritu locuti definierant*, atque illud etiam, quod habet in epiſt. ad Joan. Antiochenum per hæc verba. *Nullo modo patimur, ut ab aliquo fides illa, ſive fidei Symbolum concutiatur, quod a Sanctis quondam Patribus Nicænis editum eſt*; & ſubdit, *nemini omnino licere, vel unam voculam, aut unam ſylabam præterire*. Jam animadvertis in primo teſtimonio eſſe ad verbuim illud *præter*, quod pro *contra* uſurpari ſolet, ſicut dicit Beatus Paulus inquiens anathema eſſe qui evangelizaverit præter id, quod a ſe prædicatum erat, obſervas in ſecundo eſſe verbum illud *concutiatur*, quod ſolummodo fit per doctrinam contrariam; quod nequaquam fit per majorem ſymboli explicationem. Adde, hæc omnia dicta eſſe per reſpectum ad materiam, de qua in eo Concilio actum erat contra Neſtorium, quæ nihil ad rem noſtram conferebat.

162. Quo pacto igirur, replicabis, ſer-

ſervabitur id, quod ſcribit Agatho Papa ad Imperatores, cujus epiſtola lecta, atque probata fuit a ſexta Synodo generali act. 4.? ſic autem loquitur. *Quæ regulariter a Sanctis, atque Apoſtolicis prædeceſſoribus, & venerabilibus quinq; Conciliis definita ſunt, cum ſimplicitate cordis, & ſine ambiguitate a Patribus traditæ fidei conſervamus, unum, ac præcipuum bonum habere ſemper optantes, atque ſtudentes, ut nihil de eis, quæ regulariter definita ſunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, ſed eadem & verbis, & ſenſibus illibata cuſtodiantur*. & act. 2. Anathemati ſubiiciuntur illi, qui addunt quid vel adimunt de Eccleſia.

163. Quo pacto id ſervabitur? jam reſponſum eſt, nihil minuendo, nihil addendo, nihil mutando, quod non ſit juxta ea, quæ in conciliis definita ſunt, quod non ſit a legitima poteſtate ſtatutum, quod ſine urgenti neceſſitate actum ſit, quæ omnia in quæſtione noſtra ad juſtam particulæ additionem concurrunt; Ipſa Synodus 6. duas in Chriſto voluntates definivit, an aliquid imminuit, mutavit, addidit? Utique, ſed tantum magis explicando, quod non tam clare in ſcripturis, & Symbolo continebatur. Si quod nobis opponitur, verum eſſet, omnia poſteriora concilia nulla eſſent, & ut alia prætereamus, nonne ſeptima generalis Synodus cultum imaginum ſtatuit, de quo nihil in Nicæno, nihil in Conſtantinopolitano Symbolo prius erat decretum? Attendenda eſt igitur materia, de qua agitur, attendendæ circumſtantiæ, attendendus Eccleſiæ ſtatus, attendendi errores, qui de novo excitantur. Non habet Eccleſia, non habent Romani Pontifices leges circumſcribentes, niſi eas, quæ a Deo emanarunt. Quod uno non expedit tempore, opportunum eſt alio. In ſcripturis ſanctis, in traditionibus, in Conciliis, omnia ad fidem pertinentia ſunt, non tamen omnia explicate tradita ſunt, Ideo &c.

164. Nunc devenio ad ſecundum punctum, an videlicet, ſchiſmatis græcorum cauſa fuerit illius additio particulæ, & negative ſentio. Pluribus moveor, ut hoc dicam; novum certe græcis apparere non potuit, dici Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedentem, ipſi jam, ut vidimus in brevi hiſtoria, a nobis ſub initio expoſita, toties adhæſerunt latinis, & inde receſſerunt; ſed quod amplius eſt, hoc legere potuerunt in propriis ſuis Patribus, quos nos aduximus; An latebat ipſos epiſtola Damaſi Papæ ann. 307. ad Paulinum Antiochenum, quam ex Baronio ad an. 877. corrupit Theodoretus, in qua diſertiſſimis verbis hujuſmodi proceſſio probatur? An latebat quod S. Leo Papa I. qui circa an. 440. Petri ſedem tenuit teſtatum reliquit in epiſt. 91. ad Turibium Epiſcopum contra Priſcilianis:? An quod Hormiſda, qui circa annum 514. ſcripſit ad Juſtinian. Imperatorem tom. 2. Conc. cap. 2. Non erat, non erat nova hæc doctrina, nec verti poterat latinis, eſſe novitatum amaſios; Denique Cardinalis Julianus ſeſ. 5. Concilii Florentini, lecto ſeptimi Concilii capite, in quo erant hæc verba; *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit*. Sic Græcorum Imperatorem allocutus eſt; *Septimi Concilii Symbolum, Sereniſſime Imperator; quod modo fecimus recitari, in vetuſtiſſimo volumine ſcriptum eſt, ut nemo poterit ſuſpicari corruptum fuiſſe, cum præſertim quidam hiſtoricus noſter antiquus quidem, ac litteratus inter alia id quoque teſtetur, hoc ipſum ſymbolum in ſeptimo concilio recitatum fuiſſe. Tali propterea ſymbolo cum hac additione, vel declaratione, ex Filioque, non mediocrem tribuimus auctoritatem*. Igitur quæ cauſa fuit? Hanc in ſe ipſis tantum invenire potuiſſent, inveniſſent in ſuorum Antiſtitum ambitione, in clericorum cæcitate, in Orientalium Imperatorum adverſus

verſus Romanos Pontifices inveterata, ac barbara malevolentia.

165. Quod vero ſpectat ad tertium punctum, fatemur rem eſſe ſatis obſcuram. Si S. Thomam perlegamus; hic quæſt. 36. art. 2. ad 2. in fine dicit, additam fuiſſe in quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato authoritate Summi Pontificis. Quod nam autem fuerit concilium hoc, nequaquam exprimit. Calecas, Genebrardus, & Sacolanus autumant, additam fuiſſe in Synodo Romana ſub Damaſo, & ipſo tempore, quo Conſtantinopoli alia celebrabatur. Deſumitur hoc ex epiſtolis Concilii Conſtantinopolitani ad Damaſum, & hujus ad illud, tum ex Damaſi Symbolo, quod habetur 9. tom. Hieronymi cum illa particula, Filioque.

166. Hanc opinionem optime refellit doctiſſimus æque, ac Eminentiſſimus Bellarminus. Quia nec in laudatis epiſtolis, nec in ſymbolo Damaſi, quod modo extat, nec in 1. tomo Conciliorum, nec in 9. lib. hiſtoriæ tripartitæ ulla mentio fit illius particulæ; & ſi in illius epiſtolis reperta fuiſſet, Teodoretus, non tam audacter, ut aliqui exiſtimant, oppoſitum docuiſſet; imo nec Leo Tertius in tabulis argenteis ſcribi juſſiſſet Concilium Conſtantinopolitanum ſine illa particula. Quod vero de Symbolo Damaſi dicitur, illud ſuppoſititium eſſe aſſerit Cardinalis de Aguirre, quia Marius Victor in tomo 9. Hieronymi auctoris incerti opera collegit;

167. Alii arbitrati ſunt additam fuiſſe vel in Synodo Generali Rom. ſub Agathone tempore 6. Synodi generalis. ita Baron. ad an. 680., vel in ſeptima generali ſynodo an. 787., ut diximus ex Cardinali Juliano num. 153. Deſumitur hæc opinio, quia exhibitus fuit in Concilio Florentino codex ille, de quo ibidem, & quia in codicibus Conciliorum Sixto V. nuncupatis, in quibus labores Surii commendantur, illa particula reperitur. Hoc tamen ſatis non probat; nam nec in exemplaribus Romani Concilii ſub Agathone, nec ſextæ Synodi, nec in illis ſeptimæ exhibitis a græcis, additio illa legitur, & Anaſthaſ. Bibliothecarius, qui acta ſeptimæ Synodi ex græco tranſtulit nullam mentionem illius additionis facit; & ulterius ſi id eſſet, redit quod diximus de Leone Tertio. Quare argumentum, quod nos adduximus loquentes de cauſa ſchiſmatis græcorum, ex hoc capite non evincit, & pro illo apponendum eſt, quod poſtremo hic dicemus.

168. S. Antoninus 3. p. tit. 22. innuit, factam fuiſſe illam additionem tempore Nicolai I. an. 858. Maimbourg: vero tempore Benedicti Octavi ſæculo undecimo. Primum approbari non poteſt; nam ſi ita eſſet, certe Photius inſenſiſſimus Nicolai hoſtis hoc ipſi oppoſuiſſet, quod tamen factum non eſſe, advertit etiam Andreas Coloſſenſis in Concilio Florentino, & quamvis a Baronio ad an. 863. referantur quædam epiſtolæ Photii ad ſedes Patriarchales orientis, in quibus de ſymbolo corrupto, & adularato conqueritur; attamen non Photii fuerunt, ſed Siſinnii Patriarchæ Conſtantinopolitani, ut habetur in codice, quod in collegio Græcorum aſſervatur. Secundum neque, cum in illius ætatis hiſtoriis nihil hujuſmodi recenſeatur, & legitur quidem tunc temporis Romæ decantatum eſſe Symbolum cum additione illa, non tamen tunc factam fuiſſe.

169. Veroſimilius igitur dicimus eſse, additam fuiſse in Concilio Bracharenſi an. 411. ut legitur apud Labæum tom. x1. nam juxta iſtius editionem leguntur hæc verba. *Credo in Spiritum Sanctum procedentem a Patre, & Filio*; deinde inſertam in conciliis Hiſpan. Toletano 3. ſub Recaredo Rege an. 598. Tolet. 4. an. 633. Tolet. 6. an. 639. Toletan. 8. an. 653. Inde in

Germaniam & Galliam dimanaſſe ſæculo 8., ut ex actis Concilii Aquiſgranenſis ſub Leone Tertio, & Carolo Magno, ſicut dictum fuit; & denique aut Leonis tertii, aut ejus immediati Succeſsoris auctoritate, juxta poſtulata Germanorum, & Gallorum, ad Romanam Eccleſiam. Sed tantum in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. ſolemniter latine & græce fuit cum illa additione ſymbolum decantatum an. 1274. quod etiam actum fuit in Florentino an. 1439. ſub Eugen. IV.

ARTICULUS X.

Utrum Pater, & Filius ſint duo principia Spiritus Sancti.

170. UT in ſuperioribus vidimus ore Photii opponebant Græci latinis, quod, ſi Spiritus Sanctus a Patre Filioque procederet, Pater & Filius eſſent duo Spiritus Sancti principia, & ſic tanquam a duobus principiis partialibus produceretur, quod ſine maxima imperfectione affirmari non poteſt.

Dicendum. Patrem & Filium eſse unum principium, ſeu unum ſpiratorem Spiritus Sancti.

Prob. 1. ex Conciliis Lugdunenſi, & Florentino. In illo ſtatuunt Patres in cap. *Fideli de Sum. Trin. in ſexto* ſic; *Damnamus, & reprobamus omnes, qui tam vario auſu aſſerunt, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principiis, non tanquam ab uno procedat*. In alio ſic decernunt in lit. Unionis; *Definimus, quod Spiritus Sanctus a Patre, & Filio æternaliter tanquam ab uno principio & unica ſpiratione procedat*. ergo.

171. Secundo occurrunt Patres, præſertim Baſilius lib. 2. contra Eunomium, & Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. ubi expreſſe ait. *Fatendum eſt, Patrem & Filium principium eſſe Spiritus Sancti, non duo principia.* Anſelmus vero lib. de proceſſ. Spiritus Sancti cap. 18. ſimul theologicam affert rationem, quam ſic propono. Licet ſint tres divinæ perſonæ, quæ creant omnia, non dicuntur tamen tres creatores, ſed unus creator, ergo licet ſint duæ perſonæ, quæ producunt Spiritum Sanctum, non ſunt tamen duo ſpiratores, ſed unus ſpirator; ant. de fide eſt, & traditur etiam a S. Auguſtino 5. de Trin. cap. 13. dicente. *Cum dicimus Patrem principium, & Filium principium, non duo principia creaturæ dicimus, quia unus Deus ſimul unum principium eſt, ſicut unus creator & unus Deus.* pro. Conſa. Ideo non tres creatores, ſed unus creator, quia tres perſonæ per unam ac indiviſam virtutem creant, ſed etiam Pater & Filius per unam virtutem indiviſam ſpirandi producunt Spiritum Sanctum, quia in hac virtute nec relative, nec diſparatè opponuntur, proinde eſt utrique communis & una, ergo ſi &c. etiam &c. Hoc autem ex eo deſumitur, quod ſubſtantivum non prædicatur in plurali, quando forma in concreto eſt una, ſic dici non poteſt, *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt Dii*, quia deitas ſignificata hoc nomine *Deus* eſt una, ſed hoc nomen *Principium*, *Spirator* eſt nomen ſubſtantivum, & forma, nempe vis ſpirandi, eſt una, ergo non poteſt prædicari in plurali.

172. Dicit Durandus, in Conciliis non dictum eſſe abſolute *ab uno principio*, ſed *tanquam ab uno principio*, eo pacto quo, quando duæ cauſæ ad eundem effectum concurrunt, dicuntur concurrere adinſtar unius cauſæ. Ratio autem Durandi eſt, quia eſſe principium ſpectat ad ſuppoſitum, & ideo dici debet, eſſe duo principia habentia eamdem virtutem ſpirandi.

Sed contra, Quod in Conciliis addatur illa particula *tanquam*, nihil officit, etenim etiam in Evangelio Joannis 1. habetur, *Vidimus gloriam ejus, glo-*

gloriam quaſi Unigeniti a Patre. & tamen eſt revera Unigenitus. & ad Heb. 2. dicimus, *Moyſes fidelis eſt in tota domo, tanquam famulus*; & tamen revera famulus erat. Quod vero principium ſpectet ad ſuppoſitum, tunc eſt verum, quando in ſuppoſito eſt diverſa numero agendi virtus, ut contingit in creatis, aut quando eadem numero virtus eſt affecta diverſa conditione oppoſita relative, ut ſe habet Paternitas per reſpectum ad Filium, quod non contingit in Patre & Filio per reſpectum ad Spiritum Sanctum, non enim opponuntur Pater & Filius in ratione ſpiratoris. Illa autem Durandi ſententia, quamvis in ſenſu ab ipſo explicata, nimirum ut ſint duo principia habentia eamdem vim ſpirandi, non ſit hæretica, nihilominus tamen in modo loquendi temeraria eſt, ſicut ſi quis diceret, eſſe tres Deos, ſeu tres creatores, & explicaret, ideſt tres habentes eamdem Deitatem, & virtutem creandi, in fide non erraret, attamen propter modum loquendi temeritatis eſſet redarguendus.

173. Op. 1. Si Pater & Filius ſunt unum principium Spiritus Sancti, ratio principii vel ſumitur pro forma agendi, vel pro ipſo agente; Si primum, potius dici debet in Patre, & Filio eſſe unum principium, ſeu unam formam agendi, quam Patrem, & Filium eſſe unum principium; Si ſecundum, cum ſint duo ſuppoſita agentia, etiam dici debent duo principia.

II. Juxta multiplicationem ſuppoſitorum multiplicari debet ratio ſpiratoris, ergo ſi Pater, & Filius ſunt duo ſuppoſita, ſunt duo ſpiratores; ant. oſtenditur, quia ſpirator ſignificat actum, actus autem egreditur a ſuppoſito.

III. Ex quo in Patre & Filio ſit una vis ſpirandi, non poteſt dici Pater. & Filius unus ſpirator, ergo. prob. ant. Ex quo in Patre ſit duplex vis generandi, & ſpirandi, Pater non poteſt dici duplex principium, ergo a pari ex quo in Patre & Filio ſit una virtus ſpirandi, non poſſunt dici Pater, & Filius unus ſpirator.

IV. Quamvis Paternitas, & Spiratio activa non opponantur in ratione relationis, attamen ſunt duæ relationes, ergo quamvis Pater, & Filius non opponantur in ratione ſpiratoris, ſunt tamen duo ſpiratores.

V. Falſum eſt, ſpirationem activam eſſe poſſe eamdem in duabus perſonis, etenim eſt proprietas relativa, proprietas autem relativa nequit eſſe eadem in duabus perſonis, cum per proprietates relativas perſonæ diſtinguantur.

VI. Tandem ſententia noſtræ oppoſita fuit ſententia Patrum; Hilarius lib. 2. de Trinit. aſſerit, *Ex Patre & Filio authoribus eſſe Spiritum Sanctum*. Gregor. Nyſſen. in Epiſt. ad Ablavium, Cyril. Alexandrin. lib. 1. Theſauri, aliique, dicunt Spiritum Sanctum eſſe a Patre mediate, a Filio immediate; Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. 17., & alibi, inquit, Spiritum Sanctum a Patre principaliter procedere, ergo non ſunt Pater & Filius idem omnino principium.

174. Reſp. ad primum. Idem argumentum fit de Deo ut Deo, & ut creatore. peto enim, Quando Pater & Filius & Spiritus Sanctus ſunt unus Deus, unus creator, vel ſumitur Deus & creator pro forma, vel pro ſuppoſito, ſi primum, potius dici deberet, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eſt una Deitas, & una ratio productiva, quam Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe unum Deum, & unum creatorem; Si ſecundum, cum ſint tres perſonæ, erunt tres Dii, tres creatores. Ideo dicimus, quod ſicut ratio deitatis, & virtutis productivæ ſumitur in concreto, & ideo eſt unus Deus & unus creator, ita ratio ſpirandi ſumitur in concreto, & ideo unus ſpirator, ſicut dictum eſt in probatione.

Ad 2. negatur antec: ad prob. argumentum redit, nam etiam creator ſignificat actum, nec tamen ad multiplicationem ſuppoſitorum multiplicantur creatores. Itaque ad hujuſmodi multiplicationem nequaquam ſufficit multiplicatio ſuppoſitorum, ſed etiam debet multiplicari virtus, ſeu conditio ad operandum. Utrumque enim neceſſarium eſt ad denominanda plura principia; Non ſufficit diverſum ſuppoſitum, ut in noſtro caſu; nec ſufficit diverſa virtus; nam ut adnotat Scot. in 1. diſ. 21. q. 1. licet in eodem dentur diverſæ artes, diverſæque ſcientiæ, non tamen plures denominantur artifices, ſeu ſcientes, ut experimur, itaque licet ad agendum requiratur ſuppoſitum, non tamen ex diverſitate ſuppoſitorum infertur diverſa actio, ſi eadem ſit in utroque virtus agendi, ut in re noſtra.

Ad 3. ex dictis patet reſponſio; cum ad multiplicanda principia nec ſatis ſit diverſa virtus, ut eſt ratio generandi, & ſpirandi, nec ſatis ſit diverſitas ſuppoſitorum, ſi eadem omnino ſit virtus.

Ad 4. dico; Paternitatem, Filiationem, & Spirationem activam eſſe diverſas relationes reſpectu termini; ideſt Spiritus Sancti, loquendo de ſpiratione activa, non tamen per reſpectum ad Patrem & Filium, quia Pater & Filius in ſpiratione activa relative non opponuntur, atque ideo propter ſpirationem activam multiplicatur perſona, quæ eſt Spiritus Sanctus, non tamen multiplicantur in Patre & Filio Spiritus Sancti principia.

Ex his ad 5. quia ſpiratio activa non eſt proprietas relativa inter Patrem & Filium, ſed inter Patrem & Filium per reſpectum ad Spiritum Sanctum; Pro qua re obſervandum eſt, ſpirationem activam & eſſe ſimul quid abſolutum, & ſimul quid relativum; in Patre & Filio quid abſolutum eſt, quia revera a Patre communicatur Filio, ut vero reſpicit Spiritum Sanctum, eſt quid relativum, quia non communicatur, nec communicari poteſt.

Ad 6. negatur, ſententiam contrariam eſſe ſententiam Sanctorum Patrum, ſicut nos diximus ſupra. Quid igitur Hilarius? explicationem meam non appono, ubi S. Thomas appoſuit ſuam; dicit autem Angelic. 1. p. q. 36. art. 4. ad 7., *Quia ſpirans adjectivum eſt, ſpirator vero ſubſtantivum, poſſumus dicere, quod Pater & Filius ſint duo ſpirantes propter pluralitatem ſuppoſitorum, non autem duo ſpiratores propter unam ſpirationem; nam adjectiva nomina habent numerum ſecundum ſuppoſita, ſubſtantiva vero a ſeipſis ſecundum formam ſignificatam; Quod vero Hilarius dicit, quod Spiritus Sanctus eſt a Patre, & Filio authoribus, exponendum eſt, quod ponitur ſubſtantivum pro adjectivo*. Ad alios Patres; ſenſus eſt, Spiritum Sanctum eſſe a Patre mediate, ideſt prius intelligitur productus Filius, quam Spiritus Sanctus ſpiratus, non quia in Patre & Filio non ſit eadem omnino virtus ſpirativa. De Sancto Auguſtino jam alibi dictum eſt, plura tribui principaliter Patri, quæ Filio non tribuuntur, quia Pater eſt fons, & origo totius Divinitatis, & in re noſtra, quia virtus ſpirandi Filio a Patre communicatur.

AR-

ARTICULUS XI.

Utrum, ſi Spiritus Sanctus non procederet a Filio, diſtingueretur a Filio.

175. PRæcipua ratio, qua cum S. Thom. utuntur Catholici probantes contra Græcos, Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere, eſt, quia per Græcos Spiritus Sanctus diſtinguitur a Filio, ſi autem non procederet, nequaquam diſtingueretur.

Quamvis vero aliqui Theologi dicant, quæſtionem hanc eſſe ſupervacaneam, & inutilem, utpote procedentem ex hypotheſi impoſſibili, cum, ut inquiunt, dato uno impoſſibili, ſequatur quodcumque aliud, nihilominus tamen omnes celeberrimi Doctores in ſcholis præcipuis Sancti Thomæ, Scoti, Henrici, & Nominalium, deinde omnium Neotericorum, eam ex hac hypotheſi pertractant; & merito quidem; nam hypotheſes iſtæ impoſſibiles valde conferunt ad aliquam rem agnoſcendam ſecundum propriam ſuam rationem, & per locum, quem dicunt ab intrinſeco. Si quis inquireret, an ſi Deus non eſſet trinus, adhuc produceret & conſervaret, hypotheſim impoſſibilem fingeret, & tamen confert ad dignoſcendum, an virtus productiva, & conſervativa conveniat ipſi ut Trino, vel ut uni, & ſic loquendo de aliis, quæ ſimili pacto poſſunt inquiri.

176. In hac autem controverſia debemus conſiderare Filium, & Spiritum Sanctum, non prout de facto ſunt, etenim certum eſt, Filium Spiritum Sanctum ſpirare, & Spiritum Sanctum procedere a Filio; ſed Filium, præciſum a virtute ſpirationis activæ cum ſola Filiatione, & Spiritum Sanctum præciſum a ſpiratione paſſiva a Filio accepta, cum ſola ſpiratione paſſiva accepta a Patre.

177. Tres ſententias apud Doctores invenies; Una eſt, quæ aſſerit, non eſſe aliunde petendam diſtinctionem Spiritus Sancti a Filio, quam ab origine & proceſſione illius ab iſto, atque hanc tradit S. Th. 1. p. q. 36. art. 2. ad 7. 4. contra Gent. cap. 29., & q. 10. de potent. art. 4., quam ſequuntur omnes ex ſchola ſua, & communiter Recentiores. Altera eſt omnino contraria; Hanc tradidit quodlib. 5. q. 9. Baccon. in 1. diſ. 13. q. unica, amplexique ſunt Nominales; ſed præſertim docuit Scotus in 1. diſ. 11. q. 2., & ita quidem, ut hæc ſententia apud Theologorum vulgus dicatur Scotiſtarum; Tertia demum media tribuitur Aureolo, qui in 1. diſ. unica art. 3. ait, adhuc inter Filium, & Spiritum Sanctum fore diſtinctionem realem, non tamen perſonalem, quia cum per ipſum ſpiratio activa ſit ratio formalis conſtitutiva Filii, ſi Filius non ſpiraret, non eſſet perſona, ergo nec perſonaliter diſtinctus; quia tamen generaretur, quod non poteſt componi cum ſpiratione paſſiva, re a Spiritu Sancto diſtingueretur. Hic dicendi modus ſententiæ Scoticæ favet, attamen in fundamentis ſuis eſt omnino falſus, nam ſi Filius non eſſet perſona per generationem, neque diſtingueretur a Patre, & ſic deſtrueretur myſterium Trinitatis, non eſt enim, nec eſſe poteſt in divinis, niſi perſonalis diſtinctio, & ideo realis eſt, quia perſonalis eſt; Præterea; quodcumque rationale quod ſit, nec ſe habeat ut pars, perſona eſt, ſed Filius eſſet, nec pars eſſet, ergo perſona eſt. Sed hanc omittendo ſententiam, ad duas præcipuas dirimendas devenio.

Dicendum. Spiritum Sanctum in dicta hypotheſi adhuc diſtinguendum eſſe a Filio.

178. Probat. 1. ratione Scoti loco citato, & ſimul reiicitur præcipuum fundamentum opinionis oppoſitæ. Si in Filio non eſſet ſpiratio activa adhuc eſſet

eſſet Filius, nec eſſet Spiritus Sanctus, ſed ſi in filio non eſſet ſpiratio activa. ſpiritus a filio non procederet, ergo licet Spiritus Sanctus non procederet a filio adhuc non eſſet filius, proinde diſtingueretur a filio. Probat. maj. Si in filio non eſſet ſpiratio activa, adhuc eſſet formale conſtitutivum filii, quod non eſſet formale conſtitutivum Spiritus Sancti, ergo ſi in Filio non eſſet ſpiratio activa, adhuc eſſet Filius, nec eſset Spiritus Sanctus; patet conſa, quia ſi formale conſtitutivum non eſt idem, nec perſona conſtituta eſt eadem; prob. ant. Formale conſtitutivum filii eſt filiatio, non vero ſpiratio activa, cum hæc intelligatur tanquam adveniens peſonæ jam conſtitutæ formaliter, & ſit quid commune etiam Patri proinde nequaquam proprium perſonæ, in conſideratione perſonæ, formale vero conſtitutivum Spiritus Sancti eſt ſpiratio paſſiva, quæ nequaquam filiatio eſt, & cui, etſi non opponeretur relative in conceptu originis, ac proceſſionis, opponeretur tamen diſparate, quod ſufficit ad diſtinctionem ſervandam, ergo ſi in filio non eſset ſpiratio activa, adhuc eſset formale conſtitutivum filii, quod non eſset formale conſtitutivum Spiritus Sancti.

179. Hic inquiunt labor eſt, & opus; probandum ſupereſt, ralationem diſparatam ad diſtinctionem ſtatuendam ſufficere, etenim ultro concedunt, præter Aureolum, cujus ſententiam non examinamus, ſpirationem activam formaliter filium non conſtituere, attamen, in hac hypotheſi, eadem perſona eſset filius, & Spiritus Sanctus, quia inter utrumque non eſset oppoſitio relativa, quæ unica in divinis eſt ratio diſtinctionis, cum qualibet diſtinctio, vel oriatur a limitatione, vel ab oppoſitione relativa, juxta commune illud Theologicum axioma, deſumptum a Patribus, & ſingillatim a S. Anſelmo in toto ſuo libro; *Omnia in divinis ſunt unum, ubi nõ obviat oppoſitio relativa.* Optime ſane; atque in hac adverſantis partis oppoſitione omnia ſtrictim dicta ſunt, quæ ex Conciliis, Patribus, & ratione pro ſe militare arbitrantur. Omnia tamen non ſic perſtricte nos diſsolvemus, ſed locum dabimus ipſis, ut omnia clarius, validiuſque proponant, & nobis ipſis, ut omnia clarius, validiuſque refellamus.

180. Quod ad argumentum a nobis propoſitum ſpectat, eſt, ut demonſtremus relationem diſparatam ſtatuendæ diſtinctioni ſufficere. Hoc autem ſic probamus. I. Datur de facto in divinis diſtinctio realis ſine oppoſitione relativa, ergo quia ſufficit oppoſitio diſparata; probat. ant. Pater, & Filius, ſeu Paternitas, & filiatio realiter diſtinguuntur a ſpiratione paſſiva, nec tamen huic relative opponuntur, ſiquidem ſpirationi paſſivæ opponitur tantum ſpiratio activa; quæ nec formaliter eſt Paternitas, nec filiatio, cum illa communicetur nec ſit proprietas perſonalis, econtra Paternitas non communicetur, & ſit proprietas formaliter conſtitutiva Patris, ergo. ant. declaratur, quia ſi Paternitas, & filiatio realiter non diſtinguerentur a ſpiatione paſſiva, ſequeretur, quod Spiritui Sancto communicarentur, & Spiritus Sanctus eſſet Pater, & Filius.

II. Demus hypotheſim, in qua Spiritus Sanctus procederet a filio, & non a Patre, adhuc Spiritus Sanctus a Patre diſtingueretur, aliter eſſet Pater; & Pater Filiũ, a quo procedens ſupponitur, generaret, & tamen inter Patrem, & Spiritum Sanctum eſſet tantum oppoſitio relationis diſparatæ, non originis, ergo a pari ſi Spiritus Sanctus procederet a Patre, & non a Filio, diſtingueretur a Filio propter ſolam relationem diſparatam.

181. Tam argumentum primum, quam ſecundum non mediocriter adverſarios premit, atque ex eo facile deduci poteſt,

poteſt, quod ipſi pluribus reſponſionibus occurrunt, quas unus, vel alter ex ipſis reiiciunt.

Reſpondent primo Paternitatem, & filiationem diſtingui a ſpiratione paſſiva, quia ſunt radix ſpirationis, & utraque cum activa ſpiratione identitatem ſervat; unde cum ſpiratio activa relative opponatur ſpirationi paſſivæ, ſequitur, quod etiam opponantur Paternitas, & filiatio.

Reſponſionem hanc communiter reprobant contrariæ ſententiæ propugnatores; & merito; etenim nonne etiam eſſentia eſt radix paternitatis oppoſitæ filio? nec tamen filio opponitur; nonne identitatem ſervat cum ſpiratione activa, ſicut ſervat paternitas? nec tamen diſtinguitur a Spiritu Sancto, & ſpiratione paſſiva; ergo a pari quamvis Paternitas, & filiatio ſint radix ſpirationis activæ, atque cum iſta ſint idem, attamen non ſequitur, quod ſicut relative hæc opponitur ſpirationi paſſivæ, ita opponantur & illæ, ſed ſolum diſparate ſe habeant, neque enim res debemus conſiderare ſecundum eſſe identicum, ſed ſecundum ſuum formale conſtitutivum, quod etiam debet eſſe diſtinctivum, quod quidem formale conſtitutivum etiam ſi ſit diſparatum, attamen diſtinguit, ut patet in homine, qui per rationalitatem non ſolum diſtinguitur aquocumq; irrationali, cum quo opponitur, ſed etiam a lapide, cum quo tantum ſe habet diſparate, & ratio eſt illa, quam affert Scotus, quia quod conſtituit in eſſe entis conſtituit etiam in ratione unius; unum autem eſt illud, quod eſt indiviſum in ſe, & diviſum a quocumq; alio, quod non eſt ipſum. Dixi, non eſſe conſiderandam rem ſecundum eſſe identicũ, aliter nihil poſſemus cognoſcere per cauſam formalem, & locum ab intrinſeco, & dicemus, non omnipotentiam eſſe cauſam productivam mundi, ſed omnia attributa, cum quibus identica eſt omnipotentia; Sicut igitur vere dicimus, omnipotentia eſt hujuſmodi cauſa, quia etiamſi excluderentur ſeu præſcinderentur alia attributa, adhuc Deus poſſet mundum producere, ita in re noſtra vere dicimus filiatio eſt ratio formalis conſtitutiva filii, Paternitas ratio formalis conſtitutiva Patris, etiam præciſa ſpiratione activa, per quam nec Pater, nec Filius conſtituuntur in eſſe Patris, & Filii, ſed tantum in eſſe ſpiratoris; Si ergo filius non eſſet ſpirator, adhuc eſſet filius, ergo adhuc diſtingueretur a Spiritu Sancto, qui non per filiationem, ſed per ſpirationem paſſivam a Patre acceptam conſtitueretur.

182. Reſpondunt ſecundo Filiationem opponi Spiritui Sancto, quia licet non ſit formaliter ſpiratio activa, attamen eſt ſpirationis activæ actualis acceptio, ergo ſicuti ſpiratio activa opponitur relative Spiritui Sancto, ita etiam opponitur Filiatio, cum repugnet, opponi rem acceptam, & non opponi id, in quo res accipitur.

Reſponſionem hanc, teſte Arriaga, authores ſui valde commendant; ego tamen penitus reprobo. Primo jam, ut præmonui, ne fiat quæſtio ridicula ac nugatoria, non debemus loqui de Filiatione, ut modo eſt, ſed debemus ſupponere, Filiationem eſſe ſine ſpiratione activa, tunc adhuc Filiatio eſſet vere Filiatio, & Filius vere Filius, quamvis non eſſet ſpirator, ſed Filiatio ut Filiatio diſtinguitur a ſpiratione paſſiva; ergo. Secundo. Data ſuperiori doctrina Filiatio eſſe poſſet in Patre. prob. Filiatio nequit eſſe in Spiritu Sancto, quia ſpiratio activa, quæ, ut eorum terminis utar, accipitur in Filiatione, opponitur ſpirationi paſſivæ, & quando opponitur res accepta, opponitur etiam res accipiens, ergo ab oppoſito Filiatio poteſt eſſe in Patre, quia ſpiratio activa, quæ accipitur in Filiatione, non opponitur Paternitati, & ubi non opponitur res accepta, nec opponitur res accipiens propter eamdem rationem.

183. Re-

183. Reſpondent 3., omiſſis aliis, quæ ex Superioribus rejiciuntur; Argumentum noſtrum petere principium, & laborare in ſuppoſito quæſtionis; nam ſupponimus, Filiationem, ut Filiationem non futuram eſſe ſpirationem paſſivam, quod tamen eſt falſum, aut ſaltem eſt id, quod eſt in quæſtione; Unde argumento noſtro ſub initio propoſito, quod deducebatur ex quo conſtitutivum ſit etiam diſtinctivum, dicunt, eſſe verum, ſi detur hoc aliud, a quo diſtinguat, non ſi e contra, ut eveniret in caſu; Quantum vero ad id, quod de relationibus diſparatis dicebatur, id pernegant; etenim in eadem perſona Patris reperiuntur duæ diſparatæ relationes, ut ſunt Paternitas & ſpiratio activa, ex quo inde inferunt, quod etiam pari modo in eadem perſona Filii reperiretur Filiatio & ſpiratio paſſiva.

184. Sed contra. Ut ipſi ſic mihi reponunt, ita ego ipſis; etenim eamdem futuram eſſe perſonam Filium, ac Spiritum Sanctum, eſt petere principium, & aſserere id, quod in præſentiarum inquiritur, ut compertum eſt; eamdem tamen perſonam non eſse futuram inferius demonſtrabo ex alia ratione ſecunda, quam affert ſubtiliſſimus Doctor ſapienter prævidens quid ab illis dici poteſt. Interim refellendum cenſeo, quod de Paternitate, ac ſpiratione activa proferebant. Fateor, non omnes relationes diſparatas diſtinctionem inferre, ſed illas dumtaxat, quæ ſunt incompoſsibiles in eodem ſubiecto. Porro generare, & ſpirare non ſunt in eodem ſubiecto incompoſsibiles, ſunt autem generari, & ſpirari, & ſi argumentum veleret, ſequeretur, quod ſicuti in Patre eſt virtus generandi, & ſpirandi, ita in Spiritu Sancto eſse poſset generari, & ſpirari etiam de facto; Non ita certe debemus loqui de productionibus paſsivis, ſicut de activis, nec ab identitate principii valet argumentum ad identitatem termini. Hoc Thomiſtæ fateantur, neceſse eſt, eadem enim cauſa producere poteſt plures effectus, nec tamen per ipſos, ſicuti & per me, idem effectus eſse poteſt a pluribus cauſis, & quamvis Neoterici contrarium ſentiant, id tamen non affirmant, niſi juxta legem extraordinariam, ad quam in noſtra materia non eſt confugiendum. Totum hoc magis infra declarabitur.

185. Non me tamen latet, quod juxta doctrinam Bacconi, concedi poſſet, in hac hypotheſi etiam Spiritum Sanctum futurum Filium, attamen perſonaliter diſtinctum a ſecunda perſona, quæ pariter Filius eſt. Fundamentum illius Doctoris eſt, quia juxta Auguſtinum 15. de Trinit. cap. ultimo, ideo Spiritus Sanctus dicitur modo perſona diſtincta a Filio, quia procedit a duobus, unde quærens, cur Spiritus Sanctus non dicatur natus, ſed procedens, reſpondet; *quia ſi diceretur natus vel Filius, amborum diceretur Filius, quod abſurdum eſt, quia nullus duorum eſt, niſi Patris, & Matris*; ergo dato oppoſito, quod ſcilicet, ab uno ſolo procederet, jam eſſet Filius, tanquam Frater ſecundæ perſonæ, quæ modo eſt Filius; Supponit vero Bacconus, etiam in voluntate Patris ineſſe vim generativam, & ideo juxta ſua principia, de quibus modo non diſputo, recte concludit; Filius enim ſecunda perſona eſſet per intellectum, & eſſet Verbum; Alius vero Filius eſſet per voluntatem, & eſſet amor. Quare juxta hunc Doctorem poſſemus concedere, Spiritum Sanctum tunc futurum Filium, attamen adhuc diſtinctum a Filio, quem nunc confitemur.

186. Hæc dicta ſunt ad defendendum quod ſupra primo a nobis propoſitum eſt; operæ pretium modo cenſemus, illud etiam perpendere, quod contra ſecundum ibidem propoſitum adverſarii reponunt.

Reſ-

Reſpondent aliqui cum Valentia & Ferchio negando antecedens paritatis; ſed unanimi aliorum conſenſu reiicitur hujuſmodi reſponſio propter rationem adductam a nobis. Quare in ea refellenda non arbitror immorandum.

Communiſſime igitur inquiunt, in ea hypotheſi adhuc ſervandam diſtinctionem inter Spiritum Sanctum & Patrem, quia Pater, gignens Filium, tribueret Filio naturalem vim ad ſpirandum Spiritum Sanctum, atque ideo eſſet principium mediatum Spiritus Sancti, nam quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, opponeretur propterea mediate Spiritui Sancto, & ob iſtam mediatam oppoſitionem a Spiritu Sancto diſtingueretur immediate, ſicut Avus diſtinguitur a Nepote; at ſi Spiritus Sanctus procederet a ſolo Patre, nulla nec immediata, nec mediata oppoſitio foret inter Filium, & Spiritum Sanctum, igitur & nulla diſtinctio.

187. Sed contra; ſi hujuſmodi mediata oppoſitio ſtatuendæ ſufficit diſtinctioni, cur non ſufficiet diſparata? Secundo eſſe mediate a Patre, nihil facit ad rem, non enim Nepos diſtinguitur ab Avo per mediatam originem ab Avo, ſed potiſſimum propter ſuam individualem differentiam, & proprietatem, ergo etiam Spiritus Sanctus, ſi eſſet a ſolo Filio, non diſtingueretur a Patre, quia a Patre mediate procederet, ſed per ſuam proprietatem perſonalem, ſecundum quam non eſſet Pater, & ratio redit eadem, quæ ſuperius adducta fuit, quia eſſe mediate ab alio, non eſt formale & intrinſecum conſtitutivum alicujus, ſed hoc ſitum eſt in propria differentia individuali, vel proprietate perſonali, quæ habetur a ſuo proximo, & immediato principio, & quæ ſubſiſteret, etiamſi per impoſſibile tolleretur principium remotum & radicale. Amplius. Procedere a Patre mediate, eſt tantum improprie procedere, ergo eſſet tantum improprie diſtingui, atqui, ſi Spiritus Sanctus procederet a ſolo filio, adhuc proprie diſtingueretur a Patre, ergo hujuſmodi diſtinctio non eſt deſumenda a proceſsione mediata; Probatur antec. Creatura ſi eſſet ſolum mediate a Deo per virtutem collatam creaturæ, eſset tantum a Deo improprie; ut ſuſtinent illi, qui reſpondent argumentis Durandi, & aliorum, qui negant immediatum, & ſimultaneum Dei concurſum, ergo etiam procedere mediate a Patre, eſt improprie procedere; Si igitur adhuc ſervaretur propria diſtinctio, non eſset, quia virtus ſpirativa eſset a Patre communicata filio, ſed quia proprietas perſonalis Spiritus Sancti eſset diſparata a proprietate perſonali Patris. Atque ita intellige principium illud, quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.

188. Supereſt modo demonſtrandum, non futurum in hypotheſi noſtra Filium, & Spiritum Sanctum eamdem perſonam. demonſtro. Quando ſunt duæ emanationes, ac proceſſiones totales, ac diverſæ, etiam debet eſſe diverſus terminus, ſed in hypotheſi eſſent duæ emanationes, ac proceſſiones totales ac diverſæ, ergo etiam eſſet terminus diverſus. major concedi debet præſertim a Thomiſtis, negantibus, eundem effectum eſſe poſſe a duplici cauſa totali, & jam de hac re dictum eſt ſupra. probatur min. In hypotheſi eſſet in Patre emanatio per intellectum, & emanatio per voluntatem, ſed emanatio per intellectum eſt totalis & diverſa ab emanatione per voluntatem, ergo. Prob. min. & quidem quod totalis ſit, ex eo colligi poſſet, quod eſſe principium partiale ſine imperfectione virtutis haberi non poteſt, quod vero ſit diverſa, ex eo conſtat, quod emanatio per intellectum eſt modo omnino diverſo ab eo, quo eſt emanatio per voluntatem, illa ſiquidem habetur, per hoc, quod intellectus trahat ad ſe obiectum, iſta vero per hoc, quod

quod adinſtar impulſus, & ponderis trahatur ab objecto, quæ eſt doctrina Thomiſtarum, hanc rationem afferentium, ut aſſignent, quare proceſſio Verbi ſit generatio, non ſit vero illa Spiritus Sancti, ſed emanatio hujuſmodi eſt omnino diverſa, ſicut trahi, & trahere ſunt omnino diverſa, ergo. Neque vero confugiendum eſt pro harum emanationum diverſitate ad diverſum principium *Quod*, nam ſicuti dictum eſt; ab eodem principio *Quod* egredi poſſunt termini prorſus diverſi, & Pater in virtute nihil accipit a Filio, quod ſit vel actualis illa ſpiratio, vel conditio, vel conprincipium ſpirationis, ergo per locum ab intrinſeco recte evinci poteſt, Patrem eſſe principium utriuſque productionis, perſonaſque procedentes eſſe ad invicem re diſtinctas, ita ut quamvis non ſpiraret Filius, adhuc ſpiraret Pater perfecte formaliter ſicut modo. Hoc etiam manifeſtum eſt in nobis, etenim quamvis intellectus, & voluntas ſint idem re principium *Quod* ut communiſſime affirmant Neoterici, nihilominus actus ab ipſis procedentes ſunt diſtincti, ac omnino diverſi, quod ſi non ſunt ſubſiſtentes, nihil mirum, nam neque verbum noſtræ mentis eſt genitum, & Filius, eſt tamen Verbum mentis paternæ, utpote quod omne, quod in Deo eſt, ſubſtantiale eſt.

ARTICULUS XII.

Quid in hac re ſentiendum de Conciliis, & Patribus.

189. Talia ſunt momenta, quæ pro Scoti ſententia firmanda adduximus, ut plures etiam ex adverſariis fateantur, ſi tantum ſcholaſtice res iſta pertractaretur, eam apparere probabiliorem; illud igitur, quod magis oppoſitum eſſe videtur, deſumitur ex Conciliis, nec non ex Patribus. Utrum ita ſit nunc perpendendum aggredimur.

190. Primo occurrit examinandum Concilium Tolet. 1. in confeſſione fidei hæc habens. *Credimus Spiritum Sanctum eſſe Paraclitum, qui nec Pater ſit, nec Filius, eo quod ſit a Patre, filioque procedens*; nec non Concilium Teletanum 2. pariter in confeſſione fidei ita dicens. *Hoc ſolo numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt, & hoc ſolo numero carent, quod in ſe ſunt*. Ex prima authoritate ſic argumentum conficitur. Spiritus Sanctus non eſt Pater, quia a Patre procedit, ergo non eſt Filius, quia a Filio procedit, & neuter ex illis eſt, quia ab utroque procedit. Ex ſecunda ſic. Numerus perſonarum in divinis eſt, quia perſonæ ad invicem ſunt, ſed ſi Spiritus Sanctus non procederet a filio, ad invicem non eſſet cum filio, ergo non eſſet numerus, ergo non diſtingueretur.

191. In primo teſtimonio tota vis argumenti eſt in illa particula *eo quod*. Quæ tamen non invenitur in aliis exemplaribus, inter quæ, unum ex Bibliotecha ſua S. Pauli Ferrariæ affert P. Zaglia, in quo habentur hæc verba *non genitus Paraclitus, ſed procedens a Patre filioque* quod certiſſimum eſt. Illud igitur obſervandum eſt, quod Concilia ſuas definitiones protulerunt juxta ordinem, qui de facto reperitur in divinis, quo ſpectato veriſſimum eſt, Spiritum Sanctum diſtingui a filio, quia a filio procedit, cum enim modo virtus ſpirativa pertineat ad Patrem, & Filium, etiam Spiritus Sanctus ab utroque ſpiratur, unde ſi Spiritus Sanctus a filio non eſſet, nequaquam foret Spirius Sanctus, ſicut de facto eſt, quod nos ipſi ante aſſertionem prænotavimus. At quod de facto eſt, non deſtruit veritatem ex nova hypotheſi impoſſibili in qua eſſet vis ſpirativa in ſolo Patre. In quo caſu non ex eo, quod definitum eſt in illis Conciliis, ſed ex aliis capitibus, contra nos probari deberet; & quamvis etiam aſſererent Concilia, perſonarum diſtinctionem

ctionem deſumendam fore a ſolis originibus, attamen non eſſent limittanda ad ſolas origines oppoſitas, ſed vel oppoſitas, vel diſparatas.

192. Occurrit 2. Concilium Florentinum; quod ſeſſ. ultima §. *Quoniam Græci ſuſpicantur*, ſic habet. *Nam credentes, Spiritum Sanctum a Filio nequaquam procedere, neceſſe eſt, ut intelligant, ſpiritum ex ſolo Patre procedere, & conſequenter non eſſe Filium; Qui autem proferunt, Spiritum Sanctum ex ſola Patris perſona procedere hi procul dubio ſubſtantiam ab hypoſtaſi ſeparant, & partitionem imaginantur divinæ ſubſtantiæ, quod a ratione, fideque valde alienum pie creditur eſſe.*

183. Aliqui ex adverſariis non adinvenientes ſenſum illorum verborum, non legunt, *conſequenter non eſſe filium*, ſed *conſequenter eum eſſe filium*, quo dato certe ſententia Scoti, aliorum ve corrueret; ac revera in omnibus codicibus tam græcis quam latinis ita legi, ſicut a nobis producta ſunt, atque hoc eſſe adverſantium Theologorum inventum, ut Scotum, alioſve erroris inſimulent, adnotarunt etiam alii Doctores etſi nobis in hoc puncto contrarii.

194. Alii tamen admittentes tanquam germanam lectionem noſtram, Primo contra nos ita argumentantur. Si Spiritus Sanctus non procederet a filio, & tamen a filio diſtingueretur, fieret partitio divinæ ſubſtantiæ, ut conſtat ex illis verbis, ſed hoc non poteſt admitti, ergo neque admitti poteſt, Spiritum Sanctum a filio diſtingui, ſi a filio non procederet.

Secundo ſic. Si Spiritus Sanctus non procederet a filio, partiretur divina ſubſtantia quia filio non communicaretur virtus ſpirativa, ſed ſi non communicaretur virtus ſpirativa, per quam ſpiritus ab illo procederet, filius non diſtingueretur a Spiritu Sancto, ergo ſi non procederet &c. Prob. min. ſi filio non communicaretur virtus ſpirativa, in filio eſſet ſpiratio paſſiva, ſed ſi eſſet ſpiratio paſſiva, non diſtingueretur a Spiritu Sancto, ergo. Prob. maj. non alia ratione non communicatur ſpiratio paſſiva, niſi quia ſpiratio activa, utpote oppoſita, hujuſmodi impedit communicationem, ergo ſi &c.

195. Porro ex illa Concilii definitione nihil aliud probatur, niſi Spiritum Sanctum debere etiam a filio procedere, aliter fieret divinæ ſubſtantiæ partitio, nam ſi a filio non procederet, ſequeretur filio non eſſe communicatam virtutem ſpirativam, & ſi hæc non eſſet communicata, jam divina ſubſtantia partiretur, quia ſunt dictum fuit, virtus ſpirativa per reſpectum ad filium eſt aliquid abſolutum, omnia autem abſoluta debent communicari, ne ſubſtantia divina dividatur. Senſus igitur verborum Concilii facillimus, & obvius iſte eſt, quod, cum Græci admitterent Trinitatem perſonarum, ut definitum fuerat in quatuor Conciliis generalibus, quibus tanquam quatuor Evangeliis ipſi græci fidem præbebant, jam debebant admittere, Spiritum Sanctum a Patre ſaltem procedere, nec eſſe filium; & hoc continetur in prima parte textus adducti; Ex hoc vero contra Græcos inferebant latini, quod ſi procedere concedunt a Patre, teneantur etiam concedere, procedere a filio, aliter ſubſtantiam ab hypoſthaſi ſepararent, & partitionem divinæ ſubſtantiæ imaginarentur, quia ſi procederet a Patre, & non a filio, Pater non communicaſſet filio omnia ea, quæ ſunt in Patre, excepta paternitate, quia non communicaſſet virtutem ſpirativam, & hoc eſt, quod continetur in ſecunda parte; Ex quibus manifeſte apparet, Concilium ad probandam proceſſionem Spiritus Sancti a Filio, non deſumpſiſſe argumentum ab utriuſque diſtinctione, ſed a ſumma divinæ naturæ identitate, ita ut, ſi Spiritus Sanctus etiam a filio non procederet, non ſolum diſtingueretur a filio perſonaliter, quod

Græci concedebant, ſed etiam diſtingueretur eſſentialiter, quod eſt alienum a Fide. Si autem adeo firmum eſſet, quod inquiunt, ſi Spiritus Sanctus non procederet a filio non diſtingueretur a filio, plane Concilium rationem hanc attuliſſet, cum fuiſſet expeditior & validiſſima contra Græcos, qui admittentes diſtinctionem a filio, proceſſionem non potuiſſent negare. Cum igitur Scotiſtæ probant proceſſionem Spiritus S. a filio propter indiviſionem divinæ ſubſtantiæ, non vero propter diſtinctionem, magis Conciliò adhærent, non ita alii, qui propter diſtinctionem illam adſtruunt, omittendo ſubſtantiæ indiviſionem. Atque in hiſce omnibus obſervandum, quod jam diximus, de facto colligi diſtinctionem etiam a proceſſione, quia ſi Spiritus Sanctus non procederet a filio, filius non ſpiraret, ſi filius non ſpiraret, non eſſet filius ut de facto eſt, neque eſſet Deus; at noſtra quæſtio eſt ex hypotheſi impoſſibili, in qua filius eſſet filius & Deus, & non ſpiraret, adhuc Spiritus Sanctus diſtingueretur a filio, & dicimus hoc verum eſſe per locum intrinſecum, & conſequentiam formalem, licet non eſſet verum per locum extrinſecum, & conſequentiam materialem. Mitto quædam nugatoria, quæ opponi poſſent.

196. Nunc ad rationes, quæ inferebantur. Ad primam patet quid dicendum ſit; partitionem divinæ ſubſtantiæ ſequi ex Græcorum errore, qui dicebant, Spiritum Sanctum a filio non procedere de facto, proinde negabant virtutem ſpirativam in filio; At nos hoc non dicimus, ſed ſolum facimus impoſſibilem ſuppoſitionem, in qua ſive hoc ſive illud dicatur, nulla ſequitur ſubſtantiæ divinæ diviſio.

Ad 2. breviter dico. Filio communicari in noſtra hypotheſi virtutem ſpirativam in actu primo ſed a nobis ſupponi per impoſſibile non ſpirare in actu ſecundo. Præterea. Spiratio paſſiva non communicatur filio de facto propter ſpirationem activam cui opponitur; ſed non tantum, verum etiam quia ſpiratio activa Patris habet ſuum terminum adæquatum per productionem Spiritus S. ſicuti haberet in illa hypotheſi, eo pacto quo vis generativa non communicatur filio propter oppoſitionem, ſed quia jam in filio habet ſuum terminum adæquatum, perfectiſſimum, & infinitum.

197. Magis urgere arbitrantur adverſarii afferendo doctrinam Joannis Theologi in eodem Concilio, nec non Beſſarionis. Primus namque ſeſ. 18. §. *Dico equidem*, ſic contra Græcos effatur. *Sola relatio tam apud Græcos, quam Latinos Doctores divina proceſſione perſonas multiplicat, ita ut nulla alia ratione, quam vi relationis Pater a Filio, & una perſona ab alia differant.* Secundus vero in oratione, quæ dogmatica inſcripta eſt cap. 6. in fine illa Niſſeni verba ad Ablavium, *eo diſtinguitur Spiritus a filio, quia per ipſum eſt* ita exponit. *Quaſi diceret, quod cum ambo a primo ſint, non ſufficienter diſtinguerentur, niſi alterum per alterum eſſet; Ut manifeſte,* (per) *diſtinctionem hinc ſignificaret; & diſtinctionem, quæ ab æterno eſt, quæque ſecundum cauſam, & cauſatum eſt, cum antea dixerit, cauſa, & cauſato tantum ab invicem divinas perſonas diſtingui.*

198. Mirum tamen non ſit, ſi ita locuti ſunt, nam diſputatio erat contra Græcos, qui diſtinctionem concedebant, negabant vero proceſſionem etiam de facto, quæſtio autem erat, utrum juxta Patrum authoritates probaretur, Spiritum Sanctum a filio procedere, ut conſtat ex §. in quo dixit Marcus Epheſinus. *Id non probaſti Reverende Pater*, quid autem dicendum foret in noſtra hypotheſi, nihil fuit aut dictum, aut excogitatum. Quod vero dicatur, non *ſufficienter diſtinguerentur*. Verbum illud *ſufficienter* referri debet ad diſtinctionem tum deductam per locum ab intrin-

trinſeco,&conſequentiam formalem tum per locum ab extrinſeco, & conſequentiam materialem, non vero dumtaxat per primum, ut a nobis aſſeritur.

199. Ceterum, ut dixi, ſemper Concilium Spiritus Sancti proceſſionem a filio probavit propter unitatem, & identitatem eſſentiæ, & Beſſarion oratione laudata inquit; *Quia eſt eſſentiæ identitas, ideo prodire dicitur, & prodit per filium ſpiritus*. Et Eugenius Papa in lit. Union:. *Quoniam omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater unigenito filio ſuo gignendo dedit præter eſſe Patrem, hoc ipſum, quod Spiritus Sanctus procedit ex filio, ipſe filius æternaliter habet, a quo æternaliter etiam eſt genitus*.

200. Neque mirum, ſi Concilium Florentinum ex identitate, & unitate naturæ divinæ deduxit Spiritus Sancti proceſſionem a filio, nam id etiam præſtiterunt Sancti Patres, præſertim Hilar. 8. de Trinitate, Cyril. Alexandr. lib. 11. in Joan. cap. 1. Ambroſius lib. 2. de Trinit. cap. 12. & Anſelmus epiſtol. de proceſſ. Spiritus Sancti contra Græcos cap. 8. Ambroſii verba hæc ſunt; *Omnia de Filio Spiritus Sanctus accepit, accepit autem per unitatem eſſentiæ; ſicut accepit à Patre Filius, ille, inquit, me clarificabit, quia de meo accipiet, omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi de meo accipiet*. Anſelmi vero ſunt iſta; *Cum legitur illum a Patre procedere, de quo ait filius, ego, & Pater unum ſumus, confiteantur nobiſcum propter identitatem eſſentialem Patris, & Filii, illum a filio proculdubio procedere*. Hoc igitur fuit fundamentum Conciliorum, & præſertim Florentini contra Græcos, unde cum idem a nobis aſſeratur, en quam immerito a pluribus dictum ſit, quod per ſententiam noſtram rationes Catholicæ contra Græcos infirmantur.

201. Sed quia Anſelmi mentio facta eſt, calamum noſtrum ad ſe vocaret diuturna ſatis controverſia, utrum oppoſitæ opinioni, vel noſtræ ejus authoritas faveat. Equidem plurima ſunt, juxta quæ ſcotica argumenta procedunt; Siquidem in epiſt. contra Græcos cap. 2. hæc habet. *Filius autem, ut interim aliam cauſam dicam, quoniam nondum conſtat, quod Spiritus Sanctus de illo ſit, & procedat, ideo non eſt Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus eſt filius, quia filius naſcendo habet eſſe a Patre, Spiritus Sanctus vero non naſcendo, ſed procedendo*. Ecce argumentum a nobis propoſitum ſupra. Vult igitur Anſelmus innuere, quod etſi alia cauſa non aſſignaretur diſtinctionis, nimirum etiamſi non probaretur, Spiritum Sanctum a filio procedere, adhuc tamen a filio diſtingueretur per diverſum modum procedendi a Patre, quia unus naſcendo & per intellectum, alius procedendo, & per voluntatem; & dum dicit, *ut interim aliam cauſam dicam*. Ideſt ut probem Spiritum Sanctum a filio procedere, aperte demonſtrat, proceſſionem eſſe aliam cauſam diſtinctionis, ergo non ſolam. Idem confirmat idem dicens. *Hæc itaque cauſa pluralitatis eſt in Deo, nam quoniam filius exiſtit de Deo naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo, ipſa diverſitate nativitatis, & proceſſionis referuntur adinvicem, ut diverſi, & alii ab invicem*. Et capite 4. expreſſius ait; *Et ideo non habet hic unitas illa vim conſequentiæ, quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate naſcitur, & proceſſione, nam etſi per aliud non eſſent plures filius, & Spiritus Sanctus, per hoc ſolum eſſent diverſi*.

202. Hæc audientes duplici reſponſione occurrunt, quamvis aliqui ex ipſis, inter quos Suarez lib. 10. de Trinit. cap. 2. & Vaſq. diſp. 147. cap. 4. ingenue fateantur, pro ſententia Scotica ſtare Anſelmum; duplici inquam reſponſione occurunt; Prima eſt cum S. Th. hic Anſelmum in iis locis nequaquam loqui juxta mentem propriam, & aſſertive ſed ſolum diſputando, & ponendo, quæ

Græci

Digitized by Google

Græci concedebant, ut deinde ex illis Spiritus Sancti a filio proceſſionem oſtenderet; quod patet ex illis Verbis, *ut interim aliam cauſam dicam*, nimirum, ut proſequitur cap. 3. *Cum apparebit, quia Spiritus Sanctus eſt de filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit eſſe filius Spiritus Sanctus, & Spiritus Sanctus Filius.* Secunda eſt; omnia dicta Anſelmi eſſe vera, & eſſe perſonas diſtinctas, quia diverſo modo procedunt, at ſi Spiritus S. à filio non procederet, diverſo modo non procederent, ergo neque diſtinguerentur.

203. Contra hanc ultimam reſponſionem nihil dicam, cum jam dictum ſit, ſupra & manifeſte opponatur verbis Anſelmi in primo textu relatis, *per hoc ſolum eſſent diverſi &c.* ut ibi notavimus. Priorem vero prorſus reiiciendam eſſe, affirmat etiam Pater Petavius lib. 7. de Trinit. cap. 9. num. 8. cum appareat, ipſum tam ex animi ſui ſenſu ſuperiora illa ſcripſiſſe, quam cætera omnia, in capite enim 3. ita loquitur. *Quoniam autem hæc quæ dicta ſunt*, nempe cap. 1. & 2. *Pariter credimus indubitanter, & confitemur & nos, qui dicimus, Spiritum de Filio procedere, & Græci, qui nobiſcum de hac re non ſentiunt, debemus abſque ulla ambiguitate, quæ ex his neceſſario conſequuntur ſuſcipere*, & cap. 4. proſequitur, *Nunc quærendum eſt per dictas irrefragabiles rationes &c.* Non igitur tantum ex Græcorum conceſſione, ſed etiam ex propria mente ita ſentit, ut, etſi alia non eſſet ratio diſtinctionis inter Filium, & Spiritum Sanctum, eſſet hæc, quod filius naſcitur a Patre, Spiritus vero Sanctus procedit; ergo ex mente Anſelmi etiamſi Spiritus Sanctus a filio non procederet, adhuc eſſet diſtinctus, non quidem omni modo, quo etiam per proceſſionem eſt, ſed modo ſufficienti.

204. Propterea igitur aliter reſpondent, atque ut oſtendant, Anſelmum nobis contrarium eſſe, inquiunt, approbari celebre illud Theologicum axioma ab aliis Patribus jam traditum, nempe, *in divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio*. Quod pluribus dictis affirmat, nam capite 3. ait, *Supradicta relationis oppoſitio, quæ ex eo naſcitur, quia Deus de Deo eſt, prohibet Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum de invicem dici, & propria ſingulorum aliis attribui*; & infra; *Nec unitas amittat aliquando ſuam conſequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppoſitio, nec relatio perdat, quod ſuum eſt, ubi non obſiſtit unitas inſeparabilis.*

205. Sed mehercle, neque ex his in propriam ſententiam Anſelmum deducunt; & in primis, quid in cauſa eſt, quod cum plura Anſelmi teſtimonia nobis ſuffragantur, aſſerant, non fuiſſe locutum ex propria mente, cum vero aliquod nobis adverſari videtur, illud ex propria mente fuiſſe, velint eſſe perſuaſum? Attamen in illo dicto perpendendum eſt, non eſſe, *relativa oppoſitio* ſed *relationis oppoſitio*, quod non ſolum amplectitur oppoſitionem relativam, ſed etiam oppoſitionem relationis diſparatæ, & ideo adnotandum eſt etiam verbum illud, *aliqua*, ut indifferenter & indeterminate loqueretur ſive de una, ſive de alia; atque hoc nullo pacto negari poteſt, ſi conſideretur ſecunda Anſelmi authoritas a nobis producta num. 200. *Hæc itaque cauſa pluralitatis &c.* etenim per diverſitatem nativitatis, & proceſſionis referuntur ad invicem ut diverſi, & alii ab invicem; ut ibidem Sanctus Doctor proſequitur.

206. Neque vero mihi illud reponant, quod idem habet cap. 5. & in quo maxime gloriantur, nimirum, ſi Spiritus Sanctus non procederet a Patre, nullo pacto a Patre diſtingueretur, ergo etiam non diſtingueretur a filio, ſi a filio non procederet; Verba autem Anſelmi ſunt iſta; *Nam ſi non eſt ipſum de Patre,*

quod

quod eſt, cum ſit unus, idemque Pater, inveniri nequit, unde ſit alius a Patre; atque ita Anſelmus argumentum conficiebat in Concilio Barenſi contra quemdam Epiſcopum, negantem Spiritum Sanct. a Patre procedere. Etenim a nobis jam num. 179. ſecundo loco aſſertum eſt, atque ab adverſariis conceſſum, ut concedi debet, quod ſi Spiritus Sanctus a filio procederet, & non a Patre, adhuc a Patre diſtingueretur; Sic vero argumentabatur Anſelmus contra Epiſcopum illum, quia ex una parte juxta Græcos Spiritus Sanctus non procedebat a filio, ex alia non procedebat a Patre, ergo erat Pater; atque hæc optima erat illatio, quia ſi neque a Patre procederet, nec haberet relationem oppoſitam, nec diſparatam, ergo nullam, ergo nullo pacto foret diſtinctio, cum ſic nec haberet ſpirationem paſſivam, quæ eſt ejuſdem formale conſtitutivum.

207. Denique, ne, pluſquam per eſt, prolixior ſim; afferam alia verba Anſelmi cap. 17. ubi habet, ac concludit; *Patet ergo, ſicut ſupra præmiſi, præter hoc; quia filius exiſtit naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo, hac quoque cauſa, quia Spiritus Sanctus eſt de Filio, eos de invicem non poſſe dici.* Duplex igitur eſt ratio, propter quam Spiritus Sanctus diſtinguitur a filio, & quia procedit a filio, quod intendebat contra Græcos ipſe probare, & quia diverſo modo a Patre procedit, quod intendimus nos.

208. Res igitur ita ſe habet, ut vel dicamus, & quidem æquius, Anſelmum Scoti ſententiam tradidiſſe, aut ſaltem ſaltem non tradidiſſe Thomiſtarum opinionem; hac moderatione uſus eſt ſubtilis Doctor, qui in 1. diſ. 11. quæſt. 2. §. *Ideo admittendo quæſtionem* in fine, ſic ait, *Authoritas adducitur Anſelmi lib. ſuo de proceſſione Spiritus Sancti; Sed quia ipſum adducit uterque pro ſe, & ſit altercatio magna de intentione ejus quæ fuerit, ideo hic nolo multum circa intentionem ejus immorari.*

209. Dixi Thomiſtarum, nam ſi de Sancto Thoma loquamur, ejus ſuffragio prorſus deſtituti non ſumus; Agit hic Doctor de hac re quodlibet 4. quæſt. 4. art. 7. & quærens, utrum filius diſtinquatur filiatione a Spiritu Sancto, ita reſpondet; *Dicendum, quod hoc modo ſe habent proprietates perſonales in divinis ad diſtinguendas perſonas, ſicut ſe habent in rebus naturalibus formæ ſubſtantiales ad diſtinguendas ſpecies earum: ſic tamen, quod a creaturis exempla ad Deum aſſumpta non omnino ſimilia ſunt. In rebus autem naturalibus diſtinguitur aliquid per formam ſuam ab alio dupliciter, uno modo ſecundum directam oppoſitionem formę ad formam, & hoc modo diſtinguitur unaquæque res naturalis ab omnibus ſpeciebus ſui generis, quæ habent formas oppoſitas, ſecundum quod genus dividitur oppoſitis differentiis, ſicut Saphirus diſtinguitur ſua forma ab omnibus ſpeciebus lapidum; Alio modo diſtinguitur res naturalis per ſuam formam ſecundum habere, & non habere, & hoc modo, quod habet aliquam formam naturalem, diſtinguitur ab omnibus, non habentibus formam illam; ſicut Saphirus per ſuam formam naturalem diſtinguitur non ſolum ab aliis generibus lapidum, ſed a ſpeciebus animalium, & plantarum. Sic ergo dicendum, quod filius ſua filiatione diſtinguitur quidem a Patre ſecundum oppoſitionem relativam filiationis ad paternitatem, ſed a Spiritu Sancto diſtinguitur filiatione, per hoc, quod Spiritus Sanctus non habet filiationem, quam habet filius.* Tam clarum eſt hoc Sancti Thomæ teſtimonium, ut nunquam tam clare pro ſemetipſo locutus ſit Scotus; & quamvis explicationes plures afferre contendant, attamen nulla ſatiſfacit, ut merito dixerit Cacheranus hic §. 10. num. ut ſup. *Authoritatem Sancti Thomæ vix poſſe rationabiliter non intelligi*

telligi in favorem ſententiæ Scoticæ, niſi aliunde de legitima Sancti Doctoris mente ſatis, ſuperque conſtaret. Sed ſi volunt alii, mentem Sancti Thomæ conſtare ex aliis locis, dicam ego, conſtare ex hoc, ubi ex inſtituto hanc difficultatem pertractat, & in aliis locis quæſtionem reſolviſſe juxta ordinem præſentem, non vero ex hypotheſi impoſſibili, & per locum intrinſecum.

ARTICULUS XII.

Refelluntur argumenta contraria.

210. Tam perſpicua ſunt, quæ diximus, ut nihil remaneret dicendum, ut oppoſitiones reiiceremus; ut tamen magis magiſque appareat aſſertio a nobis propugnata, nec aliquid prætermittatur, quod pro adverſantibus Doctoribus ſtare videtur, non inconſulto rem hanc fuſius pertractabimus. Fateor tamē nihil ex Conciliis proci poſſe, quod jam a nobis examinatum non ſit; ſed tantum ad aliquos Patres deveniemus, quorum mentio facta non eſt; non ut novas explicationes exhibeamus; ſed ut eorum dicta, ne nova appareant, producantur.

211. Itaque Auguſt. tract. 39. in Joan. inquit. *Hoc ſolum numerum inſinuant, quod ad invicem ſunt, non quod ad ſe ſunt, quia enim Deus Pater ad ſe eſt Deus ſimul cum filio, & Spiritu Sancto, non ſunt tres Dii*. & 5. de Trinit. cap. 11. *Quæ propria ſingula in Trinitate dicuntur, nullo modo ad ſe ipſa, ſed ad invicem dicuntur, ideo relative, non ſubſtantialiter ea dici manifeſtum eſt*. Gregor. Nyſſen. ad Abla. *Eam, quæ circa cauſam, & cauſatum conſideratur, differentiam non negamus, per quod ſolum diſcerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum eo quod credimus, aliud quidem cauſam eſſe, aliud vero ex cauſa*. Iſidor. lib. 1. different. cap. 3. *Inter perſonam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ita ſecernitur, quod Pater nec genitus eſt, nec procedens, filius ex Patre genitus, non procedens, Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio, non genitus, ſed procedens* Bernard. epiſt. 190. *Quod alter ex altero, vel alter ad alterum veraciſſime dicitur, perſonarum ſane deſignatio*. Boet. lib. 1. de Trinit. cap. 12. *Subſtantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem*. Ricardus Vict. lib. 4. de Trinit. cap. 5. *In divina natura circa originem ſolam oportet quærere perſonarum differentiam*.

112. Verum hæc omnia, & ſi quæ ſunt alia, a nobis conceduntur, cum Patres loquuti ſint de eo, quod de facto eſt, & dum de relatione ſermonem habent, hunc non limitant ad relationem directe oppoſitam, ſed vel directe, vel diſparate, cum etiam per relationem diſparatam ſervetur, non ad ſe eſſe, ſed ad invicem eſſe, quod eſt intentum Auguſtini in teſtimoniis laudatis. Adde modo; quod licet admitteremus, perſonas per ſolas origines diſtingui poſſe, adhuc hoc totum a nobis ſervaretur; non quia perſona, quæ originem trahit ſolum diſtinguatur ab illa, a qua trahit originem, ſed quia nulla perſona in divinis reperiri poteſt, quæ non ſit vel illa, aqua habetur origo, vel illa, quæ per originem habetur, & in noſtra hypotheſi adhuc Spiritus Sanctus eſſet per originem, non quidem a filio, ſed a Patre, proinde adhuc per originem diſtingueretur.

213. Videtur ex Nyſſeni dicto magis in nos adverſarios urgere, cum in eo legatur particula illa, *per hoc ſolum*. Sed attendendum eſt aliud ejuſdem dictum lib. 1. contra Eunomium, ubi loquens de Spiritus Sancti diſtinctione a filio, inquit, *Diſtinguitur ab eo ſua proprietate, quæ eſt, quod Unigenitus a Patre productus eſt, & quod per ipſum filium manifeſtus eſt*. In quo loco ſatis ſuperque duplicem rationem oſtendit, per quam Spiritus Sancti demonſtra-

ſtraretur diſtinctio, una nempe propter diverſum procedendi modum, ſicut a nobis indicatum fuit; alia vero; quia per ipſum manifeſtatus fuit; in quo nobis notior diſtinctio manifeſtatur, non tamen ſola, imo nec illa, quæ nobis a poſteriori magis cognita eſt.

214. Non me latet, inſtare, quod Dominus, & Magiſter ſunt relationes diſparatæ, nec tamen ad invicem dicuntur; atque ex hoc inferre contendunt, per relationes diſparatas non ſervari effata Sanctorum Patrum; ſed ſatis nos diximus, non per quaſcumque relationes diſparatas diſtinctionem ſervari, ſed per illas ſolum, quæ impoſſibiles ſunt in eodem ſubiecto, & quæ diverſo procedendi modo affirmari poſſunt; ſiquidem relationes Domini, & Magiſtri, etiam in eadem perſona poſſunt haberi, ſicut diximus de paternitate, & ſpiratione activa, atque ita exiſtimo factum eſſe, ut quæ per diuturnam ſeriem ab aliis producta ſunt, per pauciora a nobis abſoluta ſint unde non mirum, ſi aliorum creſcant volumina, noſtrum tamen breve ſit; cum ſuperflua, & pluries repetita, quod alii non ſolent, evitemus, neceſſaria tantum, & ad rem facientia producamus.

215. Op. 2. ratione; & plura omittam, quæ ſibi opponit Maſtrius, quæ, ut verum, fatear, nauſeam generant, cum centies, ſoluta ſint, & tamen ipſe, per eandem doctrinam repetitam, iterum producat, & ſolvat; a quo ſummopere abhorremus; Atque utinam methodum noſtram alii tenuiſſent; non tantam typogrophis pecuniam dediſſent; non tanto lectores abſque profectu aliquo affeciſſent labore, & omnia ſine aliquo detrimento perfeciſſent. Opponitur ergo ſic. Reſpondetur autem ſic; nimirum, jam oppoſitum, & jam reſponſum eſt.

ARTICULUS XIII.

De Pluribus Spiritus Sancti nominibus.

216. Plura ſunt nomina, quæ in ſcripturis Sanctis tertiæ perſonæ tribuuntur. De his brevi calamo agendum ſuſcipimus; Primo appellatur Spiritus, quod nomen vel deſumi poteſt a ſpiritualitate, vel a ſpiratione; Si priori modo, eſt nomen eſſentiale, conveniens propterea etiam Patri & Filio, imo eſt etiam commune Angelis, & animæ rationali; Secundo modo eſt nomen proprium, conveniens perſonæ, de qua noſter ſermo; Rurſus obſervat S. Th. quæſt. 36. art. 1. ad 1. nomen hoc ſumi poſſe vel complexe, ut indicat duas dictiones, & ſic eſſentiale eſt, cum per ſpiritum divinæ naturæ immaterialitas, per ſanctum divinæ bonitatis excellentia declaretur; vel incomplexe adinſtar unius dictionis, & ſub unius vocis ſignificatione, & ſic propter vocabulorum inopiam tertiæ perſonæ accommodatur, & merito quidem, nam ſi quilibet actus amoris eſt ſpiratio, ſeu motus vitalis amantis cum impetu quodam in rem amatam, quanto magis tertia perſona, quæ amor eſt Patris, & Filii, nomine ſpirationis appellabitur? atque ita ſit, ut ejuſdem a Patre, filioque proceſſio nobis ſignificetur, unde ait S. Auguſt. lib. 8. de Trinit. cap. 11. *Quia Spiritus communis eſt duobus, id vocatur ipſe proprie, quod ambo communiter; Nam Pater eſt Spiritus, Filius eſt Spiritus, Pater eſt Sanctus, Filius eſt Sanctus, Ut ergo ex nomine, quod utrique convenit, utriuſque communio ſignificetur, vocatur donum amborum Spiritus Sanctus.*

217. Secundo appellatur charitas, & Amor, ut in Pentecoſtes hymno canit Eccleſia. Eſt autem obſervandum, amorem in divinis quatuor modis accipi poſſe, eſſentialiter, notionaliter, perſonaliter, & appropriate. Primo modo

convenit toti Trinitati, & dicitur 1.Jo: 4. *Deus charitas eſt*. Secundo modo ſignificat mutuam dilectionem Patris, & Filii, ſeu eſt ſpiratio, ſeu origo activa Spiritus Sancti, & convenit tantum Patri, ac Filio; Tertio modo ſumitur pro termino ejuſdem ſpirationis ac originis, & ſic proprie convenit Spiritui Sancto; Quarto modo ſupernaturalia Dei dona, quæ nobis a tota Trinitate communicantur, Spiritui Sancto tribuuntur.

218. Tertio vocatur Donum; de quo fuſius loquitur S. Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 20. *Sicut*, enim inquit, *natum eſſe, eſt Filium a Patre eſſe, ita Spiritum Sanctum donum Dei eſſe, eſt a Patre, & a Filio procedere* & 5. de Tinit. cap. 15. *Sicut in Trinitate non eſt Verbum, niſi Filius, ita nec donum, niſi Spiritus Sanctus*. Ex quibus teſtimoniis ſequitur, quod ſicuti nomen Verbi eſt nomen perſonale, ita etiam nomen Doni.

Hic tamen occurrunt quædam difficultates; etenim donum definitur res alicujus, qui eam alteri libere dat, ut ea pro voluntate fruatur, vel utatur, ſed Spiritus Sanctus libere non procedit a Patre, & Filio, ſed ex intrinſeca neceſſitate, ergo non procedit ut donum; Rurſus. Donum prius eſt ſub poteſtate donantis, & transfertur ad poteſtatem alterius, atqui Spiritus Sanctus non erat ſub poteſtate Patris, & Filii, nec transfertur in poteſtatem alterius perſonæ, ergo. Præterea in dono tria intelligantur neceſſe eſt, nempe res donata, donans, & is cui donatur, ſi ergo Siritus Sanctus eſt donum Patris, & filii, quænam erit perſona ad intra cui donatur? Tandem, eſſe donum convenit etiam filio, ſic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ergo non erit nomen proprium Spiritus Sancti.

219. Hæc diſſolvamus oportet, ut inde magis pateat, quod aſſeruimus. Prima ratio probat, Spiritum Sanctum non dici donum ad intra, ſed ad extra per reſpectum ad creaturas rationales, quibus communicari, ac donari poteſt, proinde procedit ad intra ut communicabilis, & donabilis; Non eſt autem de ratione doni, quod actu donetur ſed quod donari poſſit, & pro aliquo tempore donetur, ut advertit S. Th. hic art. 1. ad 4. Ad 2. dico, Spiritum Sanctum nobis donari, & in noſtram poteſtatem transferri, illum enim noſtro arbitrio, abiicimus, cum neminem deſerat, niſi prius deſeratur. Ad 3. non ideo Spiritus Sanctus eſt donum, quia alicui perſonæ donatur ad intra, ſed quia ex vi ſuæ proceſſionis accipit, ut creaturæ rationali donari poſſit; Ad 4. reſpondet S. Th. art. 2. ad 1. Quod filius datus ſit nobis, provenit ex Patris amore, quæ eſt proprietas Spiritus Sancti.

220. Res igitur ita ſe habet, ut quamvis filius ab æterno fuerit donum, non tamen ex vi originis, & proceſſionis, qua eſt a Patre, at Spiritus Sanctus ab æterno fuit donum, procedens ut tale ex vi originis, qua eſt a Patre & Filio, ſiquidem ab eis procedit per actum voluntatis ex vi ſuæ proceſſionis, ut amor; amor autem ut amor donum eſt, imo primum donum, quia primum, quod damus ei, quem amamus, eſt amor & hæc eſt doctrina S. Auguſt. 4. de Trinit. cap. 10. & aliis iu locis. Plura alia Spiritui Sancto tribuuntur, ſed potius in ſenſu miſtico, quam proprio, ideo de his diſſerendum non putamus.

QUÆSTIO V.

De Divinis notionibus, miſſionibus, ac Perſonarum circuminſeſſione.

ARTICULUS I.

Quid ſit Notio, & an ſit in divinis admittenda, nec non in quo numero.

1. Notio nihil eſt aliud, quàm ſignum, quo unam perſonã ab alia diſtingui cognoſcimus, ut tradunt S. Baſilius epiſt.43.nec non Boetius citatus ab Albert. in 1. tract. 9. quæſt. 39. eſt igitur quædam ratio obiectiva, exiſtens realiter in perſona, abſtracte a nobis conſiderata, per quam nobis innoteſcit perſona divina.

2. Hanc in divinis admittendam eſſe, imo admittendas eſſe plures, tanquam certum exiſtimo, quidquid dixerit Præpoſit. apud S. Th. hic art. 2. in corp. timens divinæ ſimplicitatis detrimentum, ſi hiſce terminis abſtractis uteremur. Cur ita aſſeramus, non unicum momentum occurrit; Primo quia, etſi in Scripturis Sacris nulla fiat mentio notionum, attamen apud Sanctos Patres nomen hoc reperitur; jam Baſilium, & Boetium adduximus, nunc vero afferamus Auguſtinum 5. de Trinit.cap.16. dicentem, *Alia eſt notio, qua intelligitur genitor, alia, qua ingenitus*. Secundo quia, ut ait S. Th. ſi notiones excludamus, non poſſumus facile hæretico, interroganti quo perſonæ ſint tres, reſpondere, econtra illis admiſſis, facile reſpondemus dicendo, Patrem eſſe Patrem paternitate, Filium filiatione, Spiritum Sanctum ſpiratione paſſiva. 3. quia, niſi ponamus notiones, & rationes abſtractas, intelligere non poſſumus, quomodo, cum Pater una tantum perſona ſit, referatur ad duas perſonas, ſeu relationes differentes, econtra poſitis notionibus hoc ſtatim exprimimus & percipimus, per hoc quod in Patre ſit Paternitas, per quam referatur ad Filium, & ſpiratio activa, per quam referatur ad Spiritum Sanctum. Neque hoc pacto perperam de divina ſimplicitate ſentimus, etenim oportet noſtro modo de divinis loquamur, cum aliter non poſſimus, & ideo cum volumus ſignificare concretum, dicimus Deum, dicimus Patrem, cum abſtractum abſque aliqua compoſitione, dicimus divinitatem, Paternitatem &c. Imo, ſi ratio Præpoſitivi quidpiam probaret, potius nomina concreta evitare deberemus, cum in creatis concretum ex abſtracto componatur, ut homo ex humanitate.

3. Quantum ad 3. communis Theologorum ſententia eſt, quinque dari notiones, & ſunt innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva. Non defuerunt tamen aliqui admittentes tantum tres, nempe Paternitatem, Filiationem, & ſpirationem paſſivam, ut refert Scot. in 1. diſ. 28. quæſt. 2. §. ad Tertium; Aliqui addentes inſpirabilitatem, u Scotus ipſe; Aliqui addentes rationem ingenerativi

in Filio, rationem improductivi, & ingenerabilis in Spiritu Sancto, ut Arriaga diſp. 49. ſec. 5. Alenſis duodecim adſtruit, Burgius vero, ceteris liberalior, triginta duas.

4. Ego tamen exiſtimo, quinque enumeratas ſufficientes eſſe omneſque alias, quæ recenſeri poſſent, ad illas commode, ac clare poſſe reduci; nec enim in hac re celeberrimas duas ſcholas Scoti, ac S. Thomæ ad litem aliquam volo revocare. Illud autem adnoto, quod, ut aliqua proprie dicatur notio, tria ſibi vindicat munera; Primo ut ſignificet aliquid ad originem pertinens, quia relationibus originis diſtinguuntur perſonæ; Secundo ut denotet dignitatem, nomen enim perſonæ dignitatis eſt, ideo non convenit niſi creaturis ratione præditis. Tertio ut ſit aliquid peculiare, ſaltem reſpective, quia quod omnibus commune eſt,nequaquam ita ſe habet, ut per illud alicujus habeatur notitia. hiſce præmiſſis.

5. Aſſertionem poſitam ſuadeo, ſeu potius explico. Perſona in divinis innoteſcit, vel quia eſt ab alia, vel quia eſt illa, quæ non ab alia; Si hoc poſtremum, eſt prima perſona, nec ita intelligitur per paternitatem, cum non ſit de conceptu paternitatis ab alio non eſſe, ergo intelligetur per innaſcibilitatem; quæ licet negative explicetur, attamen exprimit perfectionem juxta noſtrum modum concipiendi; Si primum, ſunt Filius; & Spiritus Sanctus, ſi Filius,ergo debet habere filiationem, per quam referatur ad Patrem, & ecce notiones Paternitatis & filiationis, ſi Spiritus Sanctus, ergo debet habere ſpirationem paſſivam, per quam referatur ad ſpirationem activam, & ecce notiones ſpirationis activæ, & paſſivæ, & per hoc explicatur ſecundum, ergo.

6. Dices, ſi datur notio diſtincta, quia datur perſona, a qua alia, erit etiam notio diſtincta, quia datur perſona, a qua non alia, & ſic ſicut ſpiratio activa eſt notio, ita erit etiam notio inſpiratio activa, quæ convenit Spiritui Sancto, quod etiam patet a paritate innaſcibilitatis.

Sed contra jam dictum eſt, notionem debere ſpectare ad dignitatem perſonæ ſaltem in modo dicendi, ita autem ſe habet innaſcibilitas, cum explicetur, eſſe primum principium, & fontem divinitatis, per negationem autem ſpirationis activæ, nihil dignitatis innuitur, ideo &c. Quod autem dici poteſt de inſpirabilitate, facile reiici poteſt, etenim ſi loquamur de Patre,per innaſcibilitatē etiam ſignificatur inſpirabilitas, cum excludatur eſſe ab alio; ſi ſermo ſit de Filio, nullam poteſt ſignificare dignitatem, cum filius ſit ab alio, & ex alia parte, cum ſit negatio, potius cognoſcitur per aliud, quam ducat in alterius cognitionem.

7. Atque hic advertendum eſt, in notionibus includi quidem relationes, & proprietates perſonales; non tamen omnem notionem eſſe proprietatem perſonalem; ſpiratio enim activa notio, & relatio eſt, nec tamen eſt proprietas perſonalis, quia communis eſt Patri & Filio, & ſupponit jam perſonas formaliter conſtitutas; Innaſcibilitas etiam eſt notio conveniens ſoli Patri,attamen, cum ſit negatio, non conſtituit perſonam; qua de re ex quinque notionibus non poteſt inferri, eſſe quinque perſonas, ſicuti ex relationibus, & proprietatibus perſonalibus inferuntur tres. Atque hæc in hac materia ſatis ſint, cum majus ſtudium, nonnullaſque ſubtilitates quid inane dijudicem.

AR-

ARTICULUS II.

Traduntur plura de actib. notionalibus.

8. HÆc omnia breviſſime pertractabo, cum nihil difficultatis emergat, & ſatis a me fieri arbitrabor, ſi notitiam exhibebo. Quid ſint actus notionales, ſatis ſuperque patet ex dictis, ubi de principio quo divinarum proceſſionum pertractatum eſt. hoſce propterea admittendos eſſe in divinis, ita certum eſt, ſicut indubitatum exiſtimamus, eſſe divinas proceſſiones; ex quo etiam ſequitur, quod ſicuti aliæ ſunt perſonæ, quæ producunt, & aliæ, quæ producuuntur, ita actus notionales, alii active, alii paſſive conſiderantur, & ideo duo ſunt activi, ideſt generare, & ſpirare, duo paſſivi, ideſt generari, & ſpirari; de quorum actuum diſtinctione ita diſcurrendum eſt, ſicut de perſonis in quibus ſunt, & de perſonis, ad quas ſunt; & ecce tibi per paucas lineas expoſitum, quod alibi per paginas leges.

9. Quærere ſolent Doctores, an actus notionales ſint vere, & proprie ad prædicamentum actionis, paſſioniſve ſpectantes (videte quæſo in quibus quæſtionibus ſtudium, & ingenium tenebatur.) Deum nulli prædicamentorum ſubeſſe, conſtans eſt Patrum doctrina, & ſi ipſa divina ſubſtantia in prædicamento non eſt, ut etiam in philoſophicis tradidi, neque actus ipſius erunt in prædicamento actionis, vel paſſionis; ſi autem ita loquuntur, ut velint omnem imperfectionem removere, quid prohibet, id dicamus? Etiam in hac re paginas plurimas impleverunt.

10. Potius ſi in hac re pauliſper immorari licet, videndum eſt, utrum actus notionales ſint liberi, vel neceſſarii; Hoc dico, quia non latet, duas præcipuas Thomiſtarum, & Scotiſtarum ſcholas hujuſmodi difficultatem promovere, & fortaſſe tota controverſia orta eſt ex modo loquendi, non ex re, aut ex prava intelligentia eorum, quæ S. Th. & Scotus dixerunt; ut infra declarabo. Interim notum ſuppono, aliam eſſe libertatem indifferentiæ ad agendum vel non agendum, aliam libertatem oppoſitam naturalitati, & aliam oppoſitam coactioni ſeu violentiæ.

11. Sentio primo. actus notionales non eſſe liberos libertate indifferentiæ. Sunt in hac ſententia omnes Theologi, & Scotus ipſe hoc docuit, quia, etſi tradiderit, proceſsionem Spiritus Sancti, utpote per voluntatem, liberam eſſe, attamen nunquam locutus eſt de libertate excludente neceſsitatem. Manifeſtum eſt hoc, ſi legatur ſubtilis Doctor in quodlib. q. 16. ubi rem hanc ex inſtituto pertractavit; Siquidem §. *De primo*, hæc habet; *Dico, quod in actu voluntatis divinæ eſt neceſſitas ſimpliciter, & hoc tam in actu diligendi ſe, quam in actu ſpirandi amorem procedentem, igitur, cum accipiat eſſe procedendo, actus ille, quo procedit, eſt ſimpliciter neceſſarius.* & §. *De ſecundo. Dico, quod cum neceſſitate ad volendum ſtat libertas in voluntate*; & infra inquirens, in quo ſit libertas volendi, reſpondet, *quia delectabiliter, & elegibiliter eligit actum, & permanet in actu.*

12. Ratio aſſertionis eſt, quia ſicuti termini producti per actus notionales, nempe Filius, & Spiritus S. neceſſario ſunt, nec ſervant indifferentiam ad non eſſe, ita neque actus notionales eſſe poſſunt liberi libertate indifferentiæ. Hoc autem procul dubio dicendum eſt de actu notionali, per quem producitur Verbum, cum ſit actus intellectus.

13. Sentio ſecundo. actum notionalem, quo procedit Spiritus Sanctus eſſe a voluntate ut determinata ad unū; eſt autem diſſidium inter ſectatores Sancti Thomæ, cui adhærent communiter Recentiores, & illos Scoti; etenim illi volunt, actum illum non eſſe liberum, ſed

ſed naturalem, iſti vero eſſe naturalem, non liberum, attamen utraque pars affirmat, eſſe a voluntate cum determinatione ad unum, unde tota controverſia eſt de ſolo nomine. Neque de hoc puncto propterea aliquid dicam, cum inferius utranque ſententiam conciliari poſſe oſtendere contendam.

14. Sentio 3. actus notionales eſſe liberos, prout libertas opponitur coactioni. Veritas hæc cenſenda eſt ad fidem pertinere; etenim coactio, ſeu violentia tantum haberi poteſt ab aliquo exſtrinſeco, cujus impulſui fieri nequeat reſiſtentia, at hoc nullo pacto dici poteſt de Deo, qui omnibus reſiſtere valet cui nemo reſiſtere poteſt, ergo. Adde, notionales actus eſſe vitales divinos, ſi ergo neque voluntas creata poteſt in ſuis actibus vitalibus violentiam pati, ut aſſerunt omnes doctores, a fortiori id affirmandum de voluntate divina. Sunt igitur notionales actus voluntarii, & ſpontanei, non coacti, & violenti, & ſic melius diceretur, nec eſſe liberos, nec eſſe neceſſarios, ſed volutarios & ſpontaneos, ideſt cum cognitione, & delectatione elicitos juxta Scoti doctrinam ſuperius laudatam in fine num. 11. Cæterum, ſi cum Scotiſtis velimus dicere actum, quo procedit Spiritus Sanctus liberum eſſe, non diſſentitur S.Th. qui quæſt. 10. de potent. art. 2. ad 5. concludit; *Libere ergo Spiritus Sanctus a Patre procedit*. & ſavet S. Auguſt. in Enchirid. cap. 105. dicens, *aut voluntas non eſt, aut libera dicenda eſt*.

ARTICULUS. III.

Traduntur ea, quæ ſpectant ad divinarum perſonarum miſſionem.

15. Dari divinarum perſonarum miſſionem, niſi ſcripturas ſanctas negemus, in dubium revocare non poſſumus. De Filio. habetur Joan. 5. *Qui miſit me Pater, teſtimonium perhibet de me.7. A me ipſo non veni ſed eſt Deus, qui miſit me*, & ad Galat.4. *Poſtquam venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum in mundum*. De Spiritu Sancto vero legitur Joan. 14 *Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo*, & 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis*.

16. Eſt autem miſſio a nobis aſſerta proceſſio unius perſonæ ab alia in ordine ad aliquem effectum temporaneum; Qua propter duo ad miſionem requiruntur. Primo perſonam, quæ mittitur,ab alia originem ducere. Secundo effectum temporaneum, ad quem perſona mittatur, atque ideo, ſi unum ex iſtis deſit, nequaquam perſonam mitti, cenſendum eſt. Unde, quamvis ad animas juſtas Pater veniat, quod temporaneum eſt, attamen nunquam miſſum eſſe, affirmat Auguſtinus pluribus in locis, quia a nullo procedit; Hinc, ut filius ſe miſſum oſtenderet, dixit Joan. 16. *Exivi a Patre, & veni in mundum*, in prioribus verbis intellige generationem æternam,in poſterioribus temporaneum effectum; atque præclare hæc omnia innuit Hilarius 9. de Trinitat. hæc verba expendens; *A Patre*, inquit, *in hunc mundum venerat, quia a Patre exierat; Nam ut nativitatem ſuam in exitione ſignificaſſe intelligeret, ſubiecit, ſe a Patre veniſſe, & cum per id a Patre venerit, quia a Deo exierit, exitio ejus a Deo abſoluta nativitas eſt, quam paterni nominis eſt profeſſio conſecuta*. Clarius vero S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit.

Trinit. cap. 20. *Non eo ipſo, quod de Patre natus eſt, miſſus dicitur Filius, ſed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum, vel quod ex tempore cujuſcumque mente percipitur.*

17. Cum autem hæc, in quibus diſcrepat nemo, dicta ſint, diſſidium aliquod excitant Scholaſtici, quid de primario conſiderandum ſit in miſſione, nempe vel proceſſio, & origo, an vero externa manifeſtatio, ſeu temporaneus effectus. Quidquid dicatur parum intereſt, non video cur ſtudium noſtrum in hoc dirimendo debeat impendi.

18. Non me latet, ex hac miſſione perperam argumentum deduxiſſe Arianos, nempe, quia Filius a Patre dicitur, & eſt miſſus, minor Patre cenſendus eſſet, cum ille, qui ab alio mittitur, inferior judicetur. At non pari modo loqui debemus de miſſione alicujus inter homines, & de miſsione in divinis; etenim in humanis quæcumque miſsio aut eſt per imperium, ut quando Rex nuntium mittit, vel per conſilium, ut quando conſiliarius mittit Regem ad bellum, vel per impulſum, ut cum jaculator mittit ad ſcopum ſagittam, quæ ſunt verba S. Th. hic art. 1. ad 1. Miſsio autem divinæ perſonæ eſt per originem, & proceſsionem; Quamquam, etſi ab humanis argumentari vellemus, Arianorum ratiocinium non teneret; contingit enim, miſſum aut eſſe æqualem mittenti, aut etiam majorem, ut conſtat in exemplo adducto conſiliarii mittentis Regem; Sed Audi Auguſtinum tractat. 21. in Joan. circa finem, ſic dicentem, *Noli attendere ad res humanas, ubi major videtur, qui mittit, & minor, qui mittitur; quamquam & ipſæ res humanæ dicant contra teſtimonium velut v. g. Si quis uxorem velit petere, amicum majorem mittit, qui expetat, & ſunt multa, in quibus ipſe major eligitur, qui mittatur a minore.*

19. Ex his vero facile colligi poteſt, quibus perſonis conveniat mittere, & mitti; Primum enim convenit Patri, quia a nullo eſt; Secundum vero convenit Filio, & Spititui Sancto, qui ab alio, tanquam principio ſunt, & quia Filius & eſt is qui procedit, & is, a quo alius procedit, ideo ipſi convenit mittere, & mitti, & hoc totum patet ex ſcripturis, in quibus Filius dicitur miſſus a Patre, & Spiritus Sanctus a Patre, & Filio. Hoc quidem ſi loquamur de miſsione quantum pertinet ad originem, ſi vero quantum ad temporaneum effectum tota Trinitas mittit, cum operationes ad extra inſeparabiliter toti Trinitati tribuantur, & in hoc ſenſu locuti ſunt Patres illi, ut Ambroſ. lib. 3. de Spir. Sanct. Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 5. nec non Concil. Tolet. 11. in profeſ. fidei, qui dixerunt Filium miſſum eſſe a Spiritu Sancto, juxta illud Iſaiæ 18. *Et nunc Dominus miſit me & Spiritus ejus.*

20. Hæc dicta ſunt de viſibili miſſione, quæ eſſe poteſt vel quantum ad eſſe ſimul & repræſentari, qualis fuit illa Verbi divini, quod vere aſſumpſit naturam humanam, & caro factum eſt, vel ſolum quo ad repræſentari, qualis fuit illa Spiritus Sancti vel ſub ſpecie Columbæ, vel ſub ignearum linguarum figura. Sed eſt inſuper alia miſsio, quæ inviſibilis dicitur, & fit potiſsimum per gratiæ ſanctificantis infuſionem, nec non per alia ſupernaturalia dona, quæ vel abſolute, vel uberius juſtorum animis conceduntur. De hac miſsione inviſibili legitur Sap. 7. *Sapientia in animas Sanctas ſe transfert, & amicos Dei, & Sanctos conſtituit.* Joan. 14. *Si quis diligit me, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ad Rom. 9. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

21. Hæc quidem de illapſu & manſione omnium perſonarum procedunt in ſemetipſis, & non ſolum in donis creatis, & op-

& oppoſitum ſentire ab hæreſi non excuſarem, cum manifeſta ſint ſcripturæ teſtimonia, & accedat communis Sanctorum Patrum traditio; Ambroſ. lib. 1. de Spir. Sanct. cap. 4. Cyril. lib. 22. Theſauri cap. 15. Baſil. lib. 5. contra Eunom. cap. 5. Chryſoſt. in cap. 5. ad Rom. & præ cæteris Auguſtin. Serm. 13. de verbis Apoſtoli ſic dicit. *A quo datur? ab illo, qui dedit dona hominibus. Quæ dona? Spiritum Sanctum, qui tale donum dat, qualis eſt ipſe. Magna eſt miſericordia ejus. Donum dat ſibi æquale, quia donum ejus Spiritus Sanctus eſt.* Dicat igitur Apoſt. 1. ad Corint. 6. *An neſcitis, quia membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo?* Dum autem audis hæc omnia dici de Spiritu Sancto, ne ſepares alias perſonas, ſed intelligas, id per quamdam appropriationem de eo dictum eſſe.

ARTICULUS IV.

De perſonarum divinarum circuminſeſſione.

22. Nomen hoc circuminſeſſionis nihil aliud per Theologos ſignificat, quam intimam unius perſonæ in alia exiſtentiam, præſentiamque, ut colligitur ex Scoto in 1. diſ. 19. q. 2. De hac perperam ſenſerunt Ariani dicentes, unam perſonam eſſe in alia, ſicut vas minus in vaſe majori. Certe non eſt iſte ſermo noſter, nam creatura continetur quidem in creatore, non tamen creator in creatura, vas minus in majore, non tamen in minore majus, at nos mutuam hanc continentiam inter perſonas divinas fatemur, atque in hoc ſenſu.

23. Aſſertio Catholica eſt, admittendam eſſe perſonarum divinarum circuminſeſſionem. Hoc tradit ſcriptura dicens Joan. 10. *Ut credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* 14. *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Quod autem dicimus de Filio per reſpectum ad Patrem, dicendum de Spiritu Sancto per reſpectum ad Patrem & Filium, nec diſpar ratio afferri unquam poterit, cum ſicut Filius procedit a Patre, ita Spiritus Sanctus a Patre filioque procedat. Ita ſane exigit eſſentia divina, quæ ſicuti eadem eſt in tribus perſonis, ita tres perſonæ ſint in eadem, & ubi reperitur illa, reperiantur & iſtæ; Hoc ratio ſuadet; Hoc Patrum authoritas profitetur Ambroſ. in epiſt. 2. ad Corint. cap. 13. inquit; *Per hoc intelligitur Pater eſſe in Filio, & Filius in Patre, quia eſt una eorum ſubſtantia.* Fulgent. lib. 1. de Fide ad Pet. cap. 1. *Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu Sancto eſt, totus Filius in Patre, & Spiritu Sancto eſt, totus quoque Spiritus S. in Patre, & Filio.* Prius vero Auguſt. lib. 9. de Trinit. in fine dixerat. *Singula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

24. Ex hiſce Patrum teſtimoniis corruit quod docet Henricus, nempe unam perſonam non eſſe in alia ſecundum ſe totam, ſed ſecundum aliquid ſui, videlicet ſecundum eſſentiam, & non ſecundum relationem, aliter Pater in Filio eſſet ſecundum paternitatem, & Filius poſſet dici Pater; & rurſus, fieri, inquit, non poteſt, unum ſecundum ſe totum in alio contineri, & aliud continere. Eſt igitur per Henricum aliquid in alio vel ſecundum ſe totum, ut vinum eſt in amphora, vel ſecundum ſui partem, ſicut avis v. 1. dicitur eſſe in laqueo ſecundum caput, vel etiam ſecundum aliquid, quod eſt utrique commune, ſicuti ſi eſſet monſtrum habens duo capita, & duo corpora, quibus eſſent tantum duo pedes, unum horum animalium eſſet in alio per aliquid utrique commune.

25. Contra Doctorem iſtum ultra ſcrip-

ſcripturas adductas argumentatur Scotus in 1. diſ. 19. quæſt. 2. Quando enim aliquid eſt in alio ſecundum partem non alio modo eſt in eo, niſi quo pars, ſi ergo una perſona eſt in alia tantum ſecundum eſſentiam, quatenus eſſentia unius eſt etiam alterius, perſona erit in alia ſicut eſſentia, atqui eſſentia eſt in alia, non per circuminſeſsionem tantum, ſed tanquam natura illius, ergo ſic excludetur circuminſeſsio.

16. Ex hac Scoti argumentatione clarius rem noſtram poſſumus demonſtrare; Si una perſona non eſt in alia ſecundum ſe totam, maxime quia eſt ſolum ſecundum eſſentiam, non ſecundum relationem, ſed hoc eſt falſum, ergo. Probat. min. primo quia licet eſſentia ſit radix, & fundamentum mutuæ inexiſtentiæ, non eſt tamen præciſe ſecundum ſe, ſed ut connotans diſtinctionem, & relationes perſonarum diſtinctivas, nec enim perſonæ circuminſident, niſi ut diſtinctæ. Secundo. Patrem eſſe in Filio per circuminſeſsionem indicat aliquid amplius, quam eſsentiam Patris eſse in Filio, aliter eſsentia unius eſset in alio tantum per circuminſeſsionem, ergo Patrem eſſe in filio per circuminſeſsionem indicat eſse, non ſolum ſecundum eſsentiam, verum etiam ſecundum relationem.

27. Atque hinc fit, exemplum avis capti ſecundum caput non tenere, etenim non alio modo captus dicitur, niſi quo captum eſt caput, & ideo ſequeretur, quod nuper diximus; neque hic loqui debemus de aliquo quod contineat, & contineatur, etenim una perſona eſt in alia, quin aliam contineat, & contineatur ab alia, ſicut contingeret, ſi v. g. duæ quantitates compenetrarentur. Tandem non ſequitur, Filium eſſe Patrem, & Patrem Filium, nam paternitas non conſtituit Patrem quomodocumque, ſed ut eſt proprietas conſtitutiva Patris reddens perſonam incommunicabilem, & ſimiliter filiatio &c. itaque &c.

28. Rem totam abſolvat Dionyſ. Alexandr. in lib. de reprehenſ. & defenſ. dicens: *Nominum illorum quæ dixi, quodlibet inſeparabile eſt, nec a proximo dividi poteſt; Patrem dixi, & priuſquam Filium ſubiiciam, hunc in Patre ſignificavi. Filium ſubieci, & niſi Patrem antea nominaſſem, prorſus tamen mentio illius anticipata fuiſſet, adieci Spiritum Sanctum, ſed una & unde, & per quem venit, appoſui; At iſti neſciunt neque Patrem alienum eſſe a Filio, qua Pater eſt, hoc enim vocabulum principalem cauſam conjunctionis ſignificat, neque Filium a Patre divelli, ſiquidem appellatio ipſa Patris communionem oſtendit. Tum in illorum manibus ineſt Spiritus Sanctus, cum neque a mittente, neque ab ferente poſſit abeſſe,*

QUÆSTIO ULTIMA.

De Cognoſcibilitate myſterii Trinitatis.

ARTICULUS I.

An Myſterium Incarnationis ſola naturali cognitione poſſit oſtendi.

1. IN eo tractatus finem impono, in quo Doctores alii deſumere ſolent exordium; Neque inconſulto rem a me peractam eſſe dijudico, cum prius tradendum eſſet, quid ſit Trinitatis myſterium, quam inquiratur, utrum cognoſci poſſit. Jam dictum eſt ſub initio, a nemine fuiſſe cognitum, ſed quia non idem eſt inquirere de eo, quod ſibi vindicat factum, quod de eo, quod ſibi poſtulat poſſibilitas; Ideo difficultatem iſtam proponimus, ſicut alii proponunt; Quamquam, ut verum fatear, ferme nihil poſitive dicendum ſuperſit, cum idem inquiri ſoleat etiam de aliis myſteriis, puta, de Incarnatione.

Sentiendum; ſolo naturali lumine evidenter poſitive Trinitatis myſterium nequaquam poſſe cognoſci.

2. Probatur primo. Alia myſteria fidei non poſſunt naturali lumine evidenter poſitive cognoſci, ergo neque myſterium Trinitatis; conſequentia concedi debet, cum hoc inter fidei dogmata præcipuum habendum ſit. Ad probandum antec. nihil adduco, perpendantur enim ea, quæ dixi de myſterii Incarnationis notitia, ampliora tamen pro re noſtra dicimus, ſi perpendimus quod habetur Iſaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* quod Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus, qui eſt in ſinu Patris; ipſe enarravit.* quod Mat. 11. *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Pater quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* quod Luc. 12. *Nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater.* Atque hoc totum confirmat præclara Petri confeſſio dicentis Mat. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, cui reſpondit Chriſtus; *Beatus es Simon Ben-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi.* Ubi per carnem, & ſanguinem humana virtus exprimitur. De hujuſmodi cognitione nonnulla jam diximus loco laudato.

2. Sed quia ſcripturæ loquuntur de facto, & plerumque pro tempore præterito; Ideo ad Theologicum ratiocinium progredi debemus; Hoc enim rerum omnium trutina juſtiſſima eſt, nec Theologia ſine fide valeret, nec fides ſine Theologica ratione defenderetur.

Igitur ſic argumentum inſtituo; Si poteſt evidenter poſitive cognoſci Trinitatis myſterium, vel immediate, vel mediate, non immediate, alioquin cognitum fuiſſet, quod negant allata teſtimonia; non mediate; & probo. Quidquid mediate cognoſcitur, vel per cauſam, ut dicunt a priori, cognoſcitur, vel per effectum, ut vocant a poſteriori, ſed neutro modo, ergo; non quidem primo, quia Trinitas Sancta nullam habet cauſam, quæ cognoſcibilis ſit, hæc enim, ſi pro principio uſurpetur, ut Græci ſolent, eſt Pater, ſed de hoc eadem difficultas; fateor enim, quod ſi cognoſceretur Pater, etiam dignoſceretur

tur

Digitized by Google

tur Filius, eum unum ſine altero ſub tali ratione eſſe non poſſit; Sed neque ſecundo, quinam enim effectus eſt, qui a nobis naturali lumine cognoſci poteſt, & nos in Trinitatis agnitionem perducat? Denique ex ipſo facto naturæ incapacitas declarari poteſt; eſt enim tritum illud; *Quod natura nunquam fecit, ſignum eſt, quod facere non poteſt*.

3. Atque ex his habes, quod, neque data myſterii revelatione, cognitionem hanc aſſequi poſſumus, ſiquidem poſitivam evidentiam non habemus, niſi per media, ac principia intrinſece cum obiecto connexa. At divina revelatio intrinſeca non eſt alicui myſterio, igitur &c. Hoc magis manifeſtum eſt in principiis noſtris, ſtatuentibus, etiam per evidentiam in atteſtante nequaquam haberi ſcientiam; Ad ſummum igitur habebitur quædam obſcura cognitio, quæ, niſi accedente ſemper lumine fidei adjuvante, in pluribus defficiet vel in una vel in altera perſona.

5. Audiamus interim quid opponatur, atque ex hoc magis probabitur veritas ſtabilita; nec vero aliqua proferam, quæ jam de Philoſophorum cognitione dicta ſunt alibi. Primo igitur ſic opponitur. Poteſt evidenter cognoſci, Deum eſſe perfectiſſimum, ergo poteſt certo & evidenter cognoſci infinite ſe poſſe communicare, & ideo etiam ſe communicare, cum in æternis idem ſit poſſe, quod eſſe, ſed infinite ſe non communicat, niſi producendo aliam perſonam infinitam, ergo hoc cognoſci poteſt, hoc autem eſt cognoſcere Trinitatis myſterium, ergo.

6. Reſp. hoc argumentum adeo fallax eſſe, ut inde plures errores exorti ſint. Hujuſmodi ſunt, Deum agere ex neceſſitate, mundunque conditum eſſe ab æterno; Secundo ex eodem facile quis poteſt inferre, quodlibet opus Dei, agentis infiniti, infinitum eſſe. Tertio oportet adhuc inveſtigare, utrum terminus, cui Deus ſe infinite communicat, poſſibilis ſit. Quarto dignitas agentis infiniti ſatis ſervatur, quod res producat per virtutem independentem, nec acceptam ab alio. Denique totum tranſmittatur; ſed adhuc quod ſe communicet uni perſonæ, illam generando, alteri nequaquam per generationem, per naturam omnino eamdem perſonali diſtinctione ſervata, quis capiet, quis dicet? etiam habita revelatione intellectum captivamus; Pluresque docti viri in errores turpiſſimos prolapſi ſunt.

7. Op. 2. Ex quo detur in nobis intellectio inferre poſſumus, hanc etiam dari in divinis, ergo ex quo detur in nobis Verbum mentis, poſſumus deducere id dari in divinis; & ſi ex imagine cognoſcitur id, cujus eſt imago, quare ex homine, qui imago Trinitatis eſt, Trinitatem congnoſcere non poſſumus?

Reſp. hæc omnia incerta eſſe apud Philoſophos, quidam enim affirmant, quidam negant; ſed licet hoc affirmetur, unde noſces, intellectionem eſſe productivam Verbi ſubſtantialis, Verbi habentis eandem naturam cum intellectu intelligente, eamdemque intellectionem eſſe idem cum ſuo principio?

Reſpondebis, ex notione Dei, qui eſt ens perfectiſſimum, proinde intelligat perfectiſſimo modo, non autem ita intelligeret, ſi aut intellectio eſſet ab illo diſtincta, aut Verbum ſubſtantiale, ac ſubſiſtens, non produceret; Do, quod dicis, ſed ſi admittis intellectionem indiſtinctam propter perfectionem principii intelligentis, cur non admittes etiam ipſum Verbum indiſtinctum. Dices, quia Verbum producitur, repugnat, autem idem eſſe producens, & productum. Optime; ſed nonne etiam intellectio producitur? Unde etiam colliges, unicum tantum eſſe Verbum, non plura, & Filium intelligentem aliud Verbum non producere? An non remanet eadem infinita virtus poſt productionem unius Verbi, quæ erat antea? Demas Demas revelationē divinam, hæc nec quidem cogitabis, & ſi cogitabis, quam falſa proferes.

Ad 2. Hominem eſſe imaginem Trinitatis dicimus, quia nobis revelata Trinitas eſt; ſed rogo, quæ imago? ita quidem imperfecta, ut nequaquam Trinitatem demonſtret, imo ſi ab illa argumentum inferemus, quam diſſona concederentur.

8. Opp. 3. Evidenter cognoſcere poſſumus, Deum eſſe beatum, admittenda eſt ergo Societas perſonarum, adeoque pluralitas, cum beatitudo ſit jucunda bonorum poſſeſſio, quæ ſine ſocietate nequaquam excogitari poteſt, ſicut nec ſine amicitia, voluntatumque concordia.

Reſp. Quis dicere poſſet, potius plurium ſocietatem impedire beatitudinem, cum hæc in contemplatione conſiſtat. Argumentum eſt verum, cum ſermo ſit de perſona finita aliis indigente, non ſic de infinita, quæ in ſemetipſa beatiſſima eſt, & amando ſe, habet amicitiam perfectam, quæ potius impeditur per amorem inæqualium; eſſe autem tres perſonas æquales, adhuc probandum ſupereſt.

9. Opp. 4. Vel demonſtratur myſterium Trinitatis eſſe poſſibile vel impoſſibile, cum hæç ſint duo contradictoria, inter quæ medium non invenitur impoſſibile demonſtrari non poteſt, ergo poſſibile; cognoſci igitur poteſt.

Reſp. Si divina revelatio non eſſet, neque apud nos eſſet poſſibile, neque impoſſibile, quia de ipſo nulla foret ratio cogitandi, aut perperam cogitandi, ſicut revera perperam cogitaverunt, quotquot divinæ revelationi fidem non præbuerunt; dico tamen, non poſſe demonſtrari impoſſibile, quia omnia argumenta poſita divina revelatione ſolvuntur; non ſolvuntur tamen evidenter poſitive, proinde neque evidenter poſitive poteſt demonſtrari poſſibile.

10. Supereſt igitur, ut negative tantum a nobis cognoſci poſſit, nempe reiiciendo omnia argumenta in oppoſitum; & quod ita ſit.

ARTICULUS II.

Refelluntur argumenta contra Trinitatis Myſterium.

11. En tandem illud attingimus, quod prius pertractandum videbatur. Trinitatem perſonarum probavimus, contraria tamen omiſimus; Hoc in præſentiarum perpendendum: Nihil tamen de perſonarum eadem divinitate dicendum, de hoc ſatis in ſuis locis, ſed tantum perſonarum Trinitas impugnanda, ut ſi quid roboris habeant argumenta videamus, & Catholicam veritatem ab erroribus, & cavillationibus vindicemus.

12. Jam jam proferre incipiunt argumentum illud deſumptum ex principio logico; *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*. Ergo vel perſonæ non ſunt tres, vel non eſt in ipſis eadem numero natura. Atque hoc quidem magis confirmatur ex pluribus 1. Ubi ſunt tres perſonæ diſtinctæ, quarum quælibet Deus eſt, ibi ſunt tres Dii, atqui tres Deos eſſe renuit Catholica Fides, ergo neque ſunt tres perſonæ. Secundo ſi ſunt tres perſonæ diſtinctæ, & quælibet eſt Deus, verum erit hoc argumentum; Pater eſt verus Deus, ſed Filius eſt Deus verus, ergo Filius eſt Pater, & econtrario, & ſi veraciter dicimus. Pater eſt perſona divina, Filius eſt perſona divina, Spiritus Sanctus eſt perſona divina, ergo ſunt tres perſonæ divinę, veraciter etiam dicetur Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus, ergo ſunt tres Dii.

13. Reſp. Axioma illud traditum a Philoſophis, agnoſcentibus tantum quod in natura apparet, ad ſummum valere in creatis, non autem transferendum eſſe ad divina, quæ a creatis infinito diſtant intervallo; Acceptum erat etiam apud ipſos tritum illud, *Ex nihilo nihil fit*, & tamen a Deo creatore ex nihilo factus eſt mundus, & ex nihilo producuntur animæ rationales. Præ-

Digitized by Google

Præterea; illud axioma recte intellectum etiam in divinis ſervatur pluribus autem modis recte intelligi poteſt; 1. ita ut quam veritatem extrema, ſeu duo habent cum medio termino in enuntiatione, habeant etiam inter ſe, dummodo non contingat aliqua fallacia in argumento, & juxta regulas medius terminus diſponatur, propter quas fallacias plurima argumenta in Trinitatis Myſterio deficiunt, ut oſtendam, reiiciendo adducta.

Denique; illa, quæ ſunt eadem uni tertio ſingulari, & incommunicabili, vel etiam adæquate, ſunt eadem inter ſe, non tamen, ſi uni tertio inadæquate, communi, & communicabili; Quod etiam videmus in creatis evenire, nam duo homines ſunt unum cum humana natura ſpecifice ſumpta, tanquam cum tertio, nec tamen ſunt idem inter ſe, niſi eo modo quo conveniunt cum tertio. & hoc pacto etiam perſonæ divinæ ſunt idem inter ſe in natura divina, & revera appellantur unum, non ſunt tamen iidem, quia non conveniunt in ratione perſonæ.

14. Ad 1. negatur major juxta ſcripturas, & Patres, qui & unum Deum tradiderunt, & tres perſonas. Hoc verum eſſet, ſi ab eodem capite proficiſceretur perſona, a quo Deus. Perſona a relationibus, Deus a Deitate; una eſt deitas, non una eſt relatio; unus ergo Deus, non una perſona; Deitas autem una eſt, quia infinita eſt, & neceſſario communicabilis pluribus eſt; Hoc jam probavimus, proinde in aſsertionibus principium non petimus; probet contrarium, qui nobis contradicit; Myſterium hoc non eſt Philoſophice diſcutiendum, plura alia concedis, quibus Philoſophia contradicit, hoc igitur etiam concedas, & captiva intellectum in obſequium fidei, quam a ſcripturis, Patribus, & Eccleſia, quæ eſt columna veritatis accepimus; Si pro ſe loquatur infernus, haud quaquem timemus, portæ enim inferi non prævalebunt adverſus eam.

15. Ad 2. Si diſtinguas majorem ſic, Pater eſt verus Deus, etiam conc. tantum, nego, ſupereſt adverſario probandum, quod intendit, nec unquam probabit; loquendo tamen juxta regulas ſummuliſticas, argumentum illud deducitur ex duabus particularibus, igitur nihil concluditur; Quis dicet, hunc ſylogiſmum valere. Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, ergo Petrus eſt Paulus? Oportet, medium terminum ita diſtribui, ut habeat omnem ſuam ſignificationem non habet autem in propoſito, etenim in majori ſupponit pro ſolo Patre. Veraciter autem dicimus, Pater eſt perſona divina, Filius eſt perſona divina, Spiritus Sanctus eſt perſona divina, ergo ſunt tres perſonæ, quia multiplicatur ratio, a qua perſona deſumitur, non tamen multiplicatur ratio, a qua deſumitur Deus, & ideo non ſunt tres Dii.

16. At dices. Non multiplicatur deitas, quia infinita eſt, ergo nec debet multiplicari perſonalitas, quia pariter infinita eſt; Infinitum autem eſt unum tantum. Utique infinitum tantum unum eſt in proprio genere, ideo una deitas; Perſonalitas etiam infinita eſt, & in proprio genere una eſt; Paternitas una, Filiatio una, ſpiratio paſſiva una, & neutra ex his poteſt eſſe altera, cum alteri opponatur; Deitas non ſic, imo non poſſet eſſe infinita & una, niſi in pluribus eſſet, quia ſi in pluribus non eſſet, perfecta non eſſet, carens fœcunditate, ergo nec infinita. Videas ergo tuo ipſo argumento tua dicta deſtruere.

17. Ut vero omnia detegantur, quę fallaciam ingerere poſſunt, quædam regulæ juxta ſummulas retinendæ ſunt; Prima ut dictum eſt, ut medius terminus complete diſtribuatur, ideo ſyllogiſmus iſte; Omnis eſſentia divina eſt Pater, ſed filius eſt eſſentia divina, ergo Filius eſt Pater; eſt falſus, quia eſſentia

tia divina, tanquam medius terminus in minori incomplete diſtribuitur; ſicut ſi diceretur. Omne animal fuit in Arca Noe, Petrus eſt animal, ergo Petrus fuit in Arca Noe.

18. Secunda eſt, argumentum dedeductum a termino non negato ad terminum negatum falſum eſse, ut eſset hoc; Filius eſt Deus, Pater non eſt filius, ergo Pater non eſt Deus; jam vides, prædicatum in majori non affici negatione, utique vero in concluſione; Falſitas hujuſce argumentandi modi conſtat etiam in creatis, ut in hoc ſyllogiſmo. Petrus eſt homo, Paulus non eſt Petrus, ergo Paulus non eſt homo.

19. Tertia eſt. Etſi in creatis valeat ſyllogiſmus expoſitorius, non tamen in divinis, quia in primo caſu medius terminus eſt ſingularis & incommunicabilis, e contrario in ſecundo. Unde non valet; Eſsentia eſt Paternitas, filiatio eſt eſsentia, ergo filiatio eſt paternitas.

20. Quarta eſt. argumentum fieri non poſse a ſenſu identico ad ſenſum formalem, quia tunc contingit fallacia accidentis, in qua, ob diverſitatem ſubiecti & prædicati, quod convenit uni, tribuitur alteri, ſicut ſi diceres. Petrus eſt homo, ſed homo eſt ſpecies, ergo Petrus eſt ſpecies. Hac ratione falſo ſic dicitur; Pater eſt ſpirator, Filius eſt ſpirator, ergo Filius eſt Pater. Eſsentia non generat, Pater eſt eſsentia, ergo Pater non generat; ſit enim tranſitus a ſenſu identico ad ſenſum formalem. Sed pudet iſta, atque ſimilia huc adducere.

21. Non pudet tamen eos, adhuc ſophiſmata proponere; inquit Crellius. Deus unus trinus eſt in perſonis, ſed quælibet perſona eſt ille Deus unus, ergo quælibet perſona eſt trina in perſonis; at non ne videt, vel propoſitionem majorem eſſe particularem, proinde ex illa nihil ſequi, vel ſi ſumatur ut æquivalens univerſali huic, quidquid eſt Deus unus, eſt trinus in perſonis, eſſe manifeſte falſam. Si autem velit, me facilius expedire, diſtinguam majorem. Deus unus ut affectus triplici relatione trinus eſt in perſonis conc. Deus unus præciſe neg. maj. ſed quælibet perſona eſt ille Deus unus, ſed non affectus triplici relatione conc. econtra nego. Atque per diſtinctionem evitabis omnia argumenta, quin toties ad dialecticæ canones confugias.

22. Dices; atqui in una, & eadem indiviſibili ſubſtantia eſſe nequeunt plures relationes, ſeu ſubſiſtentiæ, ergo. Prob. ſubſ. min. Unius entis nequeunt eſſe plures exiſtentiæ, unius hominis plures rationalitates, unius quantitatis plures longitudines, & ſic ratiocinando; ergo a pari neq; in una ſubſtantia plures &c.

Contra neg. ant. ad prob. verum eſt ant. quia ea omnia ſunt ejuſdem rationis, & ſe habent tanquam formæ adæquatæ; at in noſtra re ſunt relationes diverſæ rarionis, ac muneris, & neutra eſt adæquata reſpectu naturæ divinæ. Paternitas namque conſtituit Patrem, nec eſſentia eſt in ſolo Patre, filiatio conſtituit Filium, nec eſſentia eſt in ſolo Filio, & ideo &c. Quamquam ſi loquamur de exiſtentiis relativis, admittimus nos in eadem re abſoluta tres hujuſmodi exiſtentias.

23. Inſtabis, admiſſis hiſce pluribus ſubſiſtentiis, ſeu relationibus perit divina ſimplicitas, prob. Ubi numerus, ibi compoſitio, ſed admiſſis hiſce pluribus &c. eſſet numerus, ergo. Præterea; eſſentia divina eſſet aggregatum per accidens, hoc enim aliud non eſt niſi unum conſtans ex pluribus completis, perfectiſque. Rurſus. In Deo eſſet quaternitas, quia eſſentia, & tres diſtinctæ perſonæ.

Contra neg. ant. ad primam prob. non quilibet numerus compoſitionis eſt cauſa, ſed ubi numerus eſt adinſtar actus & potentiæ, perfectivi & perfectibilis, & ubi eſt diverſa eſſentialis perfectio in

illis

illis, qui numerum conſtituunt. Ad 2. Ens per accidens conſtituitur per plura; quæ ordinem non ſervant inter ſe, nec ſunt unum in eſſentia; Hoc abſit in divinis perſonis. Ad 3. quo pacto in divinis admitti poſſit quaternitas alibi diximus; ſed ſtricte loquendo id negamus, cum eadem numerice natura ſit in tribus quam rationem affert Concil. Later. 4. can. 2. dicens. *Ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas, quia quælibet trium perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina.*

24. Argumentum aliud proponebant olim Valentinus Gentilis, & miniſtri Tranſilvani; Qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non eſt verus Deus, ſed unus Deus in eſſentia, nec gignit, nec gignitur, nec procedit, ergo non eſt verus Deus, ſed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt verus Deus, ergo non ſunt unus Deus in eſſentia, aut ſunt plures Dii. 2. Pater eſt ingenitus, Filius eſt genitus, ergo non ſunt unus Deus, repugnat enim idem eſſe ingenitum, & genitum.

25. Reſp. argumentum primum non militare contra perſonarum Trinitatem, ſed contra Dei unitatem, & ex ipſo probari admittendas eſſe tres perſonas, & verum dicitur, & ſimul tres Deos, & impium aſſeritur in forma; ſi major ſumitur pro Deo vero, ideſt pro deitate, eſt falſa, ſi autem ſumatur Deus verus pro aliqua Deitatis perſona, tunc eſt vera, ſed negatur minor; Fit igitur tranſitus a perſona ad eſſentiam, ideo nihil concluditur. Ad 2. conc. ant. neg. conſ. ad probationem nulla ſequitur contradictio, etenim eſſe genitum & ingenitum affirmatur de diverſis ſuppoſitis, nequaquam de eadem natura.

26. Hæc ſimilia plura opponi poſſunt ex humana ſapientia, quam Deus ſtultam fecit; Divinæ nos inſiſtimus revelationi; Hanc ſequentes non erramus. Benedicta igitur ſit Sancta Trinitas, atque indiviſa Unitas, quam obſequenti humilique animo profitemur, atque tractatum hunc cum Auguſtino lib. 15. de Trinit. cap. ultimo, interna potius precatione, quam externa diſputatione concludamus, quæve dicta ſunt, ea prorſus infallibili Sanctæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ auctoritati, in cujus gremio conquieſco, volumus eſſe ſubiecta.

F I N I S.

Digitized by Google

Errata Corrige

Errata		Corrige
Solumodo	pag.1 6.	Solum modo
impoſſibiles	p.37.	impoſſibile
ego	p.79.	ergo
quæ	p.81.	qua
quo	p.85.	quod
circumſtantis	p.105.	circumſtantiis
effectus	p.112.	affectus
peccat	p.129.	peccans
potentis	p.147.	potentiis
prædia	p.147.	prædita
dicandum	p.186.	dicendum
obiice	p.173.	abiice
averſita	p.202.	accerſita
propriæ tales	p.204.	proprietates
directo	p.204.	diverſo
irrepiſſo	p.205.	irrepſiſſe
ita	p.206.	jam
oppetitionem	p.206.	oppoſitionem
concreatum	p.208.	concretum
prudens	p.251.	volens

Reliqua leviora tu ipſe corriges; Mibi potius conquerendum, quam Tibi.

Digitized by Google

Digitized by Google